




...s et J. a. J. lib...
...prof. Jos. Mich. ...

DE JURISCONSULTO PERFECTO, SIVE INTERPRETATIONE LEGUM, in genere, LIBER SINGULARIS, itemque MUSÆ JURIDICÆ sive OPUSCULA JURIDICA NOVEM

edita partim nunc, & olim, vel edenda per



VINCENTIUM PLACCIUM, Hamburgensem.

1693

ANNO cIↃ IↃc VIIC.
HOLMIÆ & HAMBURGI,
apud GOTTFRIED LIEBEZEIT.

Q. B. V.

DEUS TRIUNUS

T. O. M.

TRIADI

JURIS UTRIUSQUE DOCTORUM

DOCTISSIMORUM

SYNDICORUM HAMBURGENSIUM

MERITISSIMORUM

ILLUSTRI

VIRIS

VIRTUTIS NOBILITATE NOBILISSIMIS

DIGNITATIS AMPLITUDINE AMPLISSIMIS

DOCTRINÆ EXCELLENTIA EXCELLENTISSIMIS

FACTORUM MAGNITUDINE MAGNIFICIS

DN. WOLDERO SCHELIO

DN. LUCÆ VON BOSTELN

DN. JOHANNI HENRICO SIMONIS

HOCCE PRO

SPLENDORE NOMINUM TANTORUM

MINIME OPULENTUM

AT PRO TEMPORE

FACULTATEQUE CONSECRANTIS EXIGUA

HACTENUS OPIMUM

PROQVE

AFFECTU DEVOTISSIMO

SPEQVE MELIORUM CONFIDENTISSIMA

INSTRUCTISSIMUM PLENISSIMUMQVE

OMNIS NON INERTIS NEQVE PAUPERIS VOLUNTATIS

DONARIUM

SACRUM ESTO.

VOS

FULCRA

FORI ET CURIÆ

ORNAMENTA

REIPUBLICÆ PATRIÆ

IMPERIIQVE NOSTRI

EUROPÆ IMO TOTIUS

QVA

LITERATÆ ATQVE CHRISTIANÆ

AGNOSCIT SUSPICIT

DICIT CLAMAT

VOX

NON TANTUM EXILIS MEA

VEL POPULI SOLIUS

QUANTUM FAMA PUBLICA

GRATIAQUE MAGNATUM

DOMI FORISQUE PARTA

PROBANT CONFIRMANT PRÆDICANT

INPRIMIS VERO

FACTA FAMÆ VICTRICIA

OSTENTANT COMMENDANT PERPETUANT

TOT NEMPE

CONSILIA CONSULTISSIME DATA

NEGOTIA DEXTERRIME EXPEDITA

LITES SENTENTIIS ÆQUISSIMIS

COMPOSITIONIBUSVE AMICISSIMIS

FELICISSIME TERMINATÆ

TOT

TOT
LEGATIONES PUBLICÆ
AD
SACRAM CÆSAREAM MAJESTA-
TEM
POTENTISSIMOS REGES
CELSISSIMOS ELECTORES
ILLUSTRISSIMOS PRINCIPES
FLORENTISSIMAS RESPU-
BLICAS,
DIFFICILES PARTIM ET INEXPLICABILES
SOLENNES ALIÆ AC HONORIFICÆ
OMNES PARI
FIDE CONSTANTIA GRAVITATE
SOLLICITA MASCULA PRUDENTE
INTEGRE GRAVITER SPLENDIDE
AD
UTILITATEM PATRIÆ COMMUNEM
GLORIAMQUE IMMORTALEM VESTRAM
SUSCEPTÆ OBITÆ EXPEDITÆ

VOS

VOS ITAQUE
PATRONI MEI TANTI
ACCIPITE QUÆSO
IN TUTELAM VESTRAM
JURISCONSULTUM HUNCCE PERFECTUM
IDEA PHILOSOPHICA QUALITERCUNQUE CONCEPTUM
AT PERFECTIUS LONGE
EXEMPLO VESTRO VIVO
QUAM
OPUSCULO MEO HOCCE MORTUO
REPRÆSENTATUM
AGNOSCITE IN EO REGULAS INTERPRETANDI
TAM REGULARITER VOBIS ET ARTIFICIOSE
PRIUSQUAM HANC ARTIS FORMAM INDUERENT
OBSERVATAS EXERCITATASQUE
RESPICITE AUCTOREM INDIGNUM
ANIMO VULTUQUE VESTRO
NON QUIDEM AMPLIUS ILLO FAMILIARI
QUO FOVEBATIS VETEREM OLIM
ÆTATE PARTIM ET CONDISCIPULATU ET AMICITIA ÆQUALEM
QUOD IMPIE NUNC PETEREM ATQUE PROTERVE
SED BENIGNO FAVENTE DIGNOQUE
EMINENTI NUNC SUBLIMITATE
ORDINIS VESTRI ATQUE LOCI
QUAM VOS
DIVINA NUMINIS GRATIA
MERITAQUE VESTRA EXTULERUNT
SUPER APPLAUDENTEM
INCREMENTAQUE OMNIGENA EX ANIMO APPRECANTEM
FELICITATI VESTRÆ ET IN EA PUBLICÆ SUÆQUE
HUMILLIMUM CLIENTEM VESTRUM
VINCENTIUM PLACCIUM.

I. N. J. C.



I. N. J. C.

PRÆFATIO EDITIONIS PRIORIS.

BENEVOLO LECTORI.

S. P. D.



Um primum à ſtudiis, tum iis quæ ab humanitate nomen ſunt ſortita, tum iis quæ certiorem nobis ac penitiorem rerum notitiam pollicentur, ad Juris Civilis condiſcenda præcepta me convertiſſem, parum abfuit, quin conſilii mei contemptor, idem protinus facerem, qvod multis aliis, & in hiſce nonnullis etiam celebrati & ingenii, & nominis Viris cognoveram factitatum. Qvorũ bene multi jam ad interiora Themidis adyta admittendi, è primo ſtatim introitu, ſeu auguſtiſſima Deę Majeſtate perculſi, ſeu ſeveritate ſacrorum, ritualiumve librorum obſcuritate nimia offenſi, pedem vel ad late patentes, ac amœna undique florum varietate blandientes Muſarum campos, vel ad umbra ſecreta ſuaviter vernantes earundem lucos, & interſita minoris venerationis delubra, referre, neq; impoſterum efferre maluerunt. Etenim in hoc ſtudio, quod adeo mihi in facili fore credideram, eas difficultates offendebam, quibus ſuperandis ingenii mei nervulos neutiquam ſuffecturos eſſe ſerio verebar. Quippe quæ primo ſtatim intuitu ſeſe mihi offerebat tam vaſta, tamque immenſa, ac tantum non infinita legum multitudo, eam etſi ſoli huic operæ vitam omnẽ impendiſſem, (id quod tamen à genio meo num-

b qvam

quam impetraturum me præsciebam) nihilominus memoria me compræhensurum haud esse, optime intelligebam. Præterea hæc tot obscuritatibus, ambiguitatibus, exceptionibus, contrarietatibus, correctionibus, aliisque imperfectionibus, denique arbitrariis hominum mutationibus quibuslibet subjectarum sanctionum, toties repetenda lectio, nauseosa magis mihi videbatur, qvam qvæ vel imaginandi vim jucunditate, vel Intellectum certitudine (sit venia voci) objectorum nutriti assuetum, ulla delectatione afficere, affectum diutius retinere posset. Sed huic quidē tædio devorando jam me preparaveram: & memoriæ nativæ defectum, ordinatione apposita ediscendorum, & collectione, atq; annotatione sedula, si non perfecte, at saltim maxima ex parte sublevandi spem bonam conceperam. Neq; si quid hac in parte mihi deesse paterer, vitio id tantopere vertendum mihi judicabam. Tum quod hanc ingenii partem, & minus nobis propriam, & inæquabiliter ad modum a natura distributam, ac puerili magis, quam adultiori ætati indultam, minori & laude, & vituperio prosequendam rebar. Tum quod *scire leges, non esse verba ipsarum, sed vim, ac potestatem tenere*, a Celso edoctus, posse me subtili & accurata interpretandi dexteritate acquisita, defectum priorem abunde compensare arbitrabar. Cæpi itaque in hoc omnem meam collocare industriam: ut sin minus multas leges memoriæ affigerem; attamen quarumcumque oblatarum veros, & genuinos sensus, & ad casus applicandi rationes sedula curiositate indagarem. Verum & in hoc cursu vix dum incalueram, cum longe major atq; ulla umquam

lassitudo

lasſitudo me invaſit. Videbar nempe mihi neſcio in quem Labyrinthum delatus, in quo omni Ariadneo filo deſtitutus, neque exitum, neque viam certam reperiebam. Sive enim publicas Diſputationes auſcultabam, ubi optimis Magiſtris vel aſſidentibus, vel præſidentibus, non multo ipſis indoctiores æſtimati diſcipuli, de juris variis partibus diſceptabant: inter clamores illos ad faſtidium usque contentioſos, qui ſæpenumero cum utriusq; partis indignatione finiebantur, nihil crebrius auditum mihi memini, quam voces controvertentium: Hæc lex pro me: immo pro me: & ſæpiſſime mihi qua poteram attentione legem conſideranti, videbatur eſſe pro neutro. Jam ſi ad vaſta illa ſummorum Doctorum volumina accedebam, aliquod in re adeo ancipiti inde oraculum petiturus: id quod ſolebat antiquitus, Delphos euntibus contingere, longe quam adveneră incertior revertebar. Nam & quæſtionem nullam, quæ vel tantillum dubii haberet, inveniebam, quin utramq; in partem auctores plurimos ſortita eſſet. Et in legibus adducendis, eam videbam inconſtantiam, & temeritatem, etiam in primis ac præcipuis Doctorum: ut non modo alii aliorſum, ſed iidem in diverſa, & contraria, certe maxime diſſimilia eandem legem, obtorto quaſi collo traherent. Præcepta etiam ipſa interpretandi, & a pauciſſimis congeſta inveniebam, & maximam partem non niſi auctoritatibus probata, quibus tamen nihil non defendi poſſe obſervaveram. Hiſce ita perſpectis, multum animi diverſus, modo cepta deſerere, modo quæ tantæ incertitudinis in nobiliſſima hacce doctrina cauſſa eſſet, cogitare cœpi.

Cumque hoc agerem, notavi mihi plerosque, ac tantum non omnes eos qui ad juris interpretationem accesserunt, tamquam ad rem facilem, & exigua animi intentione penetrabilem, nullam definiendi, & quæ in ea maxime fundatur, demonstrandi scientiam, & exercitationem attulisse, quinimo plerosque, tamquam tetricæ nimis subtilitatis, atque superfluæ futurum hoc studium contempsisse. Non possum, quin in confirmationem horum adscribam Johannis Nevizani verba, quæ in sylva Nuptiali ipsius lib. 1. n. 171. & seq. talia leguntur. *Et etiam solemus dicere, quod qui nescit diffinire, & distinguere, nescit disputare. Ego tamen non intendo diffinire. Quia diffinitio est propositio substantiæ propriam qualitatem comprehendens. 2. Metaph. refert* Bald. *in proœm. decret.* Boschinus *in rub. de constit. in fin. col. 26. Et* Philosophus *in Topicis dicit, quod diffinitio est, quæ quid est esse significat: ubi* Cic. *chart. 3. dicit, quod est oratio, quæ id quod definit, explicat quid sit. Et ideo laboriosa. Hinc dicit* Jo. Garonis *in rub. de caus. pos. & proprie. char. 30. diffinitiones sunt fastidiosæ: quare etiam peritissimi nescieverunt diffinire. Et propterea dicimus, quod omnis diffinitio in jure periculosa est, parum est enim ut non subverti possit. l. omnis def. de R. I. &c.* Quæ cum ita se habere viderem, in mentem mihi venit præceptorum, quæ modo magno cum labore ex Analyticis Aristotelis addidiceram. In quorum memoriam revocatus, in eam me induci spem passus sum: ut non operam adeo omnem lusurum me autumarem, si secundum ea, quæ illius scientiæ imbiberam elementa, principia aliqua mihi formarem, quibus utens, certam ad rationem interpretationes meas in jure quotidie necessarias revocarem. Neque vero mediocriter cæptum hoc meum promovit, quod in primis illis juris auctoribus, quorum fragmenta Digestis nostris originem dedere, interpretationes

maxi-

maxime concordes, & iisdem rationibus, optimiſque innixas fundamentis, propemodum omnes inveni: adeo ut ea ferme ſola exempla probe conſiderata, & examinata, conſtituendis hiſce meis univerſalibus Regulis ſuffecerint. Et hac tandem ratione nata mihi ſunt hæc qualicunque interpretandi præcepta. Quæ jam aliquamdiu in abditis muſei mei delituerant, æterna fortaſſis nocte premenda, niſi vel vitio generis humani ductus, vel judicio meo parum confidens, án aliis æque atq; mihi iſta probarentur ſcire avidus, amicis quibusdam, qui tamen & ipſi demonſtrandi præcepta non plane contemnebant, legenda iſta, diſſimulato auctore, commodaſſe. Hi cum manifeſtis ſuis approbationibus, (nam vel ipſi ea deſcripſerant, vel aliis deſcribenda dederant,) confeſſionem induſtriæ meæ mihi extorſiſſent, ne publicæ luci iſta inviderem, haud perfunctorie rogare cæperunt. Multa me movebant, ut hoc ipſis negarem. Nam & imperfectum opus, & rudi deſignatione adumbratum, publico, hujus imprimis tam arguti ſeculi judicio exponere, nimium quantum & temeritatis, & periculi plenum mihi videbatur. Neque tamen otium ad perpolienda illa, & perficienda ſuppetebat. Accedebat quo non minus permovebar. Quod nimirum neceſſaria multoties, a receptis & communi omnium ore jam quaſi extra errandi ſortem poſitis Doctoribus diſſenſio, quam interdum apertam etiam profitendam, imo cum confutatione coniungendam fore prævidebam: invidiam mihi, ac ſubſannationes omnium atque infectationes, tamquam ambitionis, & contendendi ſtudio dedito paritura videbantur.

 Laudem

Laudem vero quæ hæc compensaret, aut exiguam, aut nullā mihi promittere audebam. Tamquā qui ipsius opusculi imperfectionem penitissime noveram, & præterea verissimum jam in aliis expertus eram Aristotelis effata, quod 1. Metaphys. cap. ult. extans, etiam hic legi meretur. *Αἱ δ' ἀκροάσεις κατὰ τὰ ἔθη συμβαίνουσιν. ὡς γὰρ εἰώθαμεν, οὕτως ἀξιοῦμεν λέγεσθαι. καὶ τὰ παρὰ ταῦτα οὐχ ὅμοια φαίνεται, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀσυνήθειαν, ἀγνωστότερα, καὶ ξενικώτερα.* & paulo post, *οἱ μὲν οὖν ἐὰν μὴ μαθηματικῶς λέγῃ τις, οὐκ ἀποδέχονται τῶν λεγόντων. οἱ δ', ἂν μὴ παραδειγματικῶς. οἱ δὲ μάρτυρα ἀξιοῦσιν ἐπάγεσθαι ποιητήν. καὶ οἱ μὲν πάντα ἀκριβῶς. τοὺς δὲ λυπεῖ τὸ ἀκριβὲς, ἢ διά τὸ μὴ δύνασθαι συνείρειν, ἢ διὰ τὴν μικρολογίαν. ἔχει γάρ τι τὸ ἀκριβὲς τοιοῦτον. ὥστε καθάπερ ἐπὶ τῶν συμβολαίων, καὶ ἐπὶ τῶν λόγων, ἀνελεύθερον εἶναι τισὶ δοκεῖ.* Hoc est, Bessarione interprete. (*Auscultationes autem secundum consuetudinem accidunt. Quemadmodum enim consvevimus, ita judicamus dici debere, & quæ præter hæc* consueta dicuntur, ea *non apparent similia, sed quia consuetudini sunt contraria, ignotiora, & magis peregrina* videntur.) & paucis interjectis, (*Aliqui igitur nisi Mathematice loquentem non admittunt. Quidam vero non nisi exemplis utentem. Alii testem Poetam produci debere autumant. Nonnulli etiam certa omnia volunt. Alios vero tædet certitudinis, vel quia non possunt assequi*, & una ita procedere, ac ratiocinari, *vel propter nimiam curiositatem, seu* minutissimorum persecutionem, *Habet enim certitudo tale quid. Unde sicut in contractibus, sic & in orationibus*, immo in ratiocinationibus, *illiberale quid esse* (quod Scholasticum vulgo dicunt) *quibusdam videtur.*) Hactenus Aristoteles. (*a*) Hæc cum ego vere omnia etiam hac in

(*a*) [*Cujus loci paraphrasin non inelegantem, vide apud* Lud. Vivem, *de caussis corruptarum artium libro 5. in principio.*]

in parte dicta esse perspectũ haberem, perpetuis tenebris hęc mea meditata damnare persistebam: tamquam quæ & in suo genere parum accurate concepta, & a communi in jure scribendi ratione (ubi in omnia alia omnes abire cernimus) remotissima, subtilitate sua, fortassis ne sibi quidem ubiq; satis cohærente, certe plerisq; omnibus suapte natura fastidita, contemptum potius, & vituperium incursura, quam consensum, ac laudem eruditorum quorumvis impetratura mihi prædicebam. Sed & illi instabant, & rationibus non paucioribus excusationes meas eludebant. Videlicet cum non omnibus ex furno lacuve redeuntibus hæc scriberentur: eruditos, & scientiarum naturam callentes, etsi eorum numerus ad paucos recidisset, numquam tamen plane defuturos, qui suo in pretio hunc qualemcumq; conatum essent habituri: recte dicta ingenio, atq; industriæ, cætera tempori, locove, vel humanæ sortis fragilitati imputantes. Neque metuenda mihi odia recte sentientium, si sine affectu veritati suum locum defendissem. Calumniatoribus vero quoquo loco sim, & indiscretum mihi, & innoxium habendum. Denique hoc quantulumcumque mihi excogitatum in commune, jure humanitatis reipublicæ litterariæ proprio, conferendum afferebant. Et quamvis exiguum idipsum in se spectatum mecum affirmarent, nihilominus tale illud esse, quod advertendis felicioribus aliorum ingeniis, ad majora in eo genere excogitanda, abunde sufficeret. His atque aliis, quæ meus mihi animus præterea dicebat, vinci me passus, hasce qualescunque interpretandi regulas, meos in


usus

usus conscriptas, ipsorum arbitrio commisi. Quibus auctores adjunxi eos, qui sponte se offerebant, idque sine amore atque odio, cujus caussas procul me habuisse in omnibus, sive laudatis, sive reprobatis sancte testor. Cumque nulla me parte otii mei magis abuti crederem, quam quod colligendis, vel idem vel diversa a demonstratis jam nobis dicentibus auctoribus impendebam; & tamen hoc obstinatæ multorum pervicaciæ, qui alioqui regulas hasce nullo modo erant agnituri, dandum viderem, putavi me veniam mereri, si quo supersedere labore penitus non poteram, eo negligentius aliquando essem defunctus. Nolim etiã dictionis partes singulas ad Criticã amussim exigi, culpæque nostræ imputari, si primo recte formandis, deinde & exprimendis conceptibus intenti, significatus quosdã vocum, etsi Augusteo ævo fortassis ignotos, in Scholas tamen Philosophorum jam olim admissos, proscribendos inde non censuimus. Denique si qui præterea errores, in hisce, quæ in summa temporis, ac tranquillitatis penuria, peregre existens, privatis meis usibus in chartam conjeci, relicti supersunt, eos Tu B. L. æquitate tua excusabis, quos ipsemet

Emendaturus, si licuisset, eram.

Vale, & promissa, cum aliis ad diversa scientiarum genera pertinentibus, nisi præsentia improbaveris, propediem expecta.

Dab. Viennæ Austriæ 1662. Kal. Nov.




I. N. J. C.
AD LECTOREM BENEVOLUM PRÆFATIO hujus Posterioris Editionis.



Nnus *jam* agitur a tricesimo primus, quando ex *Alma* Lipsiensi Academia Viennam *Austriæ*, *Consilio meorum magis quam meo*, delatus; *a litteratorum omni consortio, & librorum lectione, per infirmitatem corporis longinquam, & tædiosam, semotus*, primas *hujusce* JCti perfecti lineolas ducebam, *Revocatis nempe in memoriam illis, quæ* biennio ante, ab illustri FELDENO, Affine meo piæ memoriæ Honoratissimo, *in prædio ipsius Neukirchensi, menses aliquot, exacto in Academia Julia Novitiatus anno, me tenens, una cum aliis audita mihi notaveram, ex ore disserentis excerpta; pauca quidem, at ea principiorum fertilitate fœcunda: ut vix* septem paginæ *solæ, toti* huic Tractatui fundamentum præstarent. Nam qood excusum, Johannis EICHELII de Interpretatione *scriptum, suo loco sæpius memorandum, hisce sociabam, idipsum etiam una* eidem Auctori, *iisdemque hisce principiis* deberi, *non ignorabam. Exinde itaque meum hoc opusculum, meis solius usibus serviturum, adversus eas, quas* prioris Editionis præfatio, *menti meæ observantis tunc temporis difficultates indicavit, adornaveram. Unde* qualiter ad publicam editionem pervenerit, *ejusdem memorata modo præfatio pluribus* enarrat *Quibus hoc* unum, *tunc temporis necdum oportune satis memorandum*, addere habeo. *Quod cum occasione Bibliothecæ, inclytæ Nationis Germanicæ, Legistarum, uti vocatur, Patavinæ, mihi Bibliothecario illius primum, dein & Consiliario jugiter patentis, Doctorum testimonia essent, regulis partim interpretandi meis, & Opusculi hujusce partibus reliquis, prout obvenerant, ad marginem adscripta: excusis jam aliquot foliis Inquisitori Patavino demum a Typographo exhiberentur. Is vero confestim Hottomannum, Hunnium,*

um, Zasium, & alios summi nominis JCtos expurgatoris indicibus pontificiis in prima classe prohibitos, expungendos imperabat, alioquin editionem libri nullo modo permissurus. Male habebat ea res Bibliopolam. Quin ne sumtus excusorum jam foliorum, perderet: nomen auctoris juxta & loci, editoris & typographi, *maluit, ea qua factum est, ratione* dissimulare. *Ut nempe meum* Vincentii Placcii Hammopolitæ, *sub Anagrammate* Nomici Pacemuti Analyticophili, *Typographi vero nomen sub eo, quale nulli Augustæ quidem unquam fuit, occultaretur. Et de meo quidem premendo, jam ante consilium agitaveram, cujus ne nunc quidem pœnitet. Postquam &* honestissima nominis occultandi ratio illa, & laudabilis maxime *judicata,* Auctori Anonymo, *at mihi publiceque satis noto,* Clarissimo BAILLETO *p.*176. des Auteurs degvisez, *insignem adeo mihi* facultatem præbuit, *instar Apellis pone Tabulam,* judicia summorum Virorum propriis auribus excipiendi, *insecutis per Gallias, confœderatique Belgii, & Germaniæ Provincias deinde aliquot peregrinationibus. Ubi parum etiam abfuit, quin Parisiis commoranti, Testimonium perhonorificum publicum, ex Eruditorum Diario, per Dn. Hedovillium, illud tunc curantem, accederet: nisi ejusdem interruptio notoria, ob offensam Aulam Pontificiam, importune id prohibuisset. Cujus locum interim expleat, Aurelianensis Academiæ JCtorum,* Disputationis Inauguralis titulo Breviarium Opusculi *approbantium auctoritas. Et quamvis raritas exemplarium, (orbe Christiano bellis tunc ardente, per maritimam exportationem extra Italiam distrahi prohibitorum) summa, publicas alias libelli commendationes nostratium penitus inhiberet; nisi quod unius* Johannis Georgii KULPISII, *Viri de facie nunquam, de fama Eruditionis atq; Prudentiæ multum mihi noti,* laudes *etiam tulit,* Collegii Grotiani lib. 2. C. XVI. *tamen non eo minus ampla mihi testimonia, imo* documenta, æstimati *hujus, supra quam expectaveram,* opusculi *sunt data. Siquidem Jurisprudentiæ solidioris amatorem* non unum, *partim* excerpendo, *partim* in Tabellas redigendo, *partim etiam* describendo, *sibi libelli non venalis usumfructum comparandum censuisse, pro certo* comperi, *vel*



oculis adeo meis conſpexi. *Neque tamen vel eo me induci adhuc patiebar, ut domum redux, editionem illico ſecundam feſtinarem. Quin potius occaſionem mox nactus*, cum *laudato ſuperius* Affine meo FELDENO, Principis Anhaltini Conſiliario tunc, & Legato, *cui exemplar recens a prælo illico transmiſeram*, ſermones deſuper *conferendi, quorum & Additione* IV, *mentionem feci: rogare non deſtiti*, ut *tam dignum ſua ſolertia* argumentum *abſolvendum, & qualiter ex ipſius mente cœpiſſem*, conſummandum *regulis auctioribus, & ordinatioribus*, ſibi ſumeret, *atque publicaret. Nec alia* ſpe, meos hoſce conatus, quaſi pro derelicto *ſequentibus annis aliquot* habui. *Præſertim ex quo ipſe, depoſita cum mortalitate Domini ſui mox functione Aulica, ſuam in prædio Neukirchenſi ruſticantem equidem, at minime ruſticam Academiam redintegraret. Omnium vero maxime in hoc propoſito, relinquendi hanc Spartam primo ſuo Conditori, excolendam ulterius, & exornandam, me* confirmabat, transmiſſum decennio tantum non, antequam *publice* prodiret, *integro*, Mſtum exemplar operis *poſtea* Helmeſtadii *A. 1689. in 4to* excuſi, *titulo*, JOHANNIS von Felde/ *Philoſophi & JCti*, Tractatus de Scientia Interpretandi, cum in genere omnes alias orationes, tum in ſpecie Leges Romanas. Opus quinquaginta, & quod excedit annorum. *Erat illud exaratum ſatis nitide, manu propria transmittentis, Filii Dn. Auctoris natu minimi*, Conſobrini mei chariſſimi, HENRICI ADRIANI von Felde/ jam tum honoribus in Philoſophia, & Jure Academicis ſummis digniſſimi. *Conſtabat* paginis *ultra* ſesquimille: *quarum priores hæc habebant* capita *titulo*: De Ordinatione Politica. Policey-Ordnung. *Subjuncta Cap. I. De* Fine Ordinationis Politicæ, & hujus partibus. *Cap. II. De* Legibus, harumq; uſu. *III. De* Statutis. *IV. De* Interpretatione legum. *V. De* Interpretatione Explicativa. *VI. De* Definitionibus, & ſignificationibus propriis vocum quærendis. *Sequebatur* de Syntaxi, & *reliqua* Gramatica, Rhetorica, & Logica doctrina Interpretandæ Orationis, *tum internæ, tũ externæ fundamenta generaliſſima præbente tractatio tota, poſtmodum impreſſa: Ordine partium tamen, hinc inde, ut*

& *aliquibus aliis paucis, immutatis, interpolatis, aut omissis. Inter quæ posteriora quidem, notabilis apprime, plusquam* ducentarum viginti paginarum, *a pag.* 1358. *incipiens*, index alphabeticus verborum *omnium sub* τῷ πράττειν *contineri visorum, philosophice consideratorum*, usq; ad *verbum* lætari. *Quorum omnium* nihil apparet in impressis. Ad *quorum* paginam 823. in medio propos. V. probl. V. desinebat *totum hoc* Mstum; *desiderium sui complementi eo mihi relinquens ardentius, quo magis* inexcultæ *adhuc* partes, & *maximi ad Legum Interpretationem momenti, proximiq; usus*, desiderabantur. *Quas tamen frustra postmodum aliquoties per litteras expetivi*, spe *imminentis propediẽ* editionis *semper interim facta. Quæ tamen* ultra decennium *adhuc* dilata, *diutius forte etiam differenda; si non omnino* deferenda tandem *fuisset*, nisi *meo instinctu* Nobilissimus & Consultissimus Dn. HELVICUS SYLM J.U.L. Amicus meus plane singularis, copiam exemplarium *sociatim una mecum, anticipata Typographo pecunia, notabilem* redimens, *obstetricantes tam difficili partui manus commodasset. Ita factum, ut impresso tandem Opere, quale nunc publice prostat, potiremur. Quo inspecto, notavi statim* resecta capita priora *superius memorata* quatuor integra, *ut postea cognovi, tantum* in speciem, & legitimam deceptionem (*quales* Clariss. CHRISTIANUS WEISIUS in oratione sua Statistam Scholasticum exhibente, *pluribus commendat*) *Auditorum antequam Grammatica, Rhetorica, vel Logica didicissent, ad praxin juridicam, & interpretationem addiscendam properantiũ, prætexta. Quod vero, post abruptum Msti mei finem*, de specialibus Juris Interpretationibus, *expectaveram Operis tam curiosi curiosissimum explementum; eo plane* me frustrari, *plurimum sane* dolebam. *Etsi quemadmodum* Excellentissimus DN. CHRISTIANUS THOMASIUS, *libero æque ac liberali* judicio, cogitationum suarum rationabilium, & legitimarum, de libris *noviter* mense Decembri 1689. editis pag. 1027. *ex vero ingenue scribit: loco expectandorum hic præceptorum interpretandi jura universalium, scientifica Methodo dispositorum, ac soliditate Feldeniana demonstratorum*; alia

equi-



equidem egregia, sed diversi plane saporis fercula exhibeantur. *Sive jam illustris Auctor, hac in parte sibimet ipsi nondum ad exoptatam usq; accurationem ex voto satisfecerit, aliis fortassis satisfacturus omnibus: sive occupatum mihi olim argumentum, (quod jure tamen summo, tanquam ex debitis sibi principiis derivatum, utique potuisset,) suum facere, noluerit.* Hoc *certe hac sua prætermissione horum præceptorum* effecit: ut mea non ulterius pro derelicto habenda; sed elaboranda, *quantum pote, plenius, mecum plane* determinarem. *Neque vero post tanti temporis expectationem, cunctandum ultra multum ratus, illico* manum operi admovi. *Quo & gratiam adhuc novitatis habenti Scripto* Feldeniano, *meum hoc tenue* additamentum *succenturiaretur: & vivo etiamnum Auctori, Operis principalis* accessorium *hoc, qualiter vellet, tractandum ac emendandum offerri posset. Sic igitur nata est præsens*, tricennali spatio pressa, secunda JCti perfecti *mei* editio: *imperfectior etiam nonnihil, ipsa hac, partim procrastinatione, desperatæ spei Feldenianæ consummatioris elaborationis; partim insecuta illam maturatione facta.* In ea *concinnanda* sum versatus ita, *ut* 1. immutarem paucissima. 2. omitterem plura, *neque tamen adeo multa.* 3. adderem plurima, parenthesibus angulatis *utrinque* [ ] *initio & fine distincta: ne senilia pro juvenilibus venditando, aliquid ostentationi dedisse viderer. Quæ* distinctio, in Syntagmate *regularum falsarum refutatarum* neglecta, per Typographi culpam, *vix memorari adeo hic mereretur: nisi allegati aliquot auctores, editionis prioris tempore necdum editi, Lectorem suspensum admiratione mihi non quæsita, tenere alioqui possent. Cæteroqui enim, ut in editione priori, sic & in hacce præsente* citationum haud *æque*, fateor, fuisse me curiosum. *Quas alioqui vel ex solius* Ottonis Philippi ZEPPERI Cynosura legali, *nedum tot aliis insuper, licuisset in immensum augere. Sed præterquam quod talibus, per alios facile supplendis, otii mei, viriumque copiam exiguam, recte satis haud impendi, judicabam; editionem hancce, dictis modo de caussis maturandam, eapropter etiam sufflaminare non sustinebam. Et tamen etiam ita properanti* evenit *interim, quod minime*

 opta-

optabam. Ut sudante *nempe* sub extero, & gemino *quidem* prelo editione, Illustris Affinis meus FELDENUS anno superiori vitam cum morte commutaret; *immortalitate nominis hic tamen ea relicta, qua per gloriam, dum honos litteris fuerit, indubitato sit victurus. Dolui hoc merito, tum hujus mei nunc prodeuntis Opusculi ergo, tum alis etiam gravioribus de causis. Interq; illas ea propter etiam, quod edenda tot Viri scripta, posthumorum nunc non æqua semper fata, coguntur experiri. Eorum dum a Filiis pie defuncti Auctoris plenum indicem expecto, quæ penes me sunt, Msta, Tibi, B. L. editioni etiam, qua poteris, promovendæ communicanda, subjuncto indiculo designata dare, non inopportunum duxi. Quod superest* Benignitati Divinæ gratias *hic, quantas animi mente intima concipere licet, exquisitissimis, humilitate humillima, nunc publice nuncupatas volo, ob publicandis hisce opusculis vires in imbecillitate continua sufficientes, tam clementer indultas. Huic æternæ, solique perfectissimæ Bonitati, quemadmodum omne, quidquid his inest boni, acceptum unice fero; quidquid imperfectionis & mali surrepsit, invito ac inscio partim, hoc totum meæ agnoscens culpæ, deprecansque: sic ab Omnipotente illius largitate munificentissima, munerationem largissimam hanc ultra supplex contendo, speroque. Ut cui fini destinata hæc est a me tota scriptio, eidem illam ab omnibus etiam Lectoribus destinari, & adhiberi feliciter concedat, adjuvetque. Gloriæ videlicet nominis sui, per Interpretationem imposterum Jurium omnis generis accuratiorem indies, accedentibus ad hæc, imo superantibus hæc mea, longe melioribus aliis aliorum cogitationibus, faciendam. Interim ne cujusquam offendiculo, nedum corruptelæ, per sinistram usurpationem ullam, hæc mea tam imperfecta rudimenta, perficienda per ingeniosiores, & dociores, aut omnibus modis aliis meliores animas, aptioresque, & capaciores hujus artis, ullatenus cedant! Sed per notitiam sui JCtos a Legumperitis, aut Legulejis, per usum optimum a cavillatoribus, calumniatoribus, rabulisque secernant. Conscientias Advocatorum æque ac Judicum firment, atq; tranquillent. Omnium deniq; Lectorum animos erga tenuitatem infirmissimam meam, taliter disponant: ut quod enixè singulos & universos rogatos etiam atque etiam nunc volo: nemo non eorum studiis hisce meis, plurimum favere, commissis erroribus indulgere, ac meliora substituere, bene dictis rectius uti, gratiisque apud Deum precibus pro mea intercedere imbecillitate strenue allaboret; Quemadmodum ego unicuique optima quævis, ac felicissima, in nomine JESU CHRISTI, ex animo nunc apprecor, & nunquam non fideliter apprecabor.* Vale *L. B.* & fave. *Dabam* Hamburgi 1693. *die* 7. *Februarii,* natali meo quinquagesimo secundo.

INDI-




INDICULUS MANUSCRIPTORUM PENES ME EXTANTIUM EDITURISQUE COMMUNICANDORUM OPERUM ILLUSTRIS DUM VIVERET PROFESSORIS PRIMUM IN ACADEMIA JULIA CONSILIARII DEIN PRINCIPALIS INTIMI ANHALTINI JOHANNIS VON FELDE

Affinis mei, atque Præceptoris honoratissimi.

---

1. ANalysis *Ethicorum* Nicomachicorum *Aristotelis.* (instar Politicorum impressorum ejusdem.)
2. *Rhetoricorum* Aristotelis.
3. *Annotationes in Tacitum*, & *propositionum* ad Philosophiam Practicam, & artem militarem pertinentium *Loci communes* sub titulos redacti.
4. De *Locutione emendata* Tractatus.
5. In *Topica Aristotelis commentarius*, exemplis Juridicis meris illustratus.
6. Compendium *Dialecticæ.*

7. *Ana-*




7. *Analyticæ*, cum notis ad Posteriora Aristotelis Analytica perpaucis, at exquisitis.
8. *Sophisticæ.*
9. *Metaphysicæ.*
Prolegomena, & connexiones Titulorum *Juris* universi.
10. *Commentarius ad Institutiones* Juris.
11. *Elementorum Juris excerpta* contractiora.
12. *Commentarii* ampliores. Quorum utrisque, impressorum quæ desunt, pleraque possent suppleri.
13. *Geometriæ scientifice adornatæ initium.*
14. *Compendium Astronomiæ.*
15. *Geographiæ.*
16. *Sciatericæ* artis.
17. *Astrologiæ*, qua ipsius Auctoris genitura in exemplum exhibetur.

Conradus DANHAUERUS Hermeneuticæ sacræ p.348.

Nimium librorum hactenus editum est: sed minimum eorum, qui adhuc juste desiderantur.

I. N. J. C.




I. N. J. C.

LEMMATA

Capitum, Paragraphorum, Additionum,

totius operis argumentum exhibentia.




ſin-







4. De



XIV. De





DE



De JURISCONSULTO PERFECTO IN GENERE.

Caput I.

Propositi Ratio, & Methodus indicatur. JurisConsulti Definitio per Platonicam, & Aristotelicam viam, eadem indagatur. Homonymia vocis exponitur, & in quonam summa sit JurisConsulti ponenda Perfectio ruditer adumbratur.

SUMMARIA.

1. *Demonstraturum quid de re aliqua, eandem in perfectissimo gradu considerare debere, rationibus & exemplis probatur.*
2. *Propositum & scopus disputationis indicatur.*
3. *Quod sit indaganda Juris Consulti definitio.*
   Additio I. præmonitoria, *de sequentibus hujus Capitis.*
4. *Platonica via quærendi definitiones quæ sit, & quod hic ineunda.*
5. *Juris Consultus est aliquis versans circa leges.*
6. *JCtus versatur circa leges latas, non ferendas.*
7. *JCtus non est qui versatur circa leges saltim vivendo secundum eas.*
8. *Nec etiam judicando juxta ipsas.*
9. *Nec postulando.*

10. Nec memoria ſolummodo eas tenendo.
11. Sed interpretando easdem.
12. Idque ex habitu.
13. Ariſtotelica definiendi ratio tentatur: qua aperit homonymiam vocis.
14. Homonymia conſideratur, & dicitur JCtus eſſe legum interpres, remotis reliquis ſignificationibus.
15. JCtus eſt legum qua legum interpres.
16. Plena JCti definitio, cum ſuperiore coincidens.
17. Perfectio JCti in propria ipſius virtute, adeoque in eſſentia, ejusque partibus eſt poſita.

I.

Demonſtraturum quid de re aliqua, eandem in perfectiſſimo gradu conſiderare debere, rationibus & exemplis probatur.



Cientia omnis, proprie quidem ita dicta, ſeu quæ noſſe rem faciat per cauſſas ſuas, & quod illæ ſint cauſſæ, de iis ſolis rebus eſt, quarum naturalis aliqua eſt inter ſe invicem ad una exiſtendum, & hinc una ſe cogitationi noſtræ ſiſtendum, convenientia, vel diſcrepantia. Quæ ſi cum Ariſtotele loqui velis, proportio, ſive λόγος, τοῦ ὑπάρχειν ἢ μὴ ὑπάρχειν (*ratio quod ad
2. ineſſe, vel non ineſſe.*) Circa ea vero, quæ fortuito, vel ex mero & nudo hominum arbitrio ineſſe invicem ſibi ſtatuuntur, atq; cohærere: utpote certis ſuis principiis, atque cauſſis neceſſariis, (ſine quibus non niſi Sophiſtarum in morem ſcimus,) deſtituta: nullam demonſtrationem, vel ſcientificam cognitionem dari, conſtat omnibus, qui vel primis ſaltim labris Analyticam ſcientiam deguſtarunt. Quinimo ab ejusdem primo auctore Ariſtotele, quem propterea ſcientiarum methodice adornatarum auctorem primum, & Logicarum præcipue Principem merito dixerimus,
3 id egregie docetur. (a) A quo tum hæc, tum alia ex genuinis ſuis principiis rite demonſtrata, tamquam indubia, ubi uſus exegerit, modo additis, modo demtis probationibus adhibebimus. Idque non auctoritate, ſed argumentis ejusdem moti: & quod hac ratio-

(a) *1. Poſter. c. 2. & 25.*

ratione non prolixitatis solummodo tædium, sed & novitatis, si
qua in parte a receptis hodie opinionibus recesserimus, crimina-
tionem effugituros nos speramus. Nunc ex hoc posito illud tan-
tum deductum volumus. Videlicet hanc esse caussam, cur na- 4
turam rei speculando investigaturi, ac adeo vel definitione saltim
dialectica, nedum accurate philosophica repræsentaturi, & ex ea
cognita affectiones, seu quæ insunt rei qua tali, deducturi; perfe-
ctissimum, & optimum exemplar: tamquam id, quod naturale
quam maxime est, & cui ea quæ insunt, qua tali, primo, & per se e-
videntissime insunt; reliquis vero quatenus demum ad illud
accedunt, consideremus. Id quod rursus approbat Philosophus 5
modo laudatus, (b) qui & specimen ejus in optima sua republi-
ca elegantissimum dedit. (c) Quam partem civilis scientiæ si
integram adhuc haberemus, mirum quantum diversa ab iis,
quæ vir Græcæ & Latinæ litteraturæ, neutiquam vero Peripate-
ticæ Philosophiæ peritissimus Strozza reposuit, legeremus. In- 6
terim fragmenta quod volumus indicant. Similiter & in Ethi-
cis videmus, ab eodem Aristotele virtutem eam, quæ in homi-
nem cadere non possit, haud alium ob finem definiri. Neque 7
vero solius Aristotelis hoc institutum est, sed & ante, & post e-
undem a summis Philosophorum idem est factitatum. Hinc
Platonis Respublica nata, & aliæ de ea aliorum ex veteribus opi- 8
niones, Aristoteli recensitæ. (d) Hinc ex recentioribus Mori
Utopia, & Solis Civitas Campanellæ, clarissimorum sed infelici-
um virorum ideæ, etiam ea quæ vix, imo numquam dari pote-
runt, nobis ob oculos posuerunt, una cum tot aliis aliorum
in hoc argumento dispari plane successu versatorum, de Optima
Republica vel cogitabili tantummodo, vel optabili etiam, & spe-
rabili adeo visa conceptibus publicatis. *Quorum omnium opi-* 9
*niones, cum Aristotelicis principiis, & si quæ iis addi, aut ex iis-
dem deduci poterunt, conferre alias laborabimus.* [Imo jam la-
A 2 bora-

(b) *Lib. Topic. c. 3. vulgatæ distinctionis. Pacianæ vero Cap. V. text. 3. loco 8. p. m. 710.* (c) *Polit. l. 7. & 8.* (d) *lib. 2. Polit.*

boravimus pro virili, ad solidum in Systemate *Juris Naturalis* nostro, sensum hujus perfectionis capiendum. Ubi *parte* illius *tertia*, quæ *de Jure* N*aturali publico agit, optimam Remp.* ipsi habuimus delineandam. Nunc hic consensus sufficiat, quem & Tullii Orator adauget. [Cujus hæc verba (*Semper quacunque de arte aut facultate* quæritur, *de absoluta, & perfecta quæri solet:* & paulo post. *Vir enim & natura rei nisi perfecta ob oculos ponitur, qualis & quanta sit, intelligi non potest*) laudantur etiam & amplifica tur *H. Ernstio* Stateræ Jprud. c. 1. §. 49. p. 83. Quem imitatus in hoc *Fabius*, *tale finxit Oratoris exemplar, qualis adhuc nullus extitit*, (verba sunt *Erasmi* (α) Memorabilia etiam apprime sunt in hanc sententiam dicta, vocandi nobis posterum sæpius in partes *Feldeni*, de scientia interpretandi, conferendo cum hisce nostris scripto. Cujus adeo locus illustris, (β) ex Manuscripto ejusdem in Topica Aristotelis commentario, jam tum quando primitus hæc concipiebam ante hosce XXX. & amplius annos mihi lecto, lucem accipere cum possit aliquam uberiorem, non pigrabor illum hic excerpere verbotenus ita sonantem. *Si res recipiant perfectionem, & in definito depræhendatur, quod alterum altero sit præstantius & perfectius, definitio debet confici, prout definitum est perfectissimum. Nam unumquodque sua natura tale est, prout in perfectissimo gradu constitutum est, quia cujuslibet rei natura tendit ad id, quod perfectissimum est, etsi de sua natura aliquid remittit. Definitio autem est oratio naturam rei declarans. Hinc quæ imperfectum definit, non declara, rei naturam; sed ponit aliquid in definitione, quod naturæ rei detrahit. Ita Aristoteles* &c. Ubi prope consona impressis seqvuntur, etsi non nihil etiam diversa, tum inibi, tum magis etiam in transmisso mihi Msto fragmento ipsius illius scientiæ interpretandi.

11 Quæ diversitas posterior, iterum ad illustrationem impressorum faciens, hic enotari merebitur, sic se habens. p. m. 649.

(α) *Epist. dedic. Militis Christiani p. m. 25. edit. in 12. in operum vero in fol. Tom. pag.* (β) *l. VI. p. 712.*

649. *Quia ſubſtantiæ quæ generantur, non ſemper in perfecto gradu ſuo ſunt, ſed prius imperfectæ, ad ſuum perfectiſſimum gradum tendunt: definitiones quo bene ſe habeant, tales eſſe debent, quæ declarent ſubſtantiam, prout eſt in perfectisſimo gradu. Hominem enim male definias, ſi attribuas eidem quæ ipſi embryoni, vel infanti inſunt, eumque ut infantem conſtituunt. Nam imperfectum eſt, cui quid deeſt ratione ſuæ naturæ. Debet autem nihil deeſſe definitioni, quod ad naturam rei ſpectat.* Hinc Ariſtot. &c.
Quæ adeo ſolida hujus veritatis demonſtratio, nullam dubitan- 12
di vel minimam deſuper cauſſam juſtam relinquit.] Ut conſentientes jam noſtri ſeculi Philoſophos alios taceam: nec de Medicis verbum addam, quorum etiam οἱ χαρίεντες in eam ſanitatis perfectionem inquiſiverunt, quam hominum nulli contingere
per experientiam ſciebant. Sane vel Juris noſtri Doctorum 13
non infimi, Hardevvicus Daſſelius, *Thomas Freigius*, & Petrus Gregorius Toloſanus, quique ante omnes erat nominandus, *Franciſcus Hotomannus* Optimi Juris Conſulti diverſas deſcriptiones peculiaribus libellis efformandas ſibi cenſuerunt. Quorum tamen ſcripta quantum a noſtris differant, inſpicientibus quidem ipſos, & conferentibus plenisſime, at aliquomodo etiam legentibus, additione prima capitis proximi ſequentis, al-
lata de ſingulis eorum liquebit. Sed ſufficiant exempla, & ra- 14
tiones hujus noſtri inſtituti. [Quod adeo vel divina etiam auctoritate confirmare inſuper liceret. Quando & Interpretes Jurium divinorum Orthodoxi omnes, & ipſe Spiritus Sanctus eam nobis perfectionem præcipit atque proponit, utriusque fœderis toties inculcatis dictis, quam ut optabilem ac debitam jure ſummo; ſic impetrabilem nullo modo, in votorum noſtrorum incitamentum, & culpæ minimum agnitionem humillimam, quando in vitam nulli quimus, convertere omnes habeamus. Id quod adeo in iis vel maxime obſervandum eſt, quæ ad actiones pertinent generis cujuscunque. Ubi a perfectione mirum quantum recedere nimis omnes ſumus propenſi,

nec adſpiratur ad egregia, niſi ſumma vel imaginatione ſaltim viva plene, votisque ardentibus occupemus. Nempe ut iterum Eraſmi verbis, ex loco modo citato, utar. *Quod ſummum* eſt, *id omnibus eſt deſtinandum, ut ſaltem aſſequamur mediocria. Nec eſt quod ullum vitæ genus ab hoc ſcopo ſubmoveamus.* Sed de hiſce quidem plus ſatis.]

Propoſitum & ſcopus diſputationis indicatur.

II. Ipſum jam propoſitum noſtrum breviter aperiemus. Quod eſt philoſophice, quantum per nos fieri poterit, & *ἐπιστημονικῇ μεθόδῳ* (*ſcientifica methodo.*) nulli fere, (quod ſine arrogantia dictum ſit,) in hoc genere hactenus obſervata, ex ſuis principiis deductam naturam, & officia, ſive requiſita Juris Conſulti Optimi, & perfectisſimi breviter, & *ὡς ἐν τύπῳ* (*tanquam in imagine*) proponere: idque univerſim, & generaliter, nullo ad certum aliquod jus habito reſpectu, & rationum potius, quam orationis *εὐμορφίαν* (*pulchritudinem.*) affectantes.

Quod ſit indaganda Juris Conſulti definitio.

III. Ut itaque penitius naturam hujuſce perfectionis inſpicere liceat, primo quidem accuratam, & ſufficientem Juris Conſulti definitionem inveſtigare oppido non conveniens ſaltim, ſed omnino neceſſarium fuerit. Ab hac enim omnis a ra-
2 tione profecta inſtitutio teſte Tullio, exordium ſumit. (e) Imo
hæc ipſum *τὸ τί ἐστι*, (quod quidditatem appellarunt a Latinitate remotiores Philoſophi, nos naturam rei, vel cum D. Auguſtino, Fabio, Seneca, & Sidonio eſſentiam dicere malumus,) revelat, ſine qua omnino nihil de re ipſa certi, & ſine dubitatione ac erroris metu cognoveris. Unde merito de iis ſæpius laudatus, ac impoſterum laudandus Ariſtoteles (*f*) *μεγάλην ἔχουσι ῥοπὴν πρὸς*
3 *τὰ ἑπόμενα* (*magnum afferunt momentum ad ſequentia.*) Quinimo
cum hæc ipſa eodem teſte, (g) principia ſint interna cujusque ſcientiæ, & a doctore ejuſdem ponenda, atque conſtituenda, ex quibus poſtea rite conformatis affectiones definiti demonſtrantur, dubia de iiſdem mota deciduntur, ignotæ etiam rerum proprietates ex cauſſæ univerſalis cognitione ineſſe iiſdem depræ-

(e) *lib.* I. *de offic.* (f) *I. Nicom. c.* 7. (g) I. *Poſter.* 8. *& lib.* 2. *paſſim.*

depræhenduntur: ſane nullum jam ſupereſt dubium, quin & hic verum ſit antiquum illud, eidem modo dicto philoſopho pari ſenſu uſurpatum (h) πλεῖον ἢ τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς εἶναι τὴν ἀρχὴν, καὶ πολλὰ συμφανῆ γίνεσθαι δι᾽ αὐτῆς τῶν ζητουμένων. (*plus quam dimidium totius eſſe principium, multaque in quæſtione poſita per illud ipſum declarari,*) Adeoque etiam noſtrum nunc fuerit, ſumma ope niti, quo antequam de JCto, ejusque perfectione quidquam ſtatuere conemur, eſſentiam ejus, atque naturam, ſive quod perinde eſt, definitionem pleniſſime perceptam habeamus. 4.

Additio I. præmonitoria, de ſequentibus hujus Capitis.

VEreor ne plerisque ſequentia, circa ipſam definitiones conficiendi rationem Logicam, prolixe adeo huc adducta, exemploq; JCti definiendi nunc illuſtrata, tœdium ſint ac nauſeam motura: quibus ſatis videatur, bonam definitionem JCti accipere, modo illam conficiendi ex Logicis præſuppoſito qualicunque, ac inde quibus lubeat modis atque temporibus addiſcendo. 1.

Quamobrem ita ſentientes præmonitos velim, ut transmiſſis proximis omnibus, ad penultimam usque ſectionem hujus capitis illico progrediantur. *Veniam* interim *juvenili ardori*, ſemetipſum hisce exercendis, & exercitis, fuſius paulo, quam fortaſſe erat neceſſarium, huc inſertis, probare ſatagenti, ab æquanimis lectoribus eo facilius ſperamus: quo minus hæc in vulgus nota etiam, nedum uſurpata diligentia, detrimento quam emolumento plerisq;, imo documento, ad ſimilem ſi non ſimiliter oſtentandam, attamen collocandam in definitionibus condendis, accuratis, ſedulam magis, ac vulgo fieri aſſolet operam, eſſe poſſit. 2.

Ut cogitent cum *Caſſiodoro*, de anima c.1, in f. p. m. 415, *Inprimis primatem rerum definitionem* 3.

(h) *1. Nicom. 7.*

finitionem cautiſſima deliberatione formemus: ut conſequentia, quæ inde poſſint naſci, fide generis ſui facile videantur agnoſci. Quod ſane ſi fieret, jam tanta ex confuſione conceptuum adhibendorum omnium, erroris & inſcitiæ calamitate philoſophica ubique non laboremus.

Interim hoc etiam ex ſequentibus apparebit, non
4 eam, quæ difficillimis inveniendis rebus ſæpius ſola præmitti debet neceſſario, nominalis definitio *Jungio* noſtro dicta (inque Logices Hamburgenſis lib. 4 c. 11. §. 8. definita) operoſe nobis adeo hic quæſitam fuiſſe: ſed eſſentialem omnino, ad cujus naturam quo propius accedit quæque nominalis, eo eſt melior utique futu-
5 ra. Neque illam ſemper demonſtratione à poſteriori detectam eſſe neceſſe eſt, (ut ex ejusdem *Jungii* c. XV. §. 3. poſſit exiſtimari, ſed per ἀγχίνοιαν, ſive ſagacitatem quoque naturalem, inſpectis ſingularibus quandoque attingere licet, uti §. XIII. & ſeqq. factum.
6 Qua de re plura vide apud *Wichelmannum* de Demonſtratione §. XI. & alios hujus argumenti, ne bis peccemus, hoc digrediendi modo, non adducendos. Ipſam vero *definitionum neceſſitatem, quod ad JCtum*, deductam etiam videre operæ pretium ſit apud *Feldenum* part. 1. l. 6. p. 694. 695. part. 2. l. 1. p. 789. & alibi; ac ſæpius etiam *in MSto noſtro*, ubi p. 594. 616. 617. 672. 676. aliqua deſuper, in impreſſis, neſcio quam ob cauſſam omiſſa, lectu non indigna tamen habentur. Adde *Cubacchium* Brocardicor. Juris c. XXIII. p. m. 126. & ſeqq. Quin & Controverſiæ Veterum JCtorum Romanorum ſuper definitionibus non parum oſtendebant pretium iisdem factum *l. depoſiti ſ. §. ult. & l. ſeq. ff. de pecul. l. 1. §. dol. mal. 2. ff. de dolo. l. Fulcinius 7. §. Quid ſit 4. ff. Qu. ex cauſſis in poſſeſſ. eatur.*

Platonica via quærendi definitiones quæ ſit & quod hic ineunda.

1 IV. Definitionem autem, ſeu rerum naturas inveſtigandi alia Platoni, alia Ariſtoteli eſt Methodus. Utraque ſuæ laudis; quamvis Ariſtotelicam non refutandis rationibus alteri illi præferre liceat. Interim utramque nunc, quo minus aberremus, adhibere decrevimus. Primo Platonicam inſiſtemus viam, antiquita-

ti

ti hoc concedentes. Adhibendum itaque erit aliquod summum, competens nostro, cujus definitionem quærimus, conceptui: idque tale, quod indubitate idipsum complectatur, quamvis cum pluribus aliis. Illud rursus per suas differentias dividendum erit, & in species suas dispescendum: harumque una assumenda quæ insit, removendæ reliquæ. Assumpta si opus est, porro dividenda, donec eo perveniatur, ubi sistendum sit, id est, ubi nostrum illud definiendum speciem unam constituit.

V. In JCto nostro hoc ut exequamur, sit ille aliquis circa leges versans. Quod quidem attributum, uti definitionem non conficit, ita tamen quod omni insit JCto, & quidem non per accidens, sed ut ad essentiam ejus faciens, puto esse extra omnem dubitationis aleam positum, & intelligentiæ habitu non destituto, per inductionem patere posse. De ea autem nunc versandi circa leges ratione sermo est, quæ circa leges, quatenus leges sunt, datur. Quippe ceteroqui tantum non infinitæ nobis orirentur circa leges operationes. Nam & circa eas, quatenus futuris ipsi esse accidit, divinatio, quatenus actionem, & electionem involvunt, suasio, ac dissuasio, deliberatio item, & coactio existit, & pluscula alia. Verum ἡμεῖς μὲν λεγώμεν ὅπερ παρεξέβημεν. Versamur ergo circa jura & leges, vel conditas, vel vero condendas.

JurisConsultus est aliquis versans circa leges.

VI. In utro ponemus occupari JCtum? *Condere* quidem *leges est* juxta glossam ad §.1. procem. Instit. verb. promulgare *æquitatem rudem naturæ, & occultam juris laqueis involvere.* Quæ sive definitio, sive descriptio, cum non uno vitio accuratius examinata laboret, obscuriorque sit ipsa voce definita, & magis dubium quam acceperat legentem relinquat, multum valeat. Quid vero proprie sit leges condere, & quomodo condantur, ex iis quæ inferius de legum natura, & virtutibus commentabimur, fiet clarius. Nunc sufficiat indicasse eos qui leges faciunt, atque aliis præscribunt, Legumlatores potius, quam JCtos vocitari. Id quod in Solone, Lycurgo, aliisque qui sola hac virtute inclaruere, plusquam aperte videmus, utpote quos nemo JCtorum nomine facile

JCtus versatur circa leges latas, non ferendas.

c.3. & seq.

2

le citaverit. Hucusque ergo in JCti naturam penetravimus, ut ſciamus occupari eum circa latas ab aliis leges, non vero circa fe-
3 rendas. Verum enim vero etiam variis hoc ipſum modis fieri poteſt,& pluribus,quam per quos JCti nomen promereamur.Nempe vel vitam juxta leges quæ ad nos pervenere inſtituimus,& mores ad eas conformamus, vel judicia, vel poſtulationes: vel vero memoria etiam leges accuratiori complectimur, vel denique interpretando eaſdem juvamus. Ex quo ergo tandem horum JCti dicamur, diſpiciendum erit.

JCtus non eſt qui verſatur circa leges ſaltim vivendo ſecundum eas.

VII. Secundum leges conditas vivimus, vel forte fortuna, vel ex conſilio. Unde habitus tandem naſcitur, qui Univerſalis Juſtitia dicitur, cujus naturam prolixe nobis Ariſtoteles explicatam dedit.(i) Patet autem ne hinc quidem quemquam JCtum fieri: quamvis juſtus utique audiat, qui ex habitu juxta legum tenorem actiones ſuas moderatur. Quinimo ſi ex hoc habitu nihilominus JCtum æſtimare perſtes, etiam in illud abſurdum incides: ut ab omnibus iis, quibus leges præſcribuntur, requiri, ut JCti fiant, fateri neceſſum habeas. Quod ſane inſulſum erit, & nugatorium. Reſiduas ergo rationes, quibus circa leges jam perlatas occupamur, luſtremus.

Nec etiam judicando juxta ipſas

IIX. Et fortaſſis judicare ſecundum eas, & ſententiam dicere, magis videatur JCtum conſtituere. Cæterum & hæc functio, vel absque debita perfectione fit, vel vero procedat neceſſe eſt ex habitu, quem prudentiam δικαςικὴν (*judiciariam*) vocat Ariſtoteles. (k) uti ex allatis inibi cuivis liquere poteſt. Neutrum JCtum efficit. Neque movere quemquam debet, quod & hoc nomine honorentur ſæpe judices,cum idipſum non qua judicantibus ipſis, ſed quatenus alio longe diverſo habitu ſunt inſtructi, ἐπίθετον conveniat. De quo ipſo plura paulo poſt afferentur, ubi vocis JCti homonymias diſtinguere occipiemus.

Nec poſtulando.

IX. Etiam poſtulantes leges tractant. Poſtulare vero nobis In præſentia idem fere eſt,quod Ulpiano,(l) cujus hæc ſunt ver-

(i) *Nicom. lib. V. c. 1.* (k) 6. *Nicom. c. 8.* (l) *l. 1. §. 2. ff. de poſtulando.*

verba. *Postulare est desiderium suum, vel amici sui, in jure apud eum, qui jurisdictioni praeest, exponere, vel alterius desiderio contradicere.* Quæ verba cum obscuritate sua non careant, sufficiens sit, quod ad præsens institutum, postulare idem dixisse, quod caussam agere, sive Advocatum esse, vel alii, vel sibi. Quamquam sibimetipsi Advocare, minus fortasse proprie quis dicatur. Idem tamen, est habitus, qui nos instruit, ad hoc nego- 2
tium seu nostro, seu alieno nomine gerendum. Prudentia nimirum, vel sæpius fortassis, uti nunc sunt mores, calliditas: quæ in hoc a prudentia differt, quod media aptissima, non ad bonum, sed ad malum finem quærit. De prudentia res clara est, si definitionem Aristoteli allatam (m) accipimus. Utique enim ad finem tendit, consilium de eo capit, & media eligit postulans, sive Advocatus, quibus vel actorem juvare, ejusque bonum, quod cum justo hic concordare debet, promovere laborat: vel vero reum defendit. Id quod in Actionibus, & exceptionibus videre est: in quibus electionem, & consultationem, sive deliberationem versari nemo contravertet, nisi processuum, & usus forensis omnino ignarus sit, & expers. Sed abunde satis hæc quod ad 3
hunc locum equidem declarata sint, ne nunc etiam Advocati, & Patroni caussarum discrimen subtilius rimemur, de quo vide *Pedianum, Tacitum, & Ulpianum* apud Ausonium *Popmam* de differentiis verborum lib. I. pag. m. 11. An JCtum habitus hic faciat, videamus. Et vero quis neget Advocato bono JCti titulum? Imo nullus fere convenientior illi, plerisque etiam non remotis a vocum & rerum notitia videatur. Attamen utut hoc una asseramus, nondum tamen illud poterit facile quisquam inficiari: quod multos, & quidem omnibus numeris absolutos JCtos censeamus, qui caussis nullis umquam præfuere. Quod si ergo nullam hinc ipsos jacturam perfectionis suæ facere videmus, profecto jam non amplius idem JCtus qui Advocatus erit existimandus. Atque hoc erat τὸ ζητούμενον. An ergo fortas- 4

(m) *lib. 6. Nicom. cap. 8.*

ſis omnis Advocatus JCtus eſſe debet, non ex adverſo omnis
hoc c.§.14 JCtus Advocatum ſe præſtare? Sed ſuper hac quidem re mox
uberius diſputabimus. Interim ſufficiat docuiſſe nunc, quod
Advocatus non ſit JCtus ille, in cujus definitione conſtituenda
laboramus.

Nec memoria ſolummodo eas tenendo.

X. Ad memoriam legum nos vertimus, num hic fortaſ-
ſis id quod quærimus lateat. Id videlicet, per quod JCti no-
men condigne quis ſuſtinet. Et vero neque hic illud reperie-
mus. Legum enim memoria ab omnibus quibuscumque eæ po-
nuntur requiritur minimum tanta, quoad actionibus cujusque,
ſi non omnibus, certe plerisque & crebrioribus, gubernandis
ſit ſufficiens. Hinc eſt, quod juris ignorantiam ordinarie non
habeant excuſatam leges Romanæ. (n) Unde cum ab omnibus
adeo civibus alicujus reipublicæ, juris ejus quo uti debent re-
quiratur notitia, ſane non ea conſtituet JCtum, niſi velimus o-
2. mnes cives eſſe JCtos: *ἀλλὰ τοῦτο μὲν παντελῶς ἄτοπον.* Sed re-
ſpondeas, exigi quidem hoc pacto ab omnibus quibus poſita eſt
lex, notitiam ejusdem: ſed uberiorem longe juris peritiam
JCto convenire. Adeo ut cum illorum diligentia intra propriam
neceſſitatem ſubſiſtat, horum & in aliorum utilitatem negotio-
ſa debeat eſſe ſedulitas, quod vel ipſi legum textus denuo con-
firmant. (o) Sed hæc qualiter tandem ſeſe habeant, utique innu-
unt uberiore, & abſolutiore legum cognitione JCtum, quam
reliquos inſtructum eſſe debere. Id quod adeo verum eſt, &
clarum, ut etiam in proverbium JCtorum memoria abierit. (p)
3 Interim tamen ob hanc ipſam, quamvis idoneam & exactam
peritiam, an JCti nomen quis mereatur, de eo nihil prorſus per
iſta decernitur. Sane meo judicio, etiam eum qui totum jus,
&

(n) *l. 1. §. 1. & ſeq. ff. de Jur. & fact. ignor. l. Divus Claudius 15. ff. ad l. Cornel. de falſis, l. leges Sacratiſſimæ 10. C. de ll. adde Novell. 127. cap. finali, & cap. 13. de Reg. Jur. in 6to. & locis aliis ſexcentis.*

(o) *l. Regula eſt 9. §. ſed juris ff. de Jur. & fact. ign.* (p) *videſis* Hotomann. *initio JC. ſui, &* Connan. *lib. 1. comm. c. 1. Cælium* Rhodig. *lect. Antiq. lib. 19. c. 12.*

& legum apices singulos exactisſime commeminerit, rectius Legulejum vel Legiſtam, ſive *honeſto* magis, & *latino* vocabulo, Legum peritum nomines: JCtum ſane ſi dixeris, nimium dixiſſe videaris. Quinimo ſi ſola hac cognitione metiare JCtum, 4. pſittacum fortasſis aliquando ſolito dociliorem, circa leges alicujus reipublicæ minus numeroſas JCtum habebis, ſane potius in pueros, quam adultos hoc officium cadere fateri cogeris. Id quod omnino contra dignitatem & naturam ſummi ſtudii dictum fuerit. Quod ergo JCtus non poſſit eſſe idem, qui legum peritus, conſtat ex dictis. An vero ut inſtrumentum, vel quo alio pacto, & quatenus ad JCtum faciat hac peritia, fuſius aliquantulum commentandi occaſio circa finem hujus diſſertationis emerget. C. 11. §. 10.

XI. Reſtat proinde ex hac diviſione ſuperius facta, ſola interpretatio, quæ JCtum conſtituat. Et ſane non putamus ſine hac JCtum ullum recte dici. Et hinc eſt, quod Pomponius (q) inquit: *eos jus quotidie in melius perducere.* Verum objicias, & Grammaticum leges interpretari: dum vocum, & totius adeo orationis obſcuritates tollere ſatagit. Qua de re, etſi pluribus infra conveniat agere: facile tamen & hæc ex modo dictis difficultas jam hic quoque removetur. Patet enim, non circa legem, quatenus legem, ſed prout oratio eſt, eundem occupari. Sed interpretando easdem. cap. 9. §. 4. & cap. 11. §. 11 §. 5. h. c.

XII. Sed & hac lite conſopita, nondum ſatis ſufficientem videmur definitionem JCti noſtri eſſe conſecuti. Quippe ipſa interpretandi ratio varia videtur, neque illico qui legum eſt etiam qua legum interpres, JCtus erit cenſendus. Quid enim ſi quis forte fortuna legem interpretamento aliquo ſuo juvet, an continuo per hoc JCtus prodibit. Nihil dictu abſurdius. Cum ergo vel ex habitu, vel ſine eo videamus interpretationem naſci; ſine eo vero quæ fit, JCtum non reddere exemplo pateat: plenam, ni fallor, definitionem habuerimus; Si Juriſconſultum eum Idque ex habitu.

(q) *l. 2. §. 13. ff. de or. jur.*



qui ex habitu leges latas qua leges interpretatur, appellaverimus.

Ariſtotelica definiendi ratio tentatur: quæ aperit homonymiam vocis

XIII. Atque hactenus quidem Academicos in inquirenda definitione illa nos geſſimus. Jam quoniam utique tanti res eſt; utpote in cujus veritate, ac certitudine totius noſtræ diſquiſitionis accuratio poſita eſt: etiam Peripateticos, age, nos præſtemus. In animo itaque habentes locum (r) in quo Philoſophus præcepta huc pertinentia proponit, quibus ipſe ubique in operibus ſuis, & præ cæteris perſpicue in loci, (ſ) & virtutum (t) definiendis ſpeciebus utitur; ipſa individua, & ſingularia, quoniam ea habere hic licet, adeoque ipſos eos quos JCtos eſſe dictos conſtat, intuea-
2 mur. Primo itaque aſpectu ſtatim ſeſe offerunt veteres illi Romani JCti, quorum adhuc fragmenta in Pandectis legimus, item præ reliquis conſpicui recentiores Bartolus, Baldus, & non enumerandi alii complures. Qui quam ob præſtantiam JCtorum nomen meruerint ubi cogitamus: illos quidem ita eſſe nuncupatos advertimus; quoniam de jure conſulentibus conſilia dedere, (id quod & vocis ἔτυμον velle liquet) & hoc quidem cum interpretando, tum judicando quodammodo, & leges novas veteribus pro caſuum emergentium ratione addendo. Hos autem videmus ſolam hanc fere ob rationem ita appellari; quod multis, & prolixis interpretationibus, & commentariis jus Roma-
3 num illuſtrarint. Quod ſi ulterius etiam in individuorum contemplatione progredimur: videmus & JCtos quosdam dictos: quod cauſſas in foro agerent. Et hoc ſenſu, non alio, definire apud Tullium (u) Antonius videtur JCtum *virum bonum, ad agendum, cavendum, & reſpondendum idoneum.* Denique invenimus & qui JCtos vocitent eos, qui ſolummodo legum habent memoriam, ſed accuratam præ aliis, & exquiſitam. Quas cum adeo varias, & ipſa eſſentia inter ſe diverſas ejusdem nominis rationes videamus:

(r) *lib. 2. Poſt. c.* 14. (ſ) 3. *Phyſ. c. 8.* (t) 3 *Nicom. 9. & ſeqq.* (u) *lib.* 1. *de orat.*

deamus: omnino vocem JCti diverſa denotare, adeoque æquivocam eſſe concludere cogimur.

Homonymia conſideratur, & dicitur JCtus eſſe legum interpres, remotis reliquis ſignificationibus.

XIV. Occurrendum igitur huic difficultati: ne in ipſo initio hæreamus, & facienda huic malo medicina. Sed unde, vel ex quibus fundamentis? Sane de officio Philoſophi, vel potius dialectici, circa inquirendas Homonymias aliquot habemus ab Ariſtotele (w) præſcriptas regulas; de officio ejusdem circa inventas, quomodo corrigendæ, vel quæ ſignificatio præ reliquis amplectenda, quæ rejicienda ſit, nihil plane ſcientifice a quoquam traditum eſt, quod ſciam. Neque noſtri inſtituti ratio nunc fert, pro-
lixiorem in hujus doctrinæ fundamenta inquiſitionem. Pauca ta-
men, quantum huc afferre neceſſum fuerit, de interpretatione 2
ambiguarum vocum inferius adferentur. Sed hæc quod ad JC- C. 9. §. 4.
tum præcipue, non philoſophum: quamquam hic in multis ipſorum officia conveniant. Interim nunc liceat ad conſtituendum aliquem certum vocabulo JCti reſpondentem conceptum, aliqua alio in loco fortaſſis demonſtranda, hypotheſium inſtar huc adfer-
re. Primo igitur ponimus, id quod inferius etiam repetetur: vocis cap. 8. §. 4.
nempe cujusq; virtutem eſſe, ut certam aliquam, & unam notionem deſignet. Item quamlibet vocem ex mero hominum
placito, & uſu, *quem penes*, Flacco teſte, *& jus, & arbitrium* 3
eſt, & norma loquendi, ſignificationem ſuam accipere. Adeoque ubi uſus non ſemper idem, pro eo qui major & crebrior eſt, ſenſum voci eſſe conſtituendum, eumque proprium habendum. Id quod infra qvidem a JCto, nunc a Philoſopho exi-
gimus. Sicuti enim minime probamus ſententiam illius (x) 4
qui *magni & nobilis JCti eſſe* putat, *audacter rebus imponere nova nomina*: ita & a Philoſophi officio quam maxime alienum eſſe ducimus, a communi vocum uſu recedere, novosque & inuſitatos vocibus ſignificatus tribuendo, linguam quodammodo novam, & non intelligendam iis, quibus loquatur, effingere.
Hoc igitur ut evitet, & cum vulgo loquens, ſentiat tamen 5
eru-

(w) *Topic. 1. cap. 13.* (x) *Eguin.* Baro. *de divid. & individ. oblig. cap. 2. num. 4.*

erudite, ſenſum unum proprium uſitatiſſimumque vocis amplectens, definitionem conceptui perfectam ponet, ut non niſi jam hoc certum ens nomine illo audito menti continuo ſeſe ſiſtat. Quod ſi vero ad diverſa adhiberi vocem, communi, & æque recepto, & vulgato utramque in partem uſu videat: quid a Philoſopho fieri conveniens ſit, fateor parum adhuc inter
6 ipſos conſtare. Interim id ipſum rariſſime uſu veniet, ut adeo duæ ſignificationes eidem voci ſint communes, ut utra præ altera ſit eligenda, nullo modo dijudicari queat. Quinimo hæc ipſa in ſingularibus expedire, quam certis atque univerſalibus
7 regulis circumſcribere, facilius videtur. Noſtram itaque vocem conſiderantes, eum ſenſum, qua memoriam legum altam, & locupletem habentes JCti vocantur, cum ex paucorum uſu, eoque erroneo irrepſiſſe vix dubitari queat, ut abuſum (ſit voci venia) illico rejicimus. Judices quoque, & Legumlatores, cum rarius hoc nomine inſigniamus, & plerumque ſaltim eatenus, quatenus interpretes ſimul agunt, pariter a JCti nomine
8 removemus. Quare rectius veteres illos, ex quorum ſcriptis Digeſtorum male digeſtum opus conflatum eſt, Juriſprudentes dici credimus, item Legumlatores, & Legum conditores (y) merito ab Imperatoribus, & aliis (z) vocitari, vel juris auctores
9 (aa) verius nuncupari affirmamus. Quippe quos leges ſumma auctoritate condidiſſe, a quibus recedere non licebat, ipſe Juſtinianus Imperator (bb) teſtis eſt; Cicero vero apud Hotomannum (cc) etiam in ſolio ſedentes lites compoſuiſſe, & Prætores privatos quaſi egiſſe, jura condendo, deque iis reſpondendo,

(y) *l. 1. §. 7. & 2. §. 20. C. de V.I.E. l. fin. C. de condict. indeb. l. receptic. 2. pr. circa f. C. de conſtit. pecun. l. fin. C. ad SC. Vellej. f. C. de hered. vel action. vend. & Novell. 22. cap. 8. adde* Cujac. *ad l. 3. ff. de excuſat. circa fin. & ad l. Gall. ff. de lib. & poſth. & lib. 7. Obſervat. 25.* (z) Eutropius *Ulpianum ita vocat.* (aa) *l. f. § 3. C. de Curat. furioſ. l. 1. pr. C. de Comm. ſerv. manum. &* Cujac. *obſerv. lib. 7. c. 25.* (bb) *proœm. Inſt. & ff.* (cc) *initio JCti ſui perfecti.*

dendo, confirmat. Et ſane meruere hi JCti titulum, reſpectu habito ad interpretandi munus, quod profitebantur: de cætero vero plus quam JCtos ſe præſtitere, & alios habitus plane diverſos huic noſtro adjunxere; Legislatricem nempe, & Judicatricem prudentiam: quo intuitu memorata etiam nomina illa ſibi merito vindicant. Ad reliquas binas ſignificationes 11
quod attinet, controverti quidem poſſet, utrum Advocatum rectius, an Interpretem juris hoc nomine deſignemus. Cum pro illo imprimis ipſum proprii ſermonis exiſtimatum patrem quodammodo Ciceronem ſtare videamus. Verum conceſſo, quod tamen utique negari poteſt, & improbari, æqualem nempe hic utrinque loquendi uſum eſſe, nihilominus interpretem ſolum hoc nomine proprie venire affirmamus. Idque, vel 12
quia hic alias ſuo nomine deſtitueretur, quo alter ille non caret: vel, quod imprimis nos movere debet, quoniam alter ille hunc complectitur, atque nomen illud non tam habet ſibi proprium, quam, quod ad aliquam ſui partem commune. Ad- 13
vocatus quippe, ſive cauſſidicus, ſine habitu interpretandi, neque de actionum, neque de exceptionum, legumve pro, vel contra ſe facientium, virtute & ſenſu recte judicare poteſt. Neque tamen hoc illi ſufficit, ſed prudentiam eligendi, quam Advocatoriam licebit vocare, debet adjungere. Atque ita conſtat de ſupra §. 9.
quo ambigebamus: videlicet Advocatum perfectum omnem debere eſſe JCtum, at JCtum poſſe eſſe, qui non ſit Advocatus, ſi nempe Advocatoria illa prudentia deſtituitur. Quod ſi 14.
nihilominus pertinacior aliquis invertere hujus argumenti vim voluerit, & JCtum potius eum, qui inerpretatur, per abuſum vocitari contenderit; quoniam ſcilicet partem aliquam debiti ſui habitus ſibi comparaverit, quomodo Legum peritis hoc nomen convenit, ceu in calce operis fiet manifeſtius: ille & ab C. II. §. 11.
uſu refutabitur, qui æque, ſi non magis, legum interpretem, quam Advocatum vocare jubet JCtum, & præterea ſummos JCtorum imperfectionis arguet eo nomine, quod cauſſas non

 egerint.

egerint. Id vero ab omni uſu & communi omnium opinione, ſer-
15 monis unica magiſtra, penitus abhorret. Eodem modo ab uſu plane receſſeris, ſi JCti vocem æque late, ac Jurisprudentis extendere, adeoque omnem circa leges prudentiam eidem cum Doctorum nonnullis (dd) tribuere volueris. Sed ſatis jam, imo nimis fortaſſe diu de voce ſolliciti fuimus, ὀνοματοποιΐας ſtudium detrectantes: in quo tamen quantum Philoſopho largiendum
16 ſit, parum adhuc eſt deciſum. Et περὶ λογοθεσίας & λογομαχίας quidem alias fortaſſis dicendi renaſcetur occaſio, in *typo Logicarum Acceſſionum*, quem *ad Verulamii de augmentis ſcientiarum librum quintum*, volente Deo, annectemus. Nunc conſtat tandem ex ſedula ſingularium inſpectione, diſcuſſa homonymiæ nebula, quæ nimis in perſpicienda & indicanda veritate nos ſæpenumero impedit: JCtum eſſe eum, qui jura ab aliis lata interpretatur. Jura autem eſſe legum complexum merum, jam nunc adeo videmus, & paulo poſt plenius dicemus. Eſt ergo JCtus qui leges ab aliis latas interpretatur.

cap. 3. §. 2.

JCtus eſt legum qua legum interpres.

XV. Habemus partem definitionis, nondum integram partium ſummam. Neque enim dum æque anguſtis terminis circumſcripta eſt, atque ipſum definitum: id quod ſolum complecti debebat. Jam vero ulterius individua curioſiori mente luſtrantes, & Criticum, & Grammaticum videmus leges interpretatione juvare poſſe: neutrum tamen hanc ob cauſſam JCtum nominari. Circumſpicimus itaque, & attentius conſideramus, in quonam horum interpretatio, ab ea, quam exercet JCtus, differat. Et videmus, JCtum leges qua leges juvare, earumque vim, obligandi, & regendi actiones humanas, illuſtriorem reddere: Grammaticum vero eandem nonniſi qua Orationes, & Criticum qua ſcriptis compræhenſas contemplari. Addimus itaque & hanc differentiam, quo a reliquis circa leges operantibus JCtum diſtinguamus: dicentes, eum leges latas qua leges interpretari.

XVI. Sed

(dd) Hahn. *imprimis ad Weſembec. de Juſtit. & Jur. n. 14. pag. mihi* 50. *Qui hoc ex primis* Hopperi *in Seduardo ſuo titulis hauſit.*

XVI. Sed nondum quidem vel hac ratione conceptum noſtrum penitus ab aliis omnibus diſtinxerimus. Nam ſi quis forte fortuna, vel caſu, vel ex incerta aliqva animi propenſione, & ingenii bonitate naturali, legem aliqvam interpretetur: nondum propterea JCtum eum fore in propatulo eſt. Differentia ergo & alia erit apponenda. Et vero diligentius rem perpendentes, videmus, in eo a reliquis omnibus modo dictis JCtum differre, qvod conſtantiori & perfectiori ratione, animique aliqva præſtantia, & habitu inſtructus, leges interpretatur. Ille qui ſit, perſpectis ejus reqviſitis, & proprietatibus, poſtea declarabimus. Interim nunc certitudinem ejus experimur, qvod Ariſtoteles ajebat (ee) τῷ μὲν ἀληθεῖ πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα, τῷ δὲ ψευδεῖ ταχὺ διαφωνεῖ τἀληθές (*cum vero congruunt omnia quæ in re inſunt, falſo autem cito verum diſſidet & diſcrepat.*) Quippe JCtum denuo, ut ſupra, nanciſcimur definitum, eum qui ex habitu leges qua leges interpretatur.

Plena JCti definitio, cum ſuperiore coincidens.

C. II. §. 8.

§. 12.

XVII. Supereſt nunc ut perfectionem etiam JCti definiamus, poſtquam naturam ejus videmur aſſecuti. Expediret jam proculdubio accuratam hic habere perfectionis notitiam. Sed non eſt ejus hic operoſe indagandæ locus, neqve inpoſterum tanta prolixitate definitiones indagare, ſed indagatas ſine ambagibus proponere inſtituti noſtri decreta brevitas nos jubebit. Proinde contenti ſumus perfectum ex ſignificationibus Ariſtoteli enumeratis, (ff) nominaſſe id, cui eſſentiæ partes omnes adſunt, & virtutes, cumqve eodem (gg) dixiſſe: ἕκαστον δὲ εὖ κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν ἀποτελεῖται. (*unumquodque bonum ſecundum propriam ſuam virtutem perficitur.*) Propria vero rei virtus eſt, ſecundum qvam, ea eſſentiæ pars, per qvam a reliqvis omnibus ſpeciebus diſtinguitur, bona dicitur. Propria

Perfectio JCti in propria ipſius virtute, adeoque in eſſentia, ejusque partibus eſt poſita.

 ergo

(ee) 1. *Nicom. cap. 8.* (ff) 5. *Metaphyſ. cap. 16.*
(gg) 1. *Nicom. cap. 6.*

ergo JCti virtus eſt, bene interpretari, perfectio vero ejus virtutis, habitum abſolutiſſimum optime interpretandi ſibi acquiſiviſſe.

CAPUT II.

INTERPRETATIO IN GENERE quid ſit. LEGUM vero interpretatio definitur. REGULÆ INTERPRETANDI GENERALISSIMÆ aliquot enumerantur. DIFFERENTIÆ, ſeu SPECIES interpretationis FALSÆ exploduntur, VERÆ admittuntur, & unde quibusve ex fundamentis ſint petendæ indicatur.

SUMMARIA.

1. *Continuatio.*
   Additio *II. Qua continetur* Hiſtoria *compendiaria, & maxime quidem* Bibliographica, *ſeu librorum editorum*, de Interpretatione Juris.
2. *Interpretatio in genere deſcribitur, vocis ſignificatione conſtituta.*
   Additio *III. §. I. De* Interpretationis voce ambigua.
   §. II. *De* Natura Interpretationis in genere, *illiusq;* peroptabili Scientia: *deq;* Feldeni *generaliſſima* Definitione.
3. *Legum interpretatio quid ſit.*
   Additio IV. Definitionem JCti explicans, *& ab aliquibus* objectionibus *defendens.*
4. *Regulæ generales interpretandi aliquot ex definitione deducuntur.*
   Additio V. *De* Numeris Regularum Interpretandi *retentis, vel* mutatis.
5. *Diviſio interpretationis in doctrinalem, & Authenticam rejicitur.*
6. *Species variæ à variis Doctorum interpretationi doctrinali aſſignatæ, improbantur.*

7.

7. *Ex vitiis legum veras interpretationis differentias esse petendas.*

I.

IN ſola legum interpretatione naturam, virtutem, & perfectionem JCti noſtri poſuimus. Quæ ſententia noſtra, quantum præſtet, vel differat ab aliis aliorum aſſignatis eidem definitionibus, (a) vel officiis (b,) jam pertractare ſuperſedebimus. Utpote qui hoc nobis temperamentum indixerimus, ne quem ſine ſumma neceſſitate refutandum ſumamus. Quare cum ab intelligente quovis ex iis quæ à nobis ſunt allata, quid de reliquorum opinionibus omnibus ſentiamus, & quas ac quomodo redarguere debeamus, nullo negotio queat colligi: nos hoc agentes, quid interpretem, & imprimis legum interpretem faciat, conſtituere anitemur. Neceſſe ergo erit interpretationis τὰ ἐν τῷ τί ἐστὶ λεγόμενα colligere, & inde orationem eſſentiæ ipſius indicem componere, ejus imprimis quæ juri accidit, quippe circa quam totius hujus negotii cardo vertitur. Continuatio.

Additio II.

Qua continetur Hiſtoria compendiaria, & maxime quidem Bibliogrephica, ſeu librorum editorum, de Interpretatione Juris.

EQuidem nec ingratum nec inutile fore ſpero, ulli *hujus argumenti* non prorſus in curioſo, cognoſcere, *quid* in eodem *ante nos* fuerit *tentatum*, & qualiter à nobis judicatum atque uſurpatum, antequam huic ſcriptioni, & primitus ordiendæ, atque pu-

plican-

(a) Vigel. *Method. I. Civil. part. 1. lib.* 1. *cap.* 2. Connan. *lib.* 1. *comm. cap.* 15. Duaren. *comm. in ff. de Juſtit. & Jur. cap.* 2. Cujac. *Paratit. in ff. de Juſtit. & Jur. & Dd. communiter ibidem. &* Hahn. *in Weſemb. d. t. num.* 14. Carbo *lib. 1. de ll. diſp.* 5. Cicero *de Orator. lib.* 1. Hotoman. *initio JCti. Colleg. Argentoratenſe. diſp.* 1. *Theſi* 7. *& alii ſexcenti.* (b) Cujac. *in l. Gallus ff. de lib. & poſthum.* Fabr. *Juriſp. Papin. lib.* 1. *pr.* 2. *Illat.* 2. *& modo citati.*

blicandæ, & nunc recensendæ, manus admoveremus. Idque tanto magis, quo minus nunc specialem Juris Romano-Germanici juxta hæc generalia promissam applicationem licet præstare. Quæ quantum ad hocce membrum, non modica sui parte, sic D.V. expedietur, ut parum etiam ultra sit in derelicto mansurum; veluti mox patebit, ubi plerumque Juris interpretandi artem intra JCtorum Romano-Germanicorum industriam subsistere hactenus fuerit observatum.

2 Nimirum ut in omni Exercitiorum, qua liberalium qua illiberalium genere, *prius artifices* fuisse, *quam artium universales præceptiones*, & *hasce ante*, *quam* eorundem accuratas *demonstrationes*, *nedum* ex demonstrationibus hisce conformata scientiarum integra *Systemata*, certum est, tam consulentibus Experientiam, quam rationem hujus eventus. (Qua de re v. elegantissime quadrantem huc locum *Aristotelis*, laudatum *Feldeno*, de Interpret.
3 part. 2. lib. 2. præf. §. 2. pag. 845.) Ita nec aliud circa juris interpretationem contingere debuit, potuitque. Ut nempe *primo* (1) Legum & Jurium qua divinorum, qua humanorum Interpretes, *naturali* sua *industria*, per Experientiam & exercitationem exculta, *initium* facerent, eminentis alicujus in hoc genere *Prudentiæ*.
(2.) *Inde* sensim recurrentibus sæpiuscule similibus interpretandi exemplis, ex singularibus *universales* magis atque generales observationes, *regulasque* constituerent. (3.) *Tum porro*, quoties harum regularum aliqua dubitatio inprimis, & controversia moveretur, aliquibus etiam *rationibus atque caussis* probare illas sibi quisque, ac aliis anniteretur. Quæ ipsæ probationes pro ingenii illas suscipientis felicitate, aut materiæ illas suppeditantis facilitate, potuerunt *ad Demonstrationis naturam*, etiam *sine* demonstrandi *arte*, nimis proh dolor! adhuc ignota & inexculta, nedum huic argumento applicata, superioribus seculis, appropinquare. Ut *ita demum* (4) ad *quartum*, & ultimum *gradum*, disponendæ ex bene subordinatis invicem universæ *scientiæ* progressus fieret. *In*

In horum quatuor graduum primo, videntur adeo pleræque 4
gentes omnes, ante Romanos unice *subſtitiſſe*. Etenim nec orientalium, nec occidentalium antiquiſſimorum Sapientum circa divina vel humana jura interpretationes, ad ullam præceptorum universalium conformationem usque proceſſiſſe, quicquam hactenus inaudivi.

Romanis ergo *JCtis primis hæc gloria debetur, quod interpretan-* 5
di aliqua *univerſalia præcepta* innumerabilibus *ſuperſtruxerunt Exemplis*, ad Experientiam, Peritiæ Juris non modo, ſed interpretationis etiam Jurium apprime conducentem. Siquidem ex *L. neceſſariùm 2. §. His legibus latis. 5. & ſeqq.* aliquot *ff. de Orig. Jur.* ut & ex Hiſtoria Romana huc pertinente reliqua conſtat, quo modo *Collegia Pontificum* primitus, deinde *Prætores*, ac demum *JCti*, a Principibus cum auctoritate publica pleniſſima conſtituti, quod ante jam privata auctoritate ſatis magna fecerant, (ut elegantiſſime docet aureolo ſuo libello de JCto perfecto *Hotomannus* pag. m. 23. & ſeqq. edit. in 12mo) Jus Civile ſuis Interpretationibus in melius producere indies, graviter admodum allaboraverint. Quin ipſa inſpectio etiam ocularia prodit omnibus, vel obiter Digeſtorum corpus intuentibus, pleramque illius partem Interpretationibus magis quam Legibus conſtare. Unde *Juris Interpretes* etiam *Legumlatores, conditores*, & *Juris auctores* jam olim dicti. vid. præter allegatos C. 1. §. XIV. (y) & (z) *Struv.* Exerc. I. th. 63. Exerc. II. th. 17. 44. & ſeqq.

Quamobrem optavi non raro, ut præcipuorum *JCtorum* ex 6
iis, *qui per conſervata* nobis a *Triboniano fragmenta* ſua ſola nobis *innotuere*, ſcripta integra interpretationum & Reſponſorum ſupereſſent. Non modicum certe tum ſcientiæ ex univerſalibus hinc inde jam formatis, tum magis multo etiam prudentiæ, in hoc argumento æque parum, ac in omni alio abſolvendæ, adminiculum hinc habituri eſſemus. Interim certum eſt, *neminem* unquam illorum *aliquod* Corpus atque *Syſtema univerſalis de Interpretatione Juris Scientiæ molitum* unquam eſſe. Nec ea erat id

temporis

temporis Philoſophiæ facies, ut ſolidis hoc ipſum, per accuratas definitiones, diviſiones, & demonſtrationes modis, fieri à quoquam potuiſſet.

7 Quamvis etiam nihil fortaſſis obſtitiſſet, quo minus aliquis ingenio præ aliis pollens, exercitatione ſuperaddita, in tot exemplorum copia, non admodum abludentem ab accurata & philoſophica methodo compagem interpretandi præceptorum, dare ſi voluiſſet, aliquomodo æque ac deinde factum, etiam valuiſſet. Inprimis ubi non modo ſingulares diſſentientium de aliquo caſu, ſed univerſales etiam ſcholarum integrarum inter ſe colliſionis, ad ſpargenda hinc inde, probandis ſuis opinionibus atque ſententiis, univerſalia, neceſſitatem inevitabilem impoſuerant non infrequentem.

8 Quin adeo *Regularum libros*, in Digeſtis adſcriptos, ſummisque Auctoribus *Cajo, Marciano, Modeſtino, Paulo, Pomponio, Priſco, Rufino, Scævolæ*, & *Ulpiano*, nullas *interpretandi Regulas continuiſſe*, in ſe quidem incredibile ferme ſit, licet Exemplis ipſis fragmentorum Tribonianis vix demonſtretur ejus quidquam. Niſi quod *Salvii Juliani de Ambiguitatibus libri*, & *Ælii Galli de Verborum, quæ ad Jus pertinent ſignificatione*, huc referendi videntur.

Plerique vero, ex quibus Digeſta male digeſta ſunt, libri, fere, cum Interpretationum ad Leges, SCſulta, Edicta, interdicta, item Reſponſorum, Quæſtionum, Lectionum, & Diſputationum ſingularium ſint: qui potuere ſine interpretandi Regulis admixtis abſolvi? ut adeo *primi tres* memoratorum ſuperius *graduum, elaborati multum, ad quartum* vero *progreſſio nulla facta*, hinc eluceſcat.

6 Nec aliter etiam *circa ſacrorum & divinorum Jurium Interpretationem* ſeſe res habet. Ubi a *Patribus Eccleſiæ* vulgo dictis, *ne tantus quidem* usque ad tertium gradum *progreſſus* unquam *factus* eſſe comperiatur. *Tantum abeſt*, ut antiquiori *Synagogæ Judaicæ*, prius quam in Satanæ Scholam abiret, major hoc in genere felicitas contigerit.

10 *Philoſophi* vero *antiqui*, præter *Pſeudo-Ariſtotelis de Interpretatione*

pretatione librum, majori longe jure *Feldeno* de Interpret. Part. 1. lib. V. c. 2. p. 470. n. 3. ac pag. 528. ac forte alias, sæpiusqve etiam *in MSto meo*, quam in impresso exemplari, (ubi aliqua duriora loca contra eum sunt omissa: ut quando p. 1229. hæc leguntur. *Sæpe multa mala precatus sum homini, qui sub nomine Aristotelis tractatum de Interpretatione reliquit, & suis ineptis omnes Logicos infatuavit.* Et pag. 1232. *Frustra ergo 4. fecerunt species Modalium Logici, cum inepto illo Auctore tractatus de Interpretatione, qui ab imperitis & modum demonstrandi ignorantibus, Aristoteli adscribitur.*) una cum aliis intelligentioribus contemtum, quam aliis, inprimis in eum commentantibus, ac ut solet fieri, pretium hinc suo labori aucupantibus, laudatum, nihil hujus argumenti, quod suppeditent habebunt.

Videmus itaque statum imperfectum, & Historiolam hujus 11 scientiæ, usque dum barbaries orbem inundavit universum. Qua dissipata, & *renascentibus* iterum *litteris*, interque illas Juridicis etiam, non potuit non illico Interpretationum quoque necessitas renasci. Quando vel *ad Leges*, in meris Interpretationum Exemplis, aut Regulis plane ipsis consistentes aliquas *Lecturæ*, ut primitus vocabantur, & *repetitiones, Commentarii* demum edi cœperunt. Qualia qui vel *ad titulos priores Digestorum*, maxime ad titulum *de LLbus*, & leges huc pertinentes hujus, ut & *de Regulis Juris* tituli, aliqua multa commentaria inspexerit, (qualiter extant conjunctim *in Voluminibus Repetitionum Juris Civilis* in folio Venetiis 1608. Tom. VIII. & enumerantur plura *Sebastiano Nævio* in Systemate Francofurti 1608. in folio excuso: nec non separatim etiam nonnulla. Quæ inter *Friderici Hortlederi, de vero sensu l. Non omnium 20. de LL. seu de ratione legis publicæ*, Disputatio sane singularis merito inscripta eminet, infra denuo commendanda:) videbit is, quantum rudis antiquitas, & expers Philosophiæ id temporis, ingenio naturali, ac industria, per Experientiam exculta sola, potuerit præstare. Donec *sensim* Philosophiæ necessitate, sub finem superioris, & initium hujus seculi, optimis JCtorum depræ- 12

hensa, & de prædicata, *cœptum est* etiam *ad quartum* initio nobis distinctorum *graduum adscendi*.

Quando 1. *Universalia* de Interpretationis doctrina *compendia*,

2. *Partes* ejusdem Doctrinæ circa species interpretationum aliquas peculiares,

3. *Specialibus* etiam *Legum generibus applicatas interpretandi Methodos* conscribere, haud pauci sunt aggressi. Quorum *præcipuos*, inprimis *priorum duorum generum*, *enarrasse* fuerit operæ pretium: *tertii generis aliquibus* etiam in specimen, & exemplum specialioris usus *superaddendis*.

Ut & iis insuper,

4. qui præ reliquis accuratius, in diversi licet generis scriptis suis, hoc argumentum vel *incidenter*, vel ratione systematis illud implicantis, etiam *tractavere*.

13 Priusquam autem id operis non parum operosi aggrediamur, omnino monendum etiam de Theologis & Philosophis recentioribus hic aliquid necessario habemus. *Theologi* nimirum inprimis, erutis per Lutherum ex situ & squalore, quo pessima & nefaria Pontificiorum culpa fuerant tantum non absumtæ S. litteræ, & ut absumerentur etiam plane destinatæ, *non vulgarem operam navarunt*, & adhuc navant indies, earundem omnis generis *Interpretationi*. Unde si ad universalem jurium quorumvis Interpretationem, ea quæ possunt ac debent, abstractione facta, revocentur, non parum ad scientiam interpretandi juris generalem subsidii liceat parare.

Quin adeo *de Interpretatione* etiam *S. litterarum*, *methodici* aliqui universalium *preceptorum* extant scripti jam *libri* non pauci, licet haud dum utique omne id quod optamus ad rem tanti meriti, atque momenti inæstimabilis, pretiique conferentes: attamen *haud contemnenda* illius moliminis præparatoria jam, ac *initia*, *ingenuæ* quidem *praxi*, qualis hactenus deficientibus generalissimis regulis, & doctrinis sufficere possit, summopere *conducibilia*,

per

per Dei gratiam poſſidemus. Quibus ſi ſuperſtruantur ſimiliter
in poſterum ulteriora, tandem aliquid votis noſtris, & uſui Ec-
cleſiæ, plenius omnino ſit reſponſurum quantocyus ſperandum.
Eum in finem vide ſis *Hermeneuticam ſacram* Auguſti *Pfeifferi c.* 1. 15
§. f. *præcipuos* orthodoxos hujus argumenti *ſcriptores recenſentem*,
æque ac Pontificios & Reformatos. Quibus etiam alios *Lipeni-
us*, & *Voetius*, aliique in Bibliothecis ſuis Theologicis ſuperad-
dunt.

Mirandum vero imo dolendum, quod *Philoſophi*, quorum 16
id erat opus plane proprium, & maxime *Logici*, adeo partium ſua-
rum negligentes, imo negligentiſſimos præ aliis in hunc usque
diem ſeſe exhibuere hac in re. Cum enim vel præcipuus unus ex
reliquis uſus artis eorũ ille foret, ut interpretari cujusvis generis
orationes externas, & per eandem internas quoque nos edoce-
rent: omnium ipſis editorum librorum ope minus longe, quam
Theologorum & JCtorum, qui ab illis ſua in hoc genere funda-
menta exigendi jus habebant, ſcriptis ſumus adjuti. Nam quæ *in
libros de Interpretatione Pſeudo-Ariſtotelis* ſunt *commentati*, adeo
ſunt frivola, pleraque, ut niſi otio diſperdendo inſervire non poſ-
ſint. Neque doctiſſimi *Danhaueri*, commendanda licet præ cœ- 17
teris omnibus *Idea boni Interpretis*, hoc, quod deſideramus, abſol-
vit, ſed inchoavit. Quemadmodum & *Claubergius* Logices ſuæ
veteris & novæ parte tertia tota huic operi dicata, non niſi brevi-
ter attingit aliqua ſumma capita rei, atque delibat, pluribus inta-
ctis, neque niſi dialectico more per quæſtiones, citra demonſtran-
di curam ullam, cuncta proponens.

Propius ad Juris interpretationem philoſophicam acceſſit 18
tandem incomparabilis *Grotius*, incomparabili *de Jure Belli & Pa-
cis* ſcripto L. 2. c. XVI. Laudatus merito *Kulpiſio* pag. 85. Quem
cum meliora dare merito deſperaret, apertius hic etiam atque in
reliquis omnibus, & κτ. πόδα fere ſequi ſe non diſſimulat *Puffendorf-
fius* l. 5. c. 12. & qui alicubi etiam refutando quaſi deterit Grotiana
Thomaſius lib. 2. c. XI. Nec in eadem commentatione quisquam

hic aliquid est egregii ausus, præter *Feldenum*, qui solus in hoc argumento, ut alias vere philosophatur. Utpote jam tum insigni suo, nunc demum edito operi, de Interpretatione, incumbens. Quod ut omnium in hoc argumento ad nos maxime nunc pertinens, post reliqua JCtorum scripta, demum est a summo JCto profectum, & ad Jprudentiam adjuvandam ex professo compositum est, expendendum nobis omnino hac scriptione etiam accuratius paulo sumemus. Denique nec eorum plane oblivisci possumus, quæ huc pertinentia ingenii vir admirabilis Fr. *Baco Verulamius* suo de augmentis scientiarum libro penultimo, cap. III. prolixius etiam delineata dedit majoris operis elementa, potius experientiæ & ingenio, quam analyticæ arti accuratæ, qualem hic in omnibus, excepto *Feldeno*, æque desideramus, accepta ferenda. Interim nec negandum, ingenii felicitate, atque industria, & experientia, æmulatos adeo non paucos recentiorum esse, analyticæ artis hic optabilem maxime accurationem, ita, ut quam proxime ad illam accessisse alicubi cum *Grotio*, *Forstero*, & aliis mox memorandorum videantur. Id quod ut in partibus fieri tandem possit, ita in toto ut fiat, æque parum est expectabile: quam ut agitata ventis folia, totius sylvæ aliquando, certum continuumque in ordinem artificiosissimum disponantur; licet aliquorum fortasfis ordo aliquis, interdum etiam admirabilis situationis proportionabilitate collocatus, aliquantisper depræhendatur.

Sed ad JCtorum nostrorum opera antequam recensenda nunc progrediamur, remorantur nos etiam edita recens hoc ipso anno, in 4. Amstelodami *Jo. de Raei* Philosophi olim Leidensis Ordinarii, nunc Amstelœdamensis primarii *Cogitata de Interpretatione. Quibus natura humani sermonis, & illius rectus usus, tum in communi vita, & disciplinis ad vitæ usum spectantibus, tum in philosophia ab hujus seculi errore, & confusione vindicantur.* Ita titulus habet. Opus ipsum, quod hoc nostro demum plane jam absoluto, perlustrare nobis contigit, qui putaverit ad interpretandi artem hanc nobis propositam pertinere, titulo se deceptum omnino

omnino depræhendet. Nam & huic *Auctori sermo humanus & interpretatio idem* sonant, ac pro iisdem etiam definiuntur pag. 24. §. XXI. Quod tamen pag. 28. §. XXV. ipsemet improprie factum agnoscit, & ante factum a quoquam sane nunc non commeminerim. Et ipsa tractatio, uti curiosa satis est, & arguta, sic tota Logicam Philosophicam externam, de significandis nempe quam distinctissime, verissimeque animi cogitatis, accessionibus non contemnendis adauget. Unde Grammaticæ quoque Philosophicæ plurimum adjumenti peti possit.

Tandem itaque promissas nobis *quatuor classes Scriptorum de Interpretatione juridica* extantium, ut exhibeamus, & eorum solorum quidem quos ipsimet lustravimus, perlustravimus.

Primæ quidem Classis *ex professo de Interpretatione juris* omni agentes, citra pretii vel aliam ullam prærogativam *Alphabetica serie* exhibendo, nunc obveniunt sequentes.

I. Anonymi *De JurisConsulto perfecto*, liber unus, qui extat *Cynosuræ Iuris*, sive *Farraginis selectissimorum libellorum Isagogicorum de Juris arte* &c. à Nic. Reusnero JCto Spiræ in 8. A. 1588. editæ, parte altera a pag. 7. ad 81. *capitibus duodecim* hisce lemmatis inscriptis.

1. *De fine ac definitione Jurisconsulti.*
2. *De divisione Studii Juris, & quibus modis ad finem propositum sit perveniendum.*
3. *De arte.*
4. *De indaganda verborum legis significatione.*
5. *De sententia legis investiganda.*
6. *De ratione legis investiganda.*
7. *De conciliandis legum Antinomiis.*
8. *De similibus legibus.*
9. *De exercitatione.*
10. *De praxi Iuris, & primo de Advocatis.*
11. *De respondendo, sive consulendo.*
12. *De judicando.*

Quæ posteriora capita, præ reliquis legi merentur, etsi *ad hoc argumentum nostrum præsens proprie non* pertineant

2. *Methodus & ratio docendi, interpretandique Juris Civilis, una cum partitionibus & œconomia Pandectarum,* Anonymo JCto auctore, ibidem a fol. 213. ad 236. exhibita, *titulo potius quam argumento huc pertinet.* Utpote Lectiones publicas Juris suo tempore factas, describens potius, quam solidæ qvidqvam doctrinæ suppeditans.

3. *Stephani* Bodœi *Prosopopæia Jurisprudentiæ. Qualis esse debeat bonus JCtus,* decipere titulo facile quemqvam posset, quasi peculiaris tractatio hujus argumenti eadem exhiberetur. Cum sit *carmen jambicum,* extans *in Cynosuræ juris parte altera,* a pag. 33. ad 37. utique bona de officio JCti monita exhibens, sed qualiter in Poëtam, breviter summam rei delibantem, id temporis, illud cadere posset.

4. *Joh.* Brandes, *de vera & simulata JCtorum* Philosophia, in 12. Francof. 1668. paginis 210. capita exhibet IX. quibus sparsim, & qvasi per saturam, aliqua generatim de Philosophia omni Practica, & speciatim de Ratione status, tum denique de legibus, earumque interpretatione quidem c. VII. attingit, *parum ad rei summam* factura.

5. Dissertationis *de Interpretatione Legum* pars prima, quam sub *præsidio* D. *Henr.* HAHN. Pandect. Prof. P. publico examini subjecit *Joannes* Eichel Francus. 1650. Helmstadii in 4. constat alphabeto, uti vocant, seu volumine chartaceo integro, & Quaternione insuper, & capitibus XXX. quorum hæ sunt inscriptiones, optime totius operis argumentum indicaturæ.

1. *De necessitate & difficultate Interpretationis.*
2. *De modis tollendi obscuritatem.*
3. *De difficultatibus nonnullis, quæ circa ea, quæ præcedenti capite asserta sunt, oriri possunt.*

4. De

4. *De qualitatibus nonnullis Principiorum Interpretationis.*

5. *De nonnullis, quæ ad uberiorem Principiorum cognitionem spectare videntur.*

6. *De subjecto Interpretationis.*

7. *De qualitatibus nonnullis ad uberiorem legum cognitionem facientibus.*

8. *De causis Interpretationis.*

9. *De altero obscuritatis genere in legibus.*

10. *De duobus simplicibus Habitibus Interpretandi artem constituentibus, nempe* Σύνεσει καὶ γνώμῃ.

Caput 11 *deficit.*

12. *De Regulis duabus Interpretandi.*

13. *Hoc capite porro inquiritur in naturam Orationis, quæ interpretanda est; & præmissis ex Aristotele partibus Orationis ostenditur, necessario dandam esse qvandam proprietatem in omnibus linguis, eamque neque ex prima impositione, neque allusione, neque Etymologia, desumi posse, sed ex communi, qui apud omnes obtinet, usu. Examinatur quoque vocab. Proprii, & docetur id vim vocab.* Κυρίȣ *Aristotelici haud exprimere. Cum Aristotele conveniunt quoque ICti Romain. Docetur etiam absurdum haud esse, vocabulum Metaphoricum fieri proprium, & contra, & quare. Duplex tandem concluditur proprietas, una omnium illorum, qui alicujus linguæ participes sunt; altera eorum, qui certæ alicujus societatis membra sunt; quales termini technici esse solent. Utraq; autem proprietas ex singulorum usu æstimanda.*

14. *De usu loquendi communi.*

15. *De consensu ICtorum Romanorum circa ea, quæ proxime præcedentibus Capp. tradidimus.*

16. *De proprietate terminorum technicorum secundum ICtos Romanos.*

17. *De significatione generali, generaliori, & generalissima; lata, latiori, & latissima.*

18. D.

18. *De Metaphoris.*

19. *De consensu JCtorum Romanorum circa ea, quæ prox. sup. Cap. ex natura rei de metaphoris dicta sunt.*

20. *De peregrinis linguis seu τῆς γλώτταις, quemadmodum ait Aristoteles.*

21. *De Æquivocis.*

22. *De priscis, inusitatis, & ambiguis.*

23. *De terminis technicis in jure Romano.*

24. *De obscuritate, quæ oritur ex verbis conjunctis.*

25. *De mente legis.*

26. *De consensu JCtorum Roman. cum iis, quæ capite superiori confirmavimus.*

27. *De objectionibus nonnullis, quæ contra distinctionem superiori capite assertam, objici possint.*

28. *De generibus Interpretationis,*

29. *De exemplis interpretationis, ex corpore Juris Civilis petitis.*

30. *De regulis quibusdam ad interpretationem explicativam, seu declarativam pertinentibus.*

Hoc opus qualiter *sibi vendicaverit Feldenus*, vide in Epistola Curiosa *Nicetæ Spilii* nomine edita, Veronæ 1687. Qu. V. p. 87. 88. Interim *Eichelius* nulla parte addita, diem obiit. Et sane si, qualiter cœptum erat, ita continuatum fuisset hoc scriptum, mihi quidem iterare illud argumentum in mentem nunquam venisset, qui utcunque constitutis bene solideque contentus esse, quam tanto labore ulteriora moliri maluissem.

6. *Henrici ERNSTII Statera Jprudentiæ, & JCti.* in 4. Arnstadii 1662. paginis 117. Capita tria pertractans I. *De vera Jurisprudentiæ & JCti æstimatione*, ubi sectionibus 102. Philosophiam veram Juris commendat, à pag. 1. ad 28. II. *De Jurisprudentiæ & Studiosorum ejus calamitatibus.* Quas sectiunculis 178. usque ad p. 85. refutat. III. *De modo acquirendi Jurisprudentiam: & quomodo nobilis*

nobilis adolescens Danus, se ad patriam remp. parare debeat, inde usque ad finem operis sectiunculis 92. prosequitur.

Joh. a FELDE *Disputationum ad Institutiones Imperiales prima, de fine & officio JCti, variisque juris speciebus* 4. Helmstad. 1652. ubi a th. 2. usque ad VII. inclusive, de generibus interpretandi agit, eoque format quatuor, Explicativam, Intellectivam, Extensivam & Restrictivam, Deque singulorum natura, & universorum συνέσει Aristotelicis ex principiis tractat.

8. *Valentinus Guilielmus Forsterus* J. U. D. & Professor, *de Interpretatione Juris, libris II.* 8. Witteb. 1613. *omnium* facile *ante se industriam superavit.* Ex quibus sibi usurpatos ingenue laudat sub finem præfationis, Fridericum *Rogerium*, Barth *Cæpollam*, *Matthesilanum*, & *Hotomannum* ex professo, inter alia vero argumenta incidenter scribentes *Donellum* comm. 13. & seqq. Joan. *Mercerum* in conciliatore, & Topicam *Eberhardi*, etiam *Grotio* præcipue usurpatam, & in margine hinc inde citatam. Ejus tractationis methodum, *Tabella* sciagraphiam & synopsin specierum interpretandi exhibens, in operis frontispicio collocata, ob oculos illico lectori ponit, una cum præmisso illi *capitum indice* qui & hic repeti meretur, ad opus omnibus tanto magis commendandum.

Libri I.

Libri II.

dem communiores, sive magis vulgares, qui disticho comprehensi, juxta seriem ejus explicantur p, 156. II. *De interpretatione juris extensiva. p. 219.* III. *De interpretatione restrictiva. p. 309.* IV. *De declarativa juris interpretatione. p. 343. Ult. complectens spicilegium, & regulas diversas de juris interpretatione.*

9. Thomæ *FREIGII Idea boni & perfecti JCti*; *Tabellis* aliquot *brevissime* requisita mentis & voluntatis præparatoria, & essentialia recenset potissima, laudata alias Cynosuræ Juris altera parte insertis, ad præsens argumentum vix quidpiam facientibus.

10. Francisci *HOTOMANNI JCtus*, sive *de optimo genere Juris interpretandi* liber, seorsim in 8. Basil. 1559. & in 12. apud Jacob. Chovet. 1589. paginis 159. constans.

& *in operibus ejusdem* in folio junctim editis.

Inque *cynosura Juris*, ante laudata, *parte altera* a pag. 106. ad 168. *quatuor* sibi proponit exequenda (1) *Quibus in rebus JCtorum olim manus* positum, (2) *quorum hominum* proprium (3) *qua auctoritate* fuerit. (4) *Quæ* nobis *ratio juris interpretandi hodie optima* censenda. Horum ultimum ad nos cum maxime, imo unice nunc pertineat, pag. m. 39. *triplicem juris interpretandi rationem* constituit: *Grammaticam, dialecticam*, & *JCtorum. Primam* iterum *triplicatam* facit pag. 40. Obscura nempe *declarantem*: corrupa *emendantem*: *antiquitates eruentem. Secundam* pag. 41. itidem *triplicem* format, *syntheticam*, *analyticam*, & *divisoriam. Tertiam JCtorum, in controversiis ex jure scripto, vel verbo* natis pag. 51. & seqq. exponit, atque exemplis declarat. Quibus adeo quantula pars nobis delineatæ artis attingatur, utique conferenti ad oculum liquebit.

11. Tr. *de Auctoritate & Interpretatione Juris, tam Canonici, quam civilis, Helfrici HUNNII* J.U.D. Professoris Codicis Marpurgi in 12. Giessæ 1615. editus, *Lipenio* testante, mihi vero usurpata editione, in 8. Anno 1630. bipartitus paginis 335. Cujus *pars prior* capitibus XV. *de auctoritate Juris Civilis* Romani, &

partium

partium ejus, ut & Canonici, & Doctorum opinione tractat, usque ad pag. 2228. *Posterior*, de optima *ratione Interpretandi Juris* inscripta, capitibus XXXI. partite quidem, & in multis curiose satis, at inordinate, neque scientifice, sed per collectanea rem expedit, satis tamen notabilia pleraque. Nec vero ullum ante se in hoc argumento versatum memorat, in generalibus, ad cap. usque XXIX. porrectis. Ubi *de Interpretatione Statutorum*, *Mascardum* citat cap. XXIX. de *Rescriptorum* XXX. de *privilegiorum*, & XXXI. de *consuetudinis* interpretatione agens. Ut adeo cum prioribus conjungi omnino debeat.

12. *Marci MANTUÆ Bonaviti*, Patavini JCti, publicique Interpretis, *Isagogicus, perquam brevis modus, ad tollendos fere quoscunque licet inexplicabiles argumentorum nodos*. 8. Venet. 1544. foliis 48. regulas *tumultuarie* conceptas ultra 100. exhibens, plerasque Antinomiis quidem conciliandis principaliter, at in iis bene multas interpretandi speciebus variis peculiares exhibens.

13. *Stephani de PHEDERICIS* Brixiensis Tr. *de Interpretatione legum*, in tractatu tractatuum Tom. II. extat, & seorsim Colon. 1577. & Lugduni 1636. in 8vo. ac Francof. 1615. in 12 si fides est *Lipenio*. Nam editio mea Francothaliæ in 8. curante Christophoro Chemnitio J. Doctore prodita, eodem anno, dubitare de alterius forma & loco facit. Absolvitur illa paginis 26?. Quadripartita tractatione. Earum PRIMA, *Quando plus aut minus intellectum, quam scriptum est sectiunculis* 22. a pag. 10. ad 16. membro I. generatim. *Dein* membro II. speciatim *Qualiter lex extendatur ex mente, sectiunculis* 47. à pag. 26 (nam *decem* illæ *intermediæ summariis* explentur.) ad pag. 72. *Membr. III. Qualiter lex restringatur ex mente sectiunculis* 74. a p. 77. ad 98. Pars II *de contrariis Legibus* quinque *membris distinctis*. a. p. 99. ad 164. *Tertia* pars *de verbis legis ambiguis* a p. 165. ad 204. sectiunculis 69. *Ultima IV. de casibus lege non expressis*: a p. 204 ad finem sectiunculis 74. compræhensa, multa singulæ non contemnsnda continent, unde uti E-

ditor in dedicatoria scribit *Juvenes Studiosos methodicæ doctrinæ, quam ille hisce commentariis licet plene non præstiterit, certe tamen quodammodo affectavit*, gustum haurientes, *quanto præstet, exactis atque solidis, quam vagis & incertis institutionibus imbui, facile sint intellecturos.*

14. J.L.P. id est *Joh. Ludovici PRASCH*, (Senatoris Ratisbonensis, per alia deinde scripta plurima etiam majoris momenti, orbe litterario noti) *JCtus verus & personatus*.12. Noribergæ 1664. *In qua*, (ut habet titulus,) *quædam maxime circa ipsa prudentiæ fundamenta, vulgo vel ignota, vel neglecta vel errata proponuntur & expenduntur*, paginis 188. sectionibus XXIV. Juris philosophiam præ legulejorum & rabularum imperitia commendat, commentatores Juris §. 7. in descriptores, excursores, argutatores distinguendo, improbat plerosque, dein §. XI. & seqq. veri *JCti quatuor* universalia *requisita* ponit: *scientiam legum*, *artem juris*, *virtutem applicandi*, & *Elocutionis decus*. Quæ deinde reliquo prosequitur opusculo, nec ipso rem sollicite satis tantam, nedum accurate complectente.

15. Joh. REBHANII JCti, & Argentorati P. P. Disputatio Juridica *de Interpretatione Juris obscuri*, in 4. Argentorati 1671, habita, Quaternionibus quinque, thesibus XILIV. solam *declarativam*, & *Intellectivam* vulgo nuncupari solitas Ddribus interpretationes persequitur. §. 3. laudans ante se in hoc argumento versatos, ita ut alii hoc fecerint generaliter, & in universim ut R. de *Forlivio* de Interpretatione, Constantinus *Rogerus* de Interpretatione Juris: alii per partes singulas, ut Stephanus de *Phedericis* Brixiensis, de Interpretatione legum, (qui sane non minus quam proxime præcedens de Interpretatione Juris generatim hoc argumentum omne sibi proposuit exequendum) Lanfrancus *de Oriano*, de Interpretatione *Statutorum*, Cardinalis *Mantica*, de *ambiguis & tacitis conventionibus*, Simon *de Pratis*, de Interpretatione *ultimarum voluntatum*. Quibus sane plures longe utriusque generis addi oportuisse, nostra hæc enumeratio

meratio facile oſtendit. Inde cauſſarum genera Materiam, formam, finem efficientem, tum effectus contraria & affinia ſuarum interpretationum conſiderando, argumentum hoc pertractat, ita ut conferri cum noſtris, vel ob allegata textuum, & Ddrum augenda non ſit indignus.

16. *Henningi* RENNEMANI Gymnaſiarchæ in Erfurtenſi Academia Auguſtiniani Jurisprudentiæ Juſtinianeæ P. Diſp. ſecunda, *de Juris interpretatione*, ſub qua etiam agitur de æquitate, fictione, & municipali jure. Quæ tit. D. & C. de LL. & conſtit. Principum potiſſimum ſunt explicati in 4. Erf. 1603.

Qvaternionibus quinque, theſibus XLIV. conſtat, & in ejusdem *Jurisprudentia Romano-Germanica*, (per Laurentium *Henrici* auctoris olim diſcipulum, & patriæ ſuæ tunc Erfurtenſis Secretarium, Arnſtati in 4. Anno 1651. edita, inque præfatione Inſtitutionum noſtrarum reconcinnatarum nobis jam olim commendata, & nunc iterum commendanda, ob methodum & accurationem,) exhibetur *auctior* multo, atque *accuratior* concepta diſputatione XIII. usque ad XVII. a pag. 160. ad 218. Ubi de æquitate ac fictione fractiones ſubſequuntur, labore digno utique ut conſideretur, & allegata ejus noſtris augendis, exempla vero illuſtrandis annotentur.

17. *Conſtantini* ROGERII Galli, *de Juris interpretatione*, in Tractatu tractatuum Juris Tomo I. legitur a fol. 38. usque ad fol. 394. Ubi alii ejusdem tractatus ſequuntur bini. Eorum priori *Conſtantii* nomen loco Conſtantini præfigitur. Argumentum ipſum XII. articulis pertractatur. Qvorum inſcriptiones ſtatim initio proponuntur, & *ordinis ſcientifici veſtigium plane nullum* præferunt, aliquam *multa* ſatis *aliena*, neque non *inepta* miſcent.

18. *Erneſti Friderici SCHROETERI*, JCti & P. P. Jenenſis Diſp. *de Interpretatione Juris* in 4. Jenæ 1673. habita, quaternionibus 6. capitibus 8. quorum 1. *Nomen & Synonyma*. 2. *Perſonas*, quibus competit. 3. *Quæſtiones* quasdam. 4. *Fontes*

 ex

ex quibus 5. *Materiam, formam, modum,* 6. *Differentiam J. Naturalis Civilis & Canonici,* 7. *finem, effectum, & contraria.* 8. *Regulas n.* 44. *tumultuarie congestas* exhibet.

19. *Georgii Adami* STRUVE JCti & P. P. Jenensis, *de Jure, æquitate, & Interpretatione Juris*, Exercitatio Academica in 4. Jenæ 1676. quaternionibus 14. Capita exhibet. Eorum 1. *de Jure* in genere. 2. de *divino* prolixe ac partite. 3. *Canonico* 4. *Novis* ejus *distinctionibus, effectu*, & *adjunctis*. 5. *æquitate* & *interpretatione* demum a pag. 75. ad 112. & ultimam agit, summa cunctis Ddorum communia fere capita delibando.

20. *Ottonis Philippi* ZEPPERI J. U. D. & in Bremensi Gymnasio P. P. *Cynosura legalis*, in 4. Bremæ 1664. Capitibus LXIII. per alphabeta, uti vocant, sive volumina chartacea tria integra, de vocibus, & sensibus legum interpretandis, *ordine nullo*, per *collectanea*, cæteroqui satis *operosa*, prolixe *multa* congesta exhibet. Quæ si cum nostris conferantur; & exemplis, & auctoritatibus, ea quæ demonstravimus, pleraque poterunt illustrare, ac usui Practico forensi (auctoritatibus nunc fere unice superstrui solito) accommodatiora efficere multum.

Atque hi *primæ classis* sunt in hoc argumento noti mihi scriptores adeo hactenus omnes.

Secundæ classis etiam præterea sequentes innotuere mihi.

1. *Bartholomæi* COEPOLLÆ Veronensis JCti, *de Interpretatione legis extensiva*, &

2. D. *Matthæi* MALTHESILANI Bononiensis J. U. D. celeberrimi, *alter ejusdem argumenti aureus tractatus*, *diligentia* D. *Gabrielis Sarayna* Veronensis J. U. D. in lucem emissus. 8. Venet. 1556

Horum *prior* foliis 56. & posterior 11. adeoque 67. sive quaternionibus novem utrique constant. Prior etiam *in titulos* dividitur ita inscriptos.

De *generali extensione interpretativa* fol. 3. sectionibus 159.

Quotu-

Posterior solis sectionibus 92. exhibetur a fol. 57. ad finem & *specialia potius*, in quibus extensio locum habeat, vel minus enumerat, quam ut generalibus, sicuti prior tractatio insistat.

3. *Petrus Andreas* GAMMARUS, vel GAMARUS, vel GAMBARUS de Casal Bononiensis, *de extensionibus* in *Tractatu Tractatuum* tomo XVIII. fol. 247. & seqq. usque ad fol. 260. inclusive sectiunculis 195. Tractatum satis *confusum*, maxime *de specialibus* multis, nullam generalium scientificam vel molitionem, nedum ordinationem exhibet. Quamvis auctor à commendatione scientificæ doctrinæ ordiatur: sed tali, quæ prodat singulis pene periodis, auctorem nihil ejusdem cogitatione unquam aut conceptu, nedum actu complexum, aut habitu habuisse.

4. *Alphonsi* VILLAGUT Neapolitani Abbatis ordinis S. Benedicti Cassinensis, *de Extensione legum tam in genere, quam in specie* Tr. ampliss. in fol. Venet. 1602. foliis 366. constans, quorum priora 25. præludiis 28. *generalia* multum *cum Cæpolla,* quem statim initio citat, *communia* continet. Reliqua *specialius* de legum correctivarum, pœnalium, limitativarum, consuetudinariarum, exorbitantium, statutorum, Rescriptionum, beneficiorum, Privilegiorum, dispositionum privatarum Immunitatum Ecclesiasticarum denique, partite, & circumstantiis & exemplis multis potius quam regulis, & rationibus solidis agunt.

Quare

Quare nec ſemper ſatisfacient vel ſoliditate, vel veritate ſuæ deciſionis Lectori, ad ἀκρίβειαν hæc & conſcientiam ac uſum potius, quam ſubtilitatem, & diſputationem exigenti.

Hiſce *accenſeri debent* (1) omnes qui de *Juris arte*, ſive de *Jure in artem redigendo*, ſcripſere docta opera, vel ex profeſſo. Quales magno laudantur numero, in Epiſtola Curioſa *Nicetæ Spilii* Quæſt. 1. & *Lipenio, titulo* confuſo nimis *Juris Civilis*, in Bibliotheca ſua Juridica, pertinentes omnes ad Methodicæ interpretationis doctrinam. (2) De *Antinomiis*, & *Conciliationibus* Legum agentes. Cum eæ niſi alicujus ex interpretationibus noſtris, unius vel plurium ſpecierum applicatione, abſolvi non poſſit. (3) De *Jure docendo, diſcendo* &c.

III. Tertia Claſſis ſcriptorum huc pertinentium, *ſpeciales Interpretationum materias* exhibens, diffuſa valde foret, ſiquidem omnis hic eſſet percenſenda. Sed ſufficit generatim notaſſe, nullam non juris ſpeciem, aut materiem, aliquid hic ſpeciale habituram, generalibus hinc inde præceptis derogantem, reliquis vero utentem. Interim ut aliquos ex profeſſo præcipue interpretationis regulas ordinare ſatagentes, vel certe copioſe licet inordinate cumulantes, enumerem: hi ſunt, præter *Grotii*, & *circa eundem occupatorum loca*, ſuperius memorata.

De Interpretatione Conventionum Andr. *Dinnerus* de Interpretatione Contractuum & *conventionum*. 4. Studgard 1661. *Mantica de tacitis & ambiguis conventionibus* in fol.

Fœderum publicorum, *Textor* de *Jure gentium* c. XXIV.

Pactorum, Jo. von *Felden* Tractatus adjunctus commentario de Actionibus realibus, una cum Tra-

Tractatu de Jurisdictione Territoriali, accurante Lic. Jo. Wolf. *Rosenfeld.* 4. Francof. & Lipsiæ, 1690.

Privilegiorum. *Garsias de Garanda, de explicatione privilegiorum.* fol. Matriti, 1617.

Statutorum, *Mascardus* & Lonfianius *de Oriano.* 8. Coln, 1592.

Testamentorum, Simon *de Prætis* de *Interpretatione ultimarum voluntatum* fol. Francof. 1583.

Mantica de *conjecturis ultimarum voluntatum.* fol.

IV. *Incidenter* denique, *hoc argumentum attigere innumerabiles,* de *Justitia & Jure, juris principiis,* &c. scribentes, quorum præ aliis memorandi nunc succurrunt, in *Cynosura juris* extantes *Pacius* &c. *Corasius* de Juris arte. Hugo *Donellus* 1. comm. 13. & seqq. *Eberhardus* in Topicis, sive locis legalibus. *Hopperus* de Juris arte lib. 4. c. 8. & seqq. multis ad finem usque libri. Antonii *Massæ* Gallesii *de Exercitatione Jurisperitorum* Christoph. *Obemii,* de Jprudentia in artem redigenda. Jo. *Mercerius* in conciliatore. Et *complures* alii, quorum nunc memoria, nimis infelix mea, nullum amplius sistit. Quemadmodum & recordari non possum, quantocunque labore id etiam sim molitus, illius auctoris, ex quo in itineribus meis, nescio ubi, & quando, excerpsi sequentia. Quæ cum ad præsens argumentum nihilominus pertineant, vel maxime, neque nullius sint pretii, non possum non hic exhibere legenda, qualiter in chartularum altera, (nam præcedens altera titulum operis, & nomen auctoris habens deperiit,) leguntur hisce verbis. *Certissimum est, artem peculiarem interpretandi a nemine JCtorum Romanorum unquam fuisse traditam; interim in legibus declarandis eam adeo fuisse excultam, ut quivis ingeniosior eam exinde facile possit discere. §. 9.*

Quæ Nicolaus Cheru, Guilielmus Bando, Pyroltus, Megandro de Santo monte, Otto Brunfels *congerunt, haud credo*

digna esse relatu §. 14. *Quos inter est* Angelus Matheacius, Villalobos, Vinades, Hieronymus de Meleaco, Franciscus de Mempho *Hispani*, & *eorum Civis* Hieronymus de Cævallos *Toleti olim in sede nobilium equitum Decurio & Advocatus*, *qui grande opus in 5. Tomos divisum sub inscriptione* Speculum aureum opinionum communium contra communes *orbi exposuit*, *in cujus præf. ad Lect. non erubuit scribere; se volumine suo Com. contra Com. fecisse, ut quilibet miretur (verba ejus recito) in quanta caligine & obscuritate totum jus versetur, cum nulla sit opinio certa & verissima, quæ non possit pluribus contrariis opinionibus & fundamentis contrariari. Magis paradoxa sunt, quæ aliquot Interpretes scribunt. Nempe ita concludit. Et sic cum essentialis Justitia debeat esse constans, & perpetua, est inevitabilis, vaga & incerta.* §. 15. *Sane diffitendum non est, artem nostram ab illis hominibus, qui a tempore Irnerii, usque ad restaurationem litterarum vixerunt, non tantum male fuisse traditam, & prorsus non excutam, sed ne bene quidem potuisse. Monstravimus supra pluribus, neminem Ll. interpretis officium explere posse, nisi philosophia Civili, & quidem illa accuratiori (non quæ vulgo tradi solet) imprimis sit imbutus; a qua illius ætatis homines adeo fuere remoti, ut ea ne quidem philosophis tum temporis florentibus aut visa sit, aut si postea in lucem protracta, a nemine eorum (si & Thomam de Aquino, & Chrysostomum Javellum ex omni eorum numero excipias) fuerit exculta, multo minus a JCtis, qui eam ad se simul spectare, ne quidem persuadere sibi poterant. Posset hoc testimoniis* Averrois in Comm. in lib. ult. Eth. cap. ult. *it.* Jodoci Clichtovei, & Fabri Stapulensis, *perspicue doceri, si tempus & charta pateretur. Taceo ingentem caliginem Historiæ Romanæ, & omnis bonæ litteraturæ, quæ tum temporis tanquam fatalis calamitas occidenti incumbebat. &c.* §. 16.

Non pauci ex nostris extitere, qui non tantum certiora tradiderunt, quam illi prorsus, sed insuper certitudinem Jprudentiæ peculiaribus scriptis vindicare ausi sunt. Quos inter sunt Andreas Gammarus, Corasius, Gregorius Tolosanus, Rhemigius, Mat-

thæus

thæus Gribaldus Mopha, Hopperus, Petrus Gilkenius, Chassanæus, Alexander de Paz, Quirinus de Meire, Gvilielmus Mancheaut, Angelus de Gueloniis, & *alii plures*, *verum dispari admodum successu*, &c.

Atque hi quidem adeo *singuli* & *universi*, mihi sunt, quatenus editi, jam abhinc tricennio, inspecti non modo, sed & perlustrati, neque *perlustrati modo*, sed & percepti, ac bonam partem *allegatis nostris* hinc inde, locis congruis, *inserti*. Quamvis id quomodo non plane tanta sit cura factum, ut iterari a diligentiore quopiam, & magis vacuo, cum nonnullo spicilegii fructu non possit, in *præfatione* jam *editionis prioris* dictum habemus. Quamobrem & *potissimos* eorundem *ad posteriorem hanc editionem*, una cum noviter XXX. hisce annis posthac proditis, *iterato* inspexi, & *volutavi*. *Non percerpsi* tamen denuo. Nec omnes adeo inspexi, sed *plerosque*. De nonnullis enim expertus sum illud *Angeli-Aprosii di Vintimiglia* sub nomine *Gio. Pietro Giacomo Villani*, editi libelli Italici, cui titulus *Visiera alzata*, occasione cujusdam in Tractatu meo de Anonymis & Pseudonymis forte commissæ (nescio an mea, vel amanuensis, vel typographi culpa, nam liber omnino ad manus erat, quem deesse hinc suspicatur) citationis erroneæ meæ, scribit pag. 49. *E vera mente disgrazia del letterato, quando mancano i libri necessarii.* (Est revera infortunium litterati, quando deficiunt libri necessarii) Quod tamen in hacce patria mea Urbe tanta toties mihi contingit, ut hujusce dicti Aprosiani oblivisci non possim. Vel hanc editionem secundam molienti, ne quidem Patavii usurpatos codices omnes licuit denuo nancisci. Quin imo nec proditos recentiores aliquos etiam in hac ipsa Urbe v. gr. *Hardevici Dasselii Ideam boni JCti.* 8. Hamb. 1590. editam. Quid mirum ergo, si alii veteres, aut dissitis multum in regionibus editi, & dudum, hic frustra fuere inquirendi, & hactenus licet multum allaboranti non potuerunt oculis usurpari meis: eo magis etiam hic nominandi, ne non, aliorum quibus magis suppetunt, collatione, ad-

huc præ cœteris egere ſciantur. Quamvis ex citatis eorundem hinc inde a memet, vel per alios etiam quandoque illorum locis, aut elogiis, facile certus eſſe poſſim, ad ſummam rei nihil eos univerſos, nedum ſingulos magnopere collaturos. Tales ſunt *ex prima claſſe* potiſſimum Jo. Andr. *Beroæ JCtus*, ſeu *de principiis & rationibus juris*, in fol. Venet. 1615.

Claudii *Cantiunculæ de perfecto JCto* 8. Lugd. 1566.

Raynaudi, aliis Reineri *de Forlivio, de Interpretatione* juris.

Antonii *de Souſa* Doctor perfectus in qualibet facultate in 4. Londini.

Petri Gregorii *Toloſani Præludia optimi JCti probique magiſtratus* 16. Lugduni 1583.

Joa. *Steinberg* Diſp. *de Interpretatione & fictione juris*, 12. Gröningæ 1644.

Alexandri *Turamini de Interpret. Juris*. 4. Venet. 1600.

Quos præter, ſi quod aliud extat hujus generis ſcriptum, id fateor mihi vel ignorari plane, vel certe nunc in memoriam non reverti. Aliqua etiam dubitantur ita ſubire, ut nihil certi ſuper illis aſſeverare auſim. v. gr. Erici *Mauricii ſpecimen artis interpretandi jura*, num viderim, legerim, necne. Tanta enim eſt memoriæ meæ, & indies creſcens infelicitas, ut vel excerptorum ante paucos annos librorum mirer me poſſeſſorem eſſe aliquando, eosdem in Bibliotheca mea reperiens. Quare *veniam erratis* maxime talibus, ut infortuniis meis, a L. B. peto, & finio.

Interpretatio in genere deſcribitur, vocis ſignificatione conſtituta.

II. Et vero difficilius longe, & operoſius fuerit, definire interpretationem omnem in genere, quam eam ſolam, quæ ad leges adhibetur. Siquidem ea eſt natura, atque indoles Univerſalium, quod ſenſibus minus ſunt expoſita, & cognoſci incognitis ſpeciebus quas comprǽhendunt, haud diſtincte poſſunt, vel ut uberius docet Philoſophus. (c) Delibabimus tamen hic ali-
2 quantulum in genere naturam interpretis, ut quantum ad legis interpretem neceſſe habemus nanciſcamur. Invenimus autem hic

(c) *2. Poſter. c. 14.*

hic denuo solitas illas vocum tricas, & significationum varietates, quas diversimode distinguere, & discriminare Doctores (d) annisi sunt. Nos vocis usum primum considerantes, videmus interpretes primo eosdem fuisse qui vulgo audiunt mediatores. Ita Asconius eos esse dicit, per quos inducitur pactio. Imo proxenetas etiam ex jure Romano (e) ita dictos colligimus. Et *Isidorus* Orig. lib. XII. *interpretem quasi inter partes medium* dici notat. Hinc pro conciliatore dictus est interpres. Ita Maro: (f)

Tuque harum interpres curarum, & conscia Juno.

Jam vero cum ejusmodi homines non possent non, ad perficiendum opus suum, scrutari utriusque partis consilia, & detegere, ac mentem alterius alteri aperire: factum est, ut prima illa significatio extenderetur, & interpretes dicerentur qui obscura explicarent. Sic Virgilius (g)

Trojugena interpres Divum.

ubi Servius interpretem esse dicit vatem, qui mentem Divum mortalibus publicet. Ita apud eundem Mercurius non semel (h) interpres Divum nuncupatur. Tandem cum fieri non posset quin obscura interdum per alia signa essent explananda, & inprimis per orationem: hinc qui in alium sermonem dicta transferunt, interpretes quoque sunt vocati. Unde cum tres significa- 3
tus collegerimus, facile videmus, medium illum prævalere, propriumque esse, & maxime usitatum, quo obscurorum expositores ita nominantur. Non tamen omnes obscurorum expositores ita fortassis recte dicentur. Inspicere itaque singularia oportebit: ut quænam illa sint entia, quorum obscuritatem tollentes interpretes agimus, cognoscantur. In horum itaque nu- 4

(d) Forster. *de Interpr. l. 1. præf. n. 3. & lib. 2. c. 4. n. 1. valde incommode.* Bart. *in l. omnes populi. ff. de ll.* Bald. *ad l. 3. C. de Judiciis, & ad l. Gallus §. Quid si 15. n. 2. Simon de* Prætis *de interpretat. ultim. volunt. col. 2. n. 1. dub. 1. sol. 1. Cardinal.* Tuscus *Concl. Pract. 327. litt. I.* Everhard. *topicor. loc. 19. a ratione legis. n. 4.* Cæpoll. *c. 1. de interpret. Juris extensiva.* Panorm. *in cap. super quæst. de offic. deleg. in verbo interpretans n. 8. ibiq. Seb.* Sap (e) *l. de proxenet. 3. ff. de propenet.* (f) *lib. 4. Æneid.* (g) *l. 3. Æn.* (h) *lib. 4. Æneid.*

mero invenimus, præter modo dicta, vaticinia, omina, ſomnia,
& nobis apprime contemplari propoſitas leges, orationem etiam,
ſcripturam, & picturam fere omnem: (Nam & diagrammata,
& emblemata, ut cætera taceam, interpretari dicimur,) geſtus
quoque, & pulſus campanarum varios varia indicantes, item ſo-
nos tubarum, ſomnia, & omnia oſtenta, prodigia, portenta &c.
5 & alia conſimilia. Hæc vero omnia in eo convenire, & hoc no-
mine interpretem recipere videntur, quod ſigna ſunt, ſive aliqua
ſignificant: imo quod ſigna ſunt non ſatis ſignificantia, ſive de-
fectu aliquo laborantia. Neque enim vel orationem, vel ſcri-
pturam, vel aliud quid per ſe clarum opus eſt hac ratione juva-
6 re. Unde eleganter ad modum, & appoſite ſapiens ille Epictetus.
(i) Ὅταν τὶς ἐπὶ τῷ νοεῖν καὶ ἐξηγεῖσθαι τὰ Χρυσίππου βιβλία σεμνύνηται, λέγε αὐτὸ
πρὸς σαυτὸν: ὅτι, εἰ μὴ Χρύσιππος ἀσαφῶς ἐγεγράφει, οὐδὲν ἂν εἶχεν οὗτος, ἐφ' ᾧ
σεμνύνεσθαι. *(Si quis intelligentia & explicandi facultate li[illegible]rum Chryſippi gloria-
tur, ipſe tibi dic. Niſi obſcure ſcripſiſſet Chryſippus, nihil haberet ille, quo gloriaretur.)*
7 Quædam vero ſigna videmus naturalem aliquam, & ingenitam,
ſemperque adeo ſibi adhærentem obſcuritatem habere, atque hinc
non poſſe interprete carere: Cujus generis ſunt vaticinia plera-
que, emblemata item, & leges, (de quibus hoc demonſtrandum
8 poſtea veniet) & cætera, quæ nunc afferre ſuperſedemus. Qui-
bus ita conſtitutis, facile conficitur exinde, interpretari eſſe ſigna
adjuvare, ſeu ſignificantiora reddere. Unde interpretari ſæpe
9 pro ſignificare videmus a probæ notæ auctoribus dictitari. Quod
ſi porro quanam ratione ſignis interpres ſuccurrat, quæratur: lu-
ſtratis iterum animo ſpeciebus interpretationis, nullo alio modo
id fieri pronunciamus, quam tollendo imbecillitates ſigni, quæ
ſigni, ſive ea quæ id ipſum minus ſignificare, & virtutem ſuam ex-
ercere faciunt, idque non mutatione ſigni totius, vel per partes,
ſed emendatione vitiorum illorum ejuſcemodi, quæ manente ipſo
10 ſigno perficiatur. Neque enim (rudi exemplo rem ut declare-
mus,)

C. 3. §. 5. & cap. 4. §. 2. & c. 5. §. 2.

(i) *Enchirid. cap.* 73.

mus,) dicitur interpretari orationem, qui eam corrigit, & demptis, vel expunctis periodis alias substituit: sed is demum, qui singularum vocum, phrasiumve significationem exponit, eruitque, oratione qualis erat relicta. Et quamvis, qui in aliam linguam sermonem transfert, ceu dictum habemus, nihilominus interpres audiat: primo tamen veterem non immutat, sed relinquit, imo exprimit quam potest fideliter, adeoque omnino significationem ejus adjuvat. Deinde quod per nova signa, seu aliam linguam, id quod obscure quod ad ignorantes prior illa declarabat, exprimit, in eo addit aliquem alium habitum priori illi, plane diversum, nimirum loquendi, vel scribendi recte, & proprie, in lingua illa, quam adhibet. Non secus atque alia est facultas intelligendi scripta mendosa, alia scribere accuratius. Manet ergo nostra interpretis differentia: nimirum quod sit is, qui tollit, sive cessare facit defectus & impotentiam significandi, sive vitia signorum qua signorum, manentibus iisdem, seu non immutatis. Sed an in solis signis, & omnibus id præstabit? Excutiendæ rursus species singulæ forent. Sed hoc non exigit iste locus. Illud solum ad perfectam Interpretis definitionem generalissimam, & nullo adhuc ad species interpretamentorum, a materia, vel forma, vel alio quopiam discrimine petendas, habito respectu, exhibendam nunc addimus. Quod perfectus solus definiendus, per initio dicta, Interpres sit, *ex habitu optimo* tollens vitia signorum ipsam significationem imminuentium, manentibus signis. Quis autem ille habitus sit, necdum præcise licet definire, neque generatim adeo ut fiat, hic videtur exigi. Quin potius tam late patentem, ac in aliquod vastissimum meditationis abstractissimæ pelagus nos abrepturam inquisitionem, nunc abrumpentes. Id quod necessarium magis est, & proclive aggredimur, & solum Juris interpretem quis sit consideramus.

Addi-

Additio III.

I. De Interpretationis voce ambigua. II. De Natura Interpretationis in genere, illiusque peroptabili scientia: deque Feldeni generalissima Definitione.

1 I. ETsi verear ne aliquibus impatientius subtiliorem circa voces curam ferentibus, jam olim hic περίεργος atque curiosus nimis *circa vocem Interpretis & Interpretationis* aut Interpretandi fuisse videar: attamen non illustris modo Feldeni operosior in eam cura, sed ipsius rei necessitas, iterare hanc inquisitionem adegit. Siquidem tanta hic est vocis ambiguitas, & ni caveatur in futuram omnem tractationem exinde metuenda confusio: ut si unquam alias, certe hic locum invenerit illud Cassiodori de Anima circa finem præfationis dictum. *Antequam rem aggrediar expetitam, oportet prius nominum similitudines, quasi ramos obviantes abscindere; ne semitam disputationis nostræ vocabulorum consonantium sylva umbrosis imaginibus videatur intexere.*

2 Quamvis enim & hic in adversum aurem animumque vellicet illud *Jungianum*, Logices Hamburgensis l. 4. c. V. §. 4. extans egregium, suique sane pretii semper mihi, non ob Præceptoris modo amicam memoriam, sed ob utilitatem suam habitum effatum, ita sonans: *Distinctio Dialectici propria est, aliena ab Apodictico, qui omnem distinguendi occasionem exquisita definiendi diligentia antevertit.* Quod eo trahere utique possis, ut ejuscemodi de distinguenda voce disquisitionum anxiarum, tanquam superfluarum, abjecta cura, solam definitionis bene ponendæ sollicitudinem nostram putemus: nihilominus & decere philosophum neutiquam potest, ut ab ordinario vocis usu, siquidem eum deprehendere ulla cura queat, temere definitionem suam avertat, adeoque necessitatem concipiendi aliam atque

atque solebant audita voce cogitationem Lectoribus imponat. Unde quanta difficultas, & errandi ansa nascatur, in simile quid committentium scriptis versantes, nimis magna cum molestia, experiuntur. Et fieri præterea nequit, ut lector ad congruentes, atque affines analogasque significationes, subinde aliorum eandem usurpantium sermonibus non avertatur, nisi præmonitus de iisdem, animum contra bene informatum & obfirmatum gerat. Quæ utique sufficere videntur, ad hanc curam non superfluam existimandam, recte rem reputanti, ac omnem ab errore immunitatem atque cautelam præstare molienti. Quæ cum ita sint, annotatu dignum hic omnino censemus, quod observatis omnibus vocis hujus usibus, & antiquorum & recentiorum frequentatione notabili receptis, deprehendamus, *denotare* illos per *vocabulum Interpretis*, non solum memorata jam tria; nempe

1. *Pararium*, vel proxenetam, & medium atque conciliatorem,
2. *obscuratum expositorem*,
3. Ex una in aliam linguam sermones *vertentem*. Sed & alios partim latiores hisce, partim angustiores significatus ejusdem vocis fore, si maxime ipsum *Interpretari* advertamus qualiter accipiatur, quando *notat* insuper
4. *Nunciare*. Unde nuncius Deorum *Mercurius*, *Interpres Deorum*, Poëtis vulgatissimo loquendi more nuncupatur.
5. *Significare* in genere. Unde *interpres arcani sermo*.
6. *Docere* ipsum quoque, licet haudquaquam vetustioribus, quos recte hic sequitur illustris *Feldenus* L. 1. c. 1. §. 4. attamen à sequioribus haud raro recentioribus, per Interpretari effertur.
7. *Judicare* quoque, latius sane porrectum mulmentis operationum genus, interpretandi voce optimis auctoribus effertur, æque ac specialibus.
8. *Æstimare*, cumque affectu conjuncto statuere, sic effertur *Ciceroni* de claris Oratoribus c. 5. *Si tanquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur: summam ejus felicitatem non satis grato animo interpretamur*. Adde Felden. §. 3.

9. Examinare sic dicitur. *Feldeno* item notante ex Tacito Hist. II. 39.

4 Qui tamen omnes significatus ab *acceptione* vocis *propria* mihi *olim apprahensa*, ne nunc quidem animum possint dimovere aut debeant: consideranti, quod partim illi ne quidem ad abstractum interpretis usque fuerint unquam, à verbo derivatione facta, extensi; (quando nemo æstimatorem, examinatorem, judicem, proprie dixerit Interpretem) partim qualiter a latiori ad strictius, vel contra, & a contento ad continens, vel parte ad totum, pronissima transnominatione, quæ Metonymia Græcis dicitur, sint conversione seu tropo deflexi. Quando declarans omnis, & significare, & docere, & judicare, & æstimare, & examinare opus habet: in horum tamen nullo subsistit, sed specialem obscuritatis elevationem, ut propriam & peculiarem suæ naturæ, adeoque nomenclaturæ discretæ indigam notionem, ac operationem includit. De illa proinde ut hic agamus, ac ad ejus compræhensionem ac implicationem usurpationis auctorum quorumlibet alias quascunque intelligamus oportet.

Hactenus de voce: de re ipsa ut aliquid etiam hic addam, res exigit.

1 II. Equidem ut jam hæc olim *Juvenis* scribens, *non potui non optare scientiam Interpretandi* aliquam *universalissimam* extare, quæ ad Juris interpretationem applicari a me posset; ita nunc adhuc eandem tota mente desidero, qualem aliquomodo à *Niceta Spilio* delineatam Epistolæ curiosæ in 12. 1686. editæ, Qu. 6. §. 7. pag. 90. videas, & uberius in *nostris ad Verulamium, de augmentis scientiarum* circa hoc argumentum *commentariis*, jam editioni paratis. Unde ut aliquid hic prælibemus: (quando editiones nostræ non præcipitantur) ipsa quidem *signorum natura* prorsus *universalissime* hic foret *capienda*, ita ut nullum non eorum genus excludatur. Quod adeo vel ad JCtum perfectum conformandum etiam sit conducibile. Quem ut critica circa scripturam interpretatione, sic Heterogenia sive alterius quam juridicæ significa-

ficationis atque legalis genere, multiplici opus habiturum infra
dicemus.

Id quod adeo prævidens, etiam *in orationis ſolius interpreta-* 2
tione definienda, cum illuſtri *Feldeno ſubſiſtendum* mihi *non* putavi,
ſed altius omnino adſcendendum. Eo magis, quod jam eo tem-
pore Philoſophiæ Moralis Semeioticam claromontianam mihi
augendam propoſitam habens, vel ad ſola morum ſigna, geſtus,
& actiones, & opera permanentia inanimata, præter orationem
requiri videbam. Quid ergo *ſigna* ſint, univerſim diſtincte prius
fuerit concipiendum, ne in operatione circa illa tali, qualem inter-
pretationis nomine venire volumus, aberremus. Signa 3
vero univerſim quidem ita concepi omnia, ut ſint *entia cohærentia,*
ſive connexa *cum altero cujus ſigna ſunt*, (vel neceſſario, vel ut
plurimum, vel nunc certe quando ſignum præbent, ſive præce-
dendo, ſive concomitando, ſive conſequendo, ſive
pluribus aut omnibus hiſce modis id fiat) & quidem *ita, ut* eo-
dem *notiora*, imo *in notitiam illius deducentia exiſtant.* Quæ ipſa 4
adeo *per connexionem ſuam notitia facta* ſignificatio appella
tur. Hujus *ſignificationis virtuti ſi quid deſit, quod addi non mu-* 5
tato ſigno queat, obſcurum vocabitur ſignum, & in-
terpretationis indigum hoc ipſo atque decla-
rationis, quæ alioqui & mutando fieri poterat. Haud aliter,
atque feneſtram aut repurgando, aut vitia ſubſtituendo pro fra-
ctis integra, pro ſcabroſis glabra &c. efficiemus magis pellucen-
tem, atque perſpicuam. *Ex ſignorum* ergo, & ſignatorum *diſ-* 6
criminibus, uti & ſignificationum, & *virtutum ejus atque vitio-*
rum diſcrimina, ſic *& Interpretationum* hæc tollentium *ſpecies* va-
rias *orituras* in aperto eſt. Quæ quatenus commune quid habe-
bunt omnes, eatenus *univerſaliſſimum de Interpretatione* ſigno-
rum *doctrinam* admittent. Cætera ſuæ *cuique ſpeciei* propria *pe-*

culiares efficient ſcientias, & prudentias, perque experientiarum ſingularium, ad univerſalia redactarum, aut applicatarum, diverſimode conſtituendas, invicemque ſubordinandas, ſubalternatione proportionabili, diverſas *artes*. Inter has utique *una* erit,
7 *de oratione interpretanda*, & præcipue quidem externa, quæ internæ percipiendæ alienæ inſerviens, hanc ut voluntatis ſignificatricem, interpretationi porro ſubjicit. Utraque vero an leges omnes, & quidem conſuetudinarias ſatis accurate loquentibus ſit compræhenſura, ſuo loco, *cap*. 7. deinceps apparebit, ubi de Conſuetudinariæ legis interpretatione diſpiciemus. Interim illuſtris
8 *Feldenus*, in ea ſibi ſola ſubſiſtendum arbitratus, & quaſi omnes Interpretationes circa Orationem unice abſolvere poſſet, loquens, illius nobis hanc *definitionem dedit*, Lib. 1. c. 1. §. 4. pag. 4.

Interpretari eſt quod circa orationem incognitum aut non ſatis cognitum eſt, cognitum facere. Quam nec ipſam tanto credam operi condignum præbere fundamentum, nec ipſiusmet commendatis, ex Topicor. *Ariſtotelis* ſibimet l. 6. c. 4. membro 3. p. 694. & ſeqq. regulis, æſtimandarum definitionum plurimis, ſi ad easdem applicentur, ſatis quadraturam. Id quod multas ob cauſſas nunc omittens, hæc pauca ſola obſervo.

Quod nempe hac definitione, *necdum* illla hoc loco ipſi *Au-*
9 *ctori* ſollicite *quæſita*, *docentis ab Interprete diſtinctio*, ulla obtinebitur. Siquidem & docentis officium circa orationem, id quod incognitum eſt facere cognitum, erit utique. Et qui Auctorem orationis, (vel aliud quid circa illam extra ſignificatum ipſum, quod ſane poſſit eſſe innumerabiliter varium,) efficit ex ignoto cognitum, hoc ipſo foret interpres dicendus, contra omnem loquendi morem, & Auctoris, quantum aſſequor, intentionem. Quin & ille, qui affectiones notionis ignotas per ſuas cauſſas demonſtrat, ita circa orationem verſabitur, ut incognitum circa illam cognitum efficiat, adeoque in definitionem incidet Interpre-
10 tis. Quare vel hic vides orationem qua ſignum, ſublatis ſignificandi defectibus juvandum, exprimi debuiſſe, ad accuratam vel

ora-

orationis interpretationi ſoli definitionem exhibendam. Id quod unice nunc ad ſequentis doctrinæ ſoliditatem apprime neceſſarium monuiſſe contenti, examinare cætera illius definitionis, aut deducere latius Interpretationum univerſas ſpecies, nunc ſuperſedemus. Ulterius hac de re neceſſaria ſuis locis reſervantes.

III. Expeditus hic nobis labor erit, ſi neglectis diverſiſſimis Doctorum (k) definitionibus, quas partim latas, partim arctas, partim improprias nimis, hic exagitare nolumus, ſuperius nobis dicta repetentes ad leges applicemus. INTERPRETARI ergo jura, ſive LEGES, eſt tollere vitia vel imbecillitates, vel imperfectiones ceſſare faciens juris, ſive legum, quatenus ſigna ſunt mentem & voluntatem latoris ſui indicantia: idque manentibus legibus. Nam ſublatis vitiis ſignificantiores fient leges, & clariores, & manentes de eſſentia ſua nihil perdent, nec mutationem patientur. Quæ duo requiri generaliter in interprete dicebamus. Et hæc definitio noſtra nunquam a vero abludet: licet ſingulas interpretationum ſpecies, imo individua inſpicias. Et ſpecies quidem ex iis quæ ſequentur colligemus: individua cum ſint infinita, tradi in ſcientia neque debent, neque adeo poſſunt.

Legum interpretatio quid ſit.

C. II. §. I.

(k) Dd. *in tit. ff.* & *C. de ll.* & *ad l. 2. ff. de Or. I.* & *ad l. 1. §. qui operas, ff. ad SC. Tert. ubi vide* Bart. & gl. *in verb. interpret. adde. d.* Bart. *in l. Cæſar. in lect. ſecunda. n. 22. de publican.* & *vectigal.* Salicet. *ad l. 1. C. de ll. n.* 1. Jaſon *in l. Gallus §. etiamſi. ff. de lib.* & *poſth.* Hahn. *ad Weſembec. de ll. n. 8. ex* Hopperi *Seduardo lib. 4. tit. 7.* Carbo. *de ll. lib. 1. diſp.* 1. Althuſ. *dicæolog. lib. 1. cap. 16. num. 2.*

Additio IV.

Definitionem JCti explicans, & ab aliquibus objectionibus defendens.

1 AD vocem vitia, *imperfectionis addidi vocabulum*, non de necessitate, sed *in gratiam* & memoriam venerabilem illustris *Feldeni*. Qui ante hosce XX, & amplius, annos hic Hamburgi Legatus Principis Anhaltini, cum in colloquium a me super hocce meo, pridem illi donato scripto vocaretur, utque si quæ monenda emendatione indiga inveniret, ea ne dissimularet, rogaretur: hoc primum in dubium vocabat, an vitia legum ea, quæ ita dicerem, recte vocarentur. Quamvis ergo jam dudum certus essem de vocis ea frequentata penes auctores latinitatis optimos acceptione, qua omne corruptionis, imperfectionisque vituperabilis genus, in corporibus etiam inanimatis, culpa, nedum dolo & morali strictius hinc dicto vitio utique carentibus, residens: attamen, ne quid tanto viro, itidemque forte multo magis aliis ipso in limine hujusce tractationis relinquerem: nociturum, aut certe moram facturum aliqvam ad ulteriora dubium, addita vocula malui præcavere, quam doctorum etiam, summorum recentiorum auctoritate, juxta cum latinitate vocis sola me tueri.

2 Similiter nec illud qvod subdidi post mentem, *& voluntatem*, absolutæ necessitatis existimem. Cum & mentis vocabulum illam utique includat, quoties pro anima manente à morte corporis sumitur optimæ notæ latinis Scriptoribus: imo vel maxime voluntati etiàm strictiori acceptione plurimum ut æquipollens usurpatur. Certe semper mentis operationi junctam voluntatem, nec nisi per mentis significationem intelligi posse, indubitatum est, & in Ethicis nostris ex professo demonstratum. Quia tamen & mentis signum distinctum esse à voluntatis signo, ac eo respectu interpretationem recipere possit, non incongrua etiam hæc separatio visa.

Sicut

Sicut & illa hic oppido notatu digna ſtatim ab initio ad uſus in ſequentibus plurimos erit obſervatio. Quod *orationis internæ*, ſive mentis operationum *interpretatio*, etiam ſemoto voluntatis reſpectu aliqua omnino detur. *Quando* nempe *mentis una operatio alteram*, aut ut partem, aut ut connexam, ſignificatione ſua *manifeſtat:* implicitam licet, ac fortaſſis expreſſe nunquam, nec ipſi auctori cogitatam, adeoque potius in cogitandi voluntate, ac debito, vel ſi recogitare detur, actu futuro, quam præterito, aut præſenti, tunc ubi ſignum ejus edebatur, conſtitutam. Velut in enthymematis ſupplendis, in ſubintelligendis reſtrictionibus, aut extenſionibus, præſupponi potius, quam diſerte cogitari, nedum exprimi ſolitis, aliisque plurimis exemplis, etiam legalibus, *infra* dilucidius apparebit. 3

IV. Ex hac definitione primas jam & generales maxime Regulas interpretandi deducere, atque demonſtrare conabimur: quod & ad JCti noſtri officium plenius percipiendum, & ad veritatem, ſive perfectionem ipſius definitionis comprobandam, emolumenti non parum adferet. Primo itaque cum interpretem debere curare, ut jus, ſive leges maneant, dixerimus: ſequitur

Regulæ generales interpretandi aliquot ex definitione deducuntur.

(I) **JCtum debere curare, ut leges eſſentiam ſuam retineant.** Ita enim manebunt demum. Unde clarum eſt, quod **interpretationem eam facere non debeat, per quam leges vitium aliquod eſſentiam ſuam deſtruens, ac perimens, conſequantur.*** Hoc enim dictis eſt contrarium. Porro, ut ex ipſa manſione legis quod ad eſſentiam, ita & quod ad qualitates ſuas, aliquæ profluunt interpretandi præceptiones, univerſim JCto ſemper obſervandæ. Videlicet quod (II) **Interpre-**

Reg. 1.

Reg. 2.

Reg. 3.

pretatio ita est facienda, ut præter essentiam & perfectio legum conservetur. (l) Secus enim si fiat, etsi essentia legis non plane intereat, pars tamen bonitatis
C.1. §. f. ejus interibit. Perfectio enim in partium omnium præsentia, &
Reg. 4. bonitate consistit, per ea quæ superius sunt tradita. Interpretatio itaque tolerari non debet, per quam aliqua imperfectio, seu imbecillitas, seu vitium legi affingitur. Est enim illud perfectioni adver-
Reg. 5. sum. Hoc ut assequatur Interpres, debet semper in dubio eam facere interpretationem, per quam lex maneat perfectissima. (m) Ita enim
Reg. 6. certus erit, se illi non affinxisse imperfectionem, & vitium. Quod si perfectissima lex non possit esse, debet pro minori ejus vitiositate præsumere semper: sive ita interpretari, ut minus vitium in lege maneat. (n) Quæ autem sint vitia legem destruentia, vel imperfectam facientia, & quæ majora, quæ minora, deinceps exponemus. Et quoniam de legibus latis, id est, positivis, hoc loco sermo nobis præcipuus est, quæ à voluntate Legislatoris penitus dependent:
Reg. 7. Interpres debebit præsumere pro summa, & perfectissima Legislatoris prudentia: sive ita interpretari, ut lex a sum-

(l) Alciat. *respons. lib. 2. consil.* 1. *n* 32.

(m) *l. in ambig.* 19. *ff. de ll.* Vigel. *Method. Jur. Civil. parte* 1. *lib.* 1. *n.* 6. *Reg.* 3. Duaren. *in ff. de restitut. in integr. pag. m.* 129. Donell. 1. *comm.* 15. *Angel.* Mattheac. *de via, & ratione juris. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 7.

(n) Forster. *de Interpret. Jur. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 34.

a ſumma prudentia poſſit eſſe profecta. (o) Ita enim perfecta erit, cum prudentia ſit propria virtus Legislatorem perficiens, & ad bonas leges faciendas aptum reddens. Similiter ubi conſtat perfectam prudentiam Legislatori non adfuiſſe, præſumet pro minori Imprudentia, & ita legem interpretabitur, ut a minori imprudentia poſſit eſſe perfecta. Hæc enim reſpectu majoris imprudentiæ eſt prudentia. Conſequenter ad ipſam indicationis naturã quoq; deſcendendo, vel illius intuitu, (III) ne imbecillitatẽ legi, quæ ipſi non ineſt affingat, Legis claræ, & non obſcuræ, non faciet interpretationem: (p) ſcilicet quatenus clara eſt. Nam omnes leges naturali obſcuritate laborare, in genere aliqua, cujus vitio & extenſionis & reſtrictionis indigæ, variis caſibus, etſi non omnibus, eſſe poſſint, & ſupra diximus, & denuo infra dicemus. Eſſet enim illam obſcuram, adeoq; vitioſam dicere, quæ talis minime exiſtat. Præterea ut lex, & omnes ejus partes, ſecundum Reg. 1. & 3. maneant: ex oppoſita manſioni natura, quæ mutatio eſt, conficitur facile, (IV.) quod Interpretando lex non debet mutari. (q) Imo nihil per interpretem

Reg. 8.

Reg. 9.

Reg. 10.

(o) Donell. 1. *com. 15. pag. m.* 43. *ex l. 1. de ll.* Menoch. *conſ. 332. n.* 4.

(p) Forſter. *de Interpr l. 2. c. 4. n. 25. ibique citati.* Zephal. *conſ.* 138. *n.* 2. *conſ.* 199. *n.* 8. *conſ.* 222. *n.* 28. *conſ.* 521. *n.* 28. *conſ.* 535. *n.* 45. *conſ.* 606. *n.* 45. *conſ.* 658. *n.* 45. & *conſ.* 645. *n.* 57. Panormit. *in cap. cauſam quæ extr. de Reſcriptis.* Innocent. *in cap. cum clamor. in f. de teſtib.* Duaren. *de ll. c. 6.* Bartol. *in l. ſi quis. C. de lib. præter. Philip.* Franc. *de petitoriis, nu. 17. adde l. ille aut ille, 25. §. un. ff. de leg. 3.* Guido Papa *ſing.* 308. *Aloyſ.* de Albert. *ſing. 13. ex l. 3. C. de lib. præt.*

(q) Enenckel *de privileg. mil. lib. 1. c. 7. n. 6.*

Reg. 11. debet addi, (r) Nihil etiam demi. (ſ) Quinimo Vi-
Reg. 12. tiorum quæ ſine mutatione legis nequeunt
Reg. 13. emendari, correctionem tentare JCtus non
debet. (t) Ex dicto ſcilicet fundamento, ut lex maneat. Secus enim faciendo leges alias ex aliis, fiet Legumlator, deſinet eſſe Legum interpres. Denique quoniam leges poſitivæ omnem à ferentium voluntate accipiunt eſſentiam: Illius reſpectu habito convenit, ut (V) Interpres legem
Reg. 14. ita tractet, ne fiat alia, quam eſſe eam voluit
Reg. 15. Legislator. (u) Alias enim peccabit & in Reg. 10. Quamobrem contra voluntatem Legislatoris nunquam admittetur interpretatio. (vv) Et ita obtinebit illud tritum Doctoribus: *Interpretatio ipſa lex eſt, & legis habet auctoritatem* (x). Tandem qualitate interpretationum ſic
Reg. 16. ſatis univerſim determinata, de quantitate quoque illius moderanda diſpiciemus. Cujus intuitu cum & exceſſus, & defectus detur. Quod ad exceſſum quidem evitandum, (VI.) Interpretatio nulla eſt de novo incipienda, ubi jam eam

(r) Baldus *in l. 2. C. de bon. quæ lib. Enenkel. l. c. & de privileg. l. 1. c. 2 n.* 8. *& c. 3. n.* 54. *conſ.* Marpurg. 10. *nu. 86. &* 26. *n.* 50. (ſ) Enenckel. *l. c.* Tiraquell. *Tom.* 6 *alicubi.* (t) Fachin. *controverſ. lib.* 10. *cap.* 4. *pag. m.* 42. Faber *in rational. ad ff. l.* 7. *de Juſtit. & jur.* Cubacch. *Brocardicor. c. ult. n.* 447. *prolixe.* (u) Enenkel. *l. c. Martin. Bonacin. de ll. diſp. 1. punct.* 8. *n.* 17. Forſter. *lib* 2. *cap. ult. de interpr. Reg.* 48. *adde l.* 18 *&* 19 *ff. de ll. & citata infra ad cap.* 9. *§.* 9. (vv) Forſter *de Interpret. lib.* 2. *cap. ult. Reg.* 83. Enenkel. *de privileg. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 54. (x) Maſcard. *de probat. concl.* 1041. *n.* 2. *&* 3. *& concl.* 1044. Bald. *in l. ex hoc jure ff. de Juſt. & jur.* Forſter. *l. c. reg.* 48.

eam lex vel legislator qvæ sufficiat, fecit. (y) Esset enim non factam velle dicere, adeoque obscuram adhuc legem esse, quod vetat Reg. 9. Et præterea aut faceret necesse est eandem interpretationem, aut diversam. Sin eandem, ea foret superflua, & legi claræ facta, contra Reg. 9. sin diversam, foret ea contra Legislatoris voluntatem, adeoque contra Reg. 14. Quod ad defectum vero declinandum, etiam insuper hic modus esto interpretandi terminusque certus, ut (VII) Interpretationes eousque legis cujuslibet, aut juris continuentur, donec omnis, quæ tolli queat utiliter obscuritas, sive significandi voluntatem legislatoriam cognoscendam impotentia, vel impediens imperfectio, tollatur, quatenus quidem interpretando id fieri potest. Unde qui generali omnium usui, docendo vel consulendo interpretationem legis alicujus, aut ex legibus multis compositi juris aggreditur, is quidem omnem in universum etiam obscuritatem illius, sequentium interpretationum generibus singulis & universis adhibitis, debet, ut demat, allaborare. Qui præsenti vel suo, vel alieno determinato potius usui hoc agit, etiam minima parte interpretationum omnium, circa legem alias eandem recte adhibendarum, applicatione, queat esse contentus. Et hæ quidem hactenus sufficiant universalissimæ Regulæ, propterea adeo distinctæ a nobis & separatæ penitus propositæ, quo inposterum sæpius in usum deductæ, facile citari queant, nulla ulteriori ex se invicem deductione per multiplices consequentias indigentes.

Reg. 17.

(y) *Cons.* Marpurg. 8. *n.* 17. *Simon. de* Præt. *de Interpr. ult. volunt. lib.* 1. *fol.* 37. *col.* 1. *fol.* 9. *n.* 2.

Additio V.

De Numeris Regularum Interpretandi retentis, vel mutatis.

COeteroqui, cum ipsa multitudo regularum ultra tertiam centuriam adeo, jam in prima editione numeratarum, ne confusioni ansam, & oblivioni, ac tædio lectoris hoc ipso deterreri se facile passuri aliquam præbeat, justus sit metus, ut illud etiam salutare Flacci: *Quicquid præcipias esto brevis* &c. hic observemus, contrahere illas ita, ut generalioribus paucis compræhendantur, omnino constituimus, ubicunque id opus credemus. Eo magis, quod & specialiores regulæ illis implicite contentæ, ac quoties res exigat, suis capitibus generalioribus subordinatæ, ab eo qui e-guerit illis, queant, ubi libeat, etiam partite magis perlustrari, quando generalia suffecerint minus, & multæ illarum in meris verborum æquipollentiis, aut consequentiis sane, ad illas appropinquantibus multum, consistant, ingenio & industria mediocri deducendæ, ac ultra nostrum etiam, si velis numerum augendæ, æque ac specierum ulteriori descensu ad inferiores divisiones. Quæ utræque adeo multiplicationes, uti non raro sint usui futuræ minus ingeniosis, aut animo vacuis, aut auctoritate aliena (uti nunc in foro fere semper) indigentibus: ita *contractiones* illæ, ad *numeris Romanis* signata universaliora, memoriæ & judicio pauca, per caussas suas accurate cognita sola semper animis obversantia malentibus, conducent. Utraque certe distinctio, hæc Theoriæ, illa praxi, serviet magis. Quorum neutra cum sit hic separanda, neutra etiam negligenda visa.

Divisio interpretationis in doctrinalem & Authenticam rejicitur. Cap 9 §.6. cap. 11. §.1.

V. Consequens erit fortassis, species & differentias ex definitione nostra discernere, & ordinare, secundum quas Legum interpretationes variant. Verum eas visis singulis postea rectius in unum colligemus. Interim hoc monendum nunc putamus. Inter varias, quas pro diversimoda interpretationis acce-

ptione, & definitione, effinxere *ſpecies*, qui de Jure ſcripſerunt: cujusmodi ſunt, *Univerſalis, generalis, ſpecialis*, *activa*, & *paſſiva: extrinſeca*, & *intrinſeca: Authentica*, *Scholaſtica*, *forenſis*, *Politica* & aliæ complures (z) inter has inquam ſummam, & maxime omnibus approbatam cenſeri vulgo (aa) eam, quæ in *declarantem* & *corrigentem*, ſive *doctrinalem*, & *Correctoriam*, quæ & *Authentica*, & *Abrogatoria* dicitur, Interpretationem diſpeſcit. Licet à quibusdam (bb) ſumma illa diviſione omiſſa, una cum ſpeciebus doctrinalis hæc enumeretur. Ut ut ſit, in eo conveniunt, quod hiſce nominibus compræhendant omnes legum mutationes, à magiſtratu, ſeu eo, qui hanc circa leges poteſtatem ſibi conceſſam habet, factas: dum ille vel ſenſum legi adjudicat quem vult, vel legis partem tollit, alia ſubſtituta, ſi placuerit, vel totam etiam eandem abrogat, alia rogata. Quæ operatio, quam plane ſit ab ea, quam nos conſiderandam ſumpſimus, diſtincta & diverſa, patet definitionem nobis poſitam inſpicienti. Quinimo cum hac ratione leges tractare, ſit novas condere, non illuſtrare veteres: ad Legislatorem, non vero ad JCtum hæc operatio pertinebit, adeoque nec ad unum genus cum noſtra revocanda, nec Interpretatoriâ ſed in Legislatoriâ ſcientiâ conſideranda.

(z) *Quas v. apud* Hahn. *in Weſembec. de ll. n. 8. & unde ſua deſcripſit ipſe* Hopper. *Seduardi lib. 1. tit. 20. & ult. art. 4. tit. 7.* Modit. *in §. Lex eſt. Inſt. de J. N. G. & Civ. dubit. 15. 1. 3.* Unverfährt. *Jprud. Univerſal. c. 6. §. 95. 96. &c. Card.* Tuſch. *concl. Pract 327. & ſeqq. verb. Interpretatio.* Forſter. *de Interpret. Jur. lib. 1. c. 2. §. 7.* Bald. *in l ff. de lib. & poſth. §. Quod ſi, n. 2.* Althuſ. *Dicæologiæ lib. 1. c. 16. n. 4.* Giph. *præfat. in Codicem* Gammarum *de extenſionibus n. 11. & 40. gloſſ. in c. ſicut 30. q. 1. cauſ. 11. & ad cap. 1. extr. de poſtul. prælat. verb. interpret.* (aa) Hahn. *l. c.* Mant. *de tacit. & ambig. convent. To. 1. lib. 1. tit. 16. Anton. de* Roſellis, *de concil. & Synodis in rubr. Pontif. Max. ſolus*, Panormitan. *part. 2. lib. 1. decretal. de Offic. & pot. Jud. delegat. cap. ſuper quæſtionem, n. 8.* Bartol. *in l. ab executore, ff. de appellat. & ibid. Seb.* Sap. (bb) *Anton. de* Roſell. *l. c. ex gl. ad l. 1. §. qui operas ff. ad SC. Tertull. Conrad.* Laudens. *templ. om. Jud. l. 1. c. 1. §. 3. n. 21. Lanfranc. de* Oriano *de Interpretat. ſtatut. n. 6.*

Species variæ a variis Doctorum interpretationi doctrinali assignatæ, improbantur.

VI. Ad *doctrinalem* redimus, quæ & *Scholastica* vocari meruit. (cc) Quæ cum sit eadem cum illa, quam nos definivimus, ulteriorem contemplationem nostram exiget. Solet autem varie illa rursus dividi. Quippe Hotomannus (dd) hic *Dialecticam*, *Grammaticam*, & *Juridicam* affert, Alius *Historicam Ætiologicam*, *Pragmaticam*, & *Analogicam*. (ee) Forsterus fusius rem expositurus, aliam dixit *communem*, *specialem* aliam. Communem per omnia scientiarum genera diffudit, & enumeravit *Grammaticam*, *Dialecticam*, *Historicam*, *Ethico-Politicam*, *Poëticam*, *Arithmeticam*, *Geometricam*, *Physico Medicam*, imo & *Chymicam* tandem, & *Theologicam*. Specialem postea adducit, tum communem, juxta vulgatum versiculum.

Præmitto, scindo, summo, casumque figuro,
Perlego, do causas, connoto, & objicio.

tum singularem, quam *extensivam*, *restrictivam*, & *declarativam* esse affirmat. Alii alias enumerarunt species. Ut, *expositivam*, *mediantem*, *stantem*, *transferentem*, *distantem*, *corrigentem* &c. *Forsterus*. (eee) *prorogativam*, *limitatam*, alii. (eeee) Neque desunt qui omnem Jurisprudentiam Legislatoriam, Judiciariam, Advocatoriam interpretationis nomine complectantur. (eeeee) Ita *Unverfährt* facit interpretationem *scholasticam*, *forensem*, *Politicam*. Et primam hanc iterum cum *Hoppero* variam valde. (ffff) Communis tamen & vulgatissima doctrina est, interpretationem JCti propriam aliam esse *Extensivam*, aliam *Restrictivam*, aliam *declarativam*, aliam *Mentalem*, uti est apud *Manticam*. (ff) Nam ejusdem *Correctivam* nunc omittimus. Cui alii etiam subscribunt plusculi, in paucis novantes, vel ab ipso recedentes. *Intensivam*, alii

(cc) Hahn. *ad Wesemb. de ll. n. 8.* (dd) *In suo JCto* (ee) Hahn *l. c.* (eee) Forster. *de Interpret. l. 1. c. 1. n. 7. & lib. 2. c. 2. n. 4.* (eeee) Gothofred. *in summ. de V. S. n. 7 & 8. lib. 1. c. 16. n. 2.* (eeeee) Vultej. *principior. Juris lib. 2. pag. m. 51. & 52.* (ffff) *Pæd. Jurisprud. c. VI. §. 79. & seqq.* (ff) *de tac. & ambig. convent. tom. 1. lib. 1. c. 6. n. 6. & seqq. &c.*

alii *Extensivam.* (fff) *Comprehensivam,* vel eandem atque declarativam dictam, definiunt, quod sit *Interpretatio per quam lex ad casus ea non comprehensos applicatur.* *Restrictivam,* quam Limitativam & arctativam vocant *per quam lex generalis ad debitas species restringitur, & coarctatur.* *Declarativam,* quam eandem simplicem *Explicativam,* & *Historicam* nuncupant, *per quam ambiguitates & obscuritates in verbis, & tota legis oratione existentes exponuntur.* *Mentalem,* seu *Intellectivam per quam mens Legislatoris a verbis diversa colligitur.* Atque hæ sunt doctorum opiniones de Interpretationis nostræ speciebus. De quibus siquidem οὐ μὴν ἐξ ἁμάξης, ἀλλ' ἐξ ἐπιστημονικῶν ἀρχῶν παῤῥησιάζεσθαι τὴν ἀλήθειαν concessum fuerit, nullam plene nobis satisfacere confitebimur. Neque tamen tantum nobis otii est, ut singulas redarguamus. Quin potius nostram sententiam demonstrationibus suis fundatam atque superstructam afferemus: unde cordato cuivis errores ab ea dissentientum facile per se patebunt.

VI. Id ipsum vero commodiori via non assequemur, quam si vitia legibus qua legibus accidentia contemplemur. Ita enim, quæ ipsis ut signis insint, quæque emendari queant a JCto, facile intelligemus. Ea nempe, quæ sine legis mutatione ulla tolli poterunt: cum alias contra definitionem JCti, & ex eadem deductam Reg. 10. sit peccaturus. Quare vero legum vitia, quatenus signa sunt ejus quod in animo habuit Legislator, separatim non pertractemus, sed in genere vitia quæ legibus qua legibus (ita enim & ea quæ ut signis insunt, non separabuntur) inhærent, enumerare decreverimus, inferius sufficiens, spero, ratio à nobis adferetur: ut & cur utriusque generis, sive ad signi naturam pertinentes, sive alienas inde virtutes aut imbecillitates operæ pretium sit collegisse, mox dicemus cap. prox. seq. §. 1.

Ex vitiis legum veras interpretationis differentias esse petendas.

CAP.

(fff) Gammarus *de extens. n.* 84.

Caput III.

Juris, & Legum ſingularum Essentia, & Perfectio per partes omnes fuſe proponitur, ac determinatur.

SUMMARIA.

1. *Continuatio.*
2. *Juris naturæ in genere, & in ſpecie Juris poſitivi civilis indagatur.*
3. *Legis poſitivæ Civilis definitio.*
4. *Legis definitio bene poſita probatur.*
5. *De perfectione legis qua propoſitionis.*
   Additio VI. Retractatio aſſerti, *de* Neceſſitate Legum impoſſibili, *ſive inevitabili earundem Contingentiæ utplurimum, & exceptionum ſingulis accidentium, imbecillitate: olim ex mente Ariſtotelis, & Feldeni aliquamdiu pro vero habiti.*
6. *De eadem ratione conſenſus, ex quo oritur.*
7. *De perfectione quæ eſt in directrice legis virtute in genere, quod debeat ex prudentia proficiſci.*
8. *De eadem in ſpecie, & primo de fine, ad quem dirigit lex, ejusque præſtantia.*
9. *De mediis per quæ Lex dirigit in genere.*
10. *De vi legum coactiva, ſeu ea quæ voluntatem afficit, ejusque perfectione.*
11. *De ratione indicandi quæ legibus poſitivis ineſt.*
12. *Perfectæ legis definitio.*
13. *De Juris perfectione, quatenus ea Legum perfectionem comprahendit.*
14. *De Juris perfectione quoad numerum Legum.*
15. *De partium juris diſtinctione.*
16. *De Ordine, ſeu methodo juris.*
17. *De conſervatione ſocietatis quam jus operatur, deque finis unitate ad quem ducit.*
18. *Perfecti Juris plena definitio.*

I.

Continuatio. EX Legum vitiis deducturos nos interpretationum diverſitatem promiſimus. Ea ipſa autem non demonſtrabuntur ordine

dine compendiosiori, quam ex opposita sibi virtute. Siquidem ea est natura contrariorum, ut ex altero cognito alterum sine difficultate plerumque elucescat. Prout ergo virtus est, Philosopho (a) attestante cum aliis, per quod bonum aliquod est, ac dicitur: ita vitium erit per quod malum quid, seu bono privatum & contrarium vocatur, atque existit. Et quemadmodum perfectionem antea in eo collocavimus, quod essentiæ partes omnes ac bonitates præsentes sint: ita quoties defectum earundem, aut vitiositatem offenderimus, imperfectionem continuo agnoscemus. Essentiam itaque & naturam Juris atque legum indagemus necesse est: ut per partes ejusdem euntes, singulas sua cum bonitate intueamur. Ea autem ex definitione constabit. Quam adeo membratim bene constitutam, ei fini consideraste, ut & perfectiones & imperfectiones legum, atque jurium, inde singulæ ac universæ innotescant, non ad genera modo interpretationum, sed ad regulas etiam conducet, cum generales superius dictas, plenius intelligendas, quæ perfectiones legis conservare, evitare vero imperfectionem præcipiebant, tum speciales alias, inde porro derivandas, oppido plures.

II. Jus proinde, ut significatus hujus vocis satis numero- 1
sos, ab aliis (b) allatos, silentio involvamus: hoc loco nihil aliud
esse volumus, quam **complexionem**, sive σύστημα **legum, certam aliquam societatem conservantium.** Conservatio autem illa in eo consistit, quod ad fi- 2

Juris natura in genere, & in specie Juris positivi civilis indagatur.

(a) *1. Nicomach. 6.* (b) *videsis prolixos hac in parte. Matth.* Stephan. *de arte juris cap. 1. Colleg.* Argentorat. *de Just. & Jur. th. 5. Angel* Mattheac. *de via & ratione juris, lib. 1. cap. 11.* Puffendorff. *element. Jurispr. lib. 1. def. 8.* Donell. *lib. 1. comm. cap. 3.* Duaren. *Comm. ff. de Just. & Jur. cap. 2.* Zoësius & Wesembec. *in ff. de I. & I. & alios plurimos, imo* Dd. *communiter in l. penult. h. t. & alios propemodum infinitos.* Gregor. Tolosan. *prælud. Opt. JCti lib. 2. c. 2.* Hornii *de Civit. proœm. c. 1.* Brandes *de vera & simulata JCtor. Philosophia c. 6. p. 128.*

nem aliquem, ſive bonum unum commune omnia ſocietatis
3 membra ducantur. Pro ſocietatum ergo diverſitatibus jura etiam differunt. *Jus* vero aliud vulgo *divinum*, aliud *humanum* eſſe dicitur. Divinum quale ſit, & quanta ejus præſtantia, ex ſuis principiis demonſtrandi locus hic accommodatus non eſt. Conſtat tamen juris interpretes nunquam JCtos, ſed Theologos omnibus dici: de iis vero nulla nobis nunc inſtituta eſt, ſpeculatio.
C. ult. §. 8. Paucula tamen de hoc jure, quatenus noſtrum ei ſubordinatum
4 eſſe debet, inferius delibabimus. Ad *ſocietates* nunc tranſimus, quibus homines conjunguntur: Jurium humanorum ſpecies inde petituri. Eæ vel naturales ſunt, vel poſitivæ, ſive arbitrariæ. *Naturales* ad quas naturæ inſtinctu vocamur, vel minores ſunt, vel majores. *Minores* quæ ex hominibus, non vero ex aliis ſocietatibus componuntur: cujusmodi ſunt Conjugalis, Paterna, & Heriles vulgo dictæ, quæ proinde per Jus conjugale, paternum, & herile conſervantur. Ex his domus compoſita, jura domeſtica prodit. Inde pagus, ſeu Civitas imperfectior, & ipſa tandem Civitas, quæ *Jura civilia*, ſicut illa *vicinitatis jura*, facit oriri. Quæ omnia ex Ariſtotele (c) plenius poterunt addiſci, & hic cognita
5 ſupponuntur. Civitates porro ſecuritatis præcipue majoris ergo in imperia coeunt. Unde *imperiorum jura* originem ducunt. Tandem inter omnes omnino gentes communio aliqua intercedit, quam cognationem a natura inter nos conſtitutam videtur intellexiſſe Florentinus, (d) ad id tendens, ut externorum bonorum, per omnes regiones varia inæqualitate diſtributorum, indigentia æqualiter communibus ſtudiis ſublevetur. Et hinc *Juris*
6 *Gentium* natura, & proprietates erunt derivandæ. Hæ omnes ſocietates, uti diximus, naturales, juribus illis ſuis reguntur naturalibus, adeoque ex certis ſuis principiis & cauſſis perpetuis atque indubiis demonſtrabilibus, & ſub ſcientiam cadentibus, quæ
cap. f. §. 3. quantum ab habitu JCti noſtri differat, ſuo loco exponemus.
7 Nunc ſufficiat nobis quod ex harum ſcientiarum cognitione etiam

(c) *lib. 1. Politic.* (d) *l. ut vim. 3. ff. de J. & J.*

etiam exactissima JCtum neminem dici videmus. Quod secus si
foret, certe Aristoteles, quem jura naturæ in civili sua scientia, si-
ve Ethicorum & Politicorum libris, satis diligenter speculatum
esse videmus, JCti nomen præ cæteris mereretur. Quod tamen 8
usus in quantum refutet, apertum est. Ad *positiva jura* transi-
mus, quæ vel sunt *mere* positiva, reguntque & conservant socie-
tates mere arbitrarias, nulloque naturæ instinctu ortas: verbi
gratia, mercatorum, ob certi lucri spem, iter facientium, ob com-
moditatem, & securitatem; ludentium, & cæteræ, quæ sunt in-
finitæ, & in dies pro varietate cupiditatum humanarum aliæ at-
que aliæ possunt institui, & ex analogia quam cum naturalibus
habent dijudicantur, materiæque juris de Contractu societatis
originem præbent: vel vero *partim positiva cum naturalibus con-
currunt*, regendo societates quidem naturales, sed ex speciali
consensu partium. Et hæc sunt jura illa, quæ *positiva* nunc dici-
mus, tot specie ac numero, quot sunt societates naturales. Sic 9
unumquodque imperium, quæque civitas, gens, pagus, & fa-
milia, suum sibi jus usurpat, vel tacito vel expresso consensu sibi
constitutum. Inter hæc vero primario & κατ' ἐξοχὴν jura sunt quæ
civitates regunt, & Civilia, propterea nuncupantur. Sicut enim
Civitas ex reliquis illis omnibus componitur, ita jura Civilia reli-
qua omnia compræhendunt, finemque eum intendunt, sub quo
reliquorum pariter scopi contineantur. Quin & societates illæ
aliæ, & jura earum, ex Analogia cum Civilibus ipsi Aristoteli de-
ducuntur aut deducendæ supponuntur. Quem & *Feldenus* hac in
parte sequitur fideliter. Quod quousque recte se habeat, vel mi-
nus, in *Jure nostro naturali* decisum dabimus. D. V. Nunc insti-
tuto nostro ea doctrina quidem tantisper etiam suffecerit. (e)
Quæ cum ita sese habeant, patet etiam interpretationum eandem
fore, & neutiquam disparem analogiam: eumque adeo qui Civi-
lis Juris interpretem laudabiliter se gesserit, in reliquis nullo mo-
do facile hæsurum. Quare, sicut ab initio faciendum monuimus, 10

 per-

(e) *lib. 5. Nicom. cap. 10. & lib. 8. c. 11.*

perfectiſſimum exemplar JCti contemplaturi, perfectiſſimum nobis jus, perfectiſſimamque ejus interpretationem proponemus. Jus ergo Civile poſitivum nunc definimus, Complexionem Legum poſitivarum, ſocietatem Civilem aliquam conſervantium, ſeu ad communem aliquem finem, (vel commune aliquod bonum) ducentium.

Legis poſitivæ Civilis definitio.

III. Hoc ita conſtituto, neceſſe habemus etiam Legem poſitivam definire: tum ne quid obſcuri in definitionem admiſiſſe videamur, tum quod etiam ipſius perfectiones in ſpecie erunt conſiderandæ. Lex itaque poſitiva, ut ex mente ac verbis *Ariſtotelis* cap. 1. Rhetoricorum ad Alexandrum, ita ex vero, quam diſtinctiſſime concepta, eſt Propoſitio, ex præcedente ſocietatis conſenſu facta, ut dirigat partes ad finem aliquem communem, etiam poſtea invitas: id eſt vel præter, vel contra electionem, & propoſitum diverſum, poſtea ſubſecutum.

I

Legis definitio bene poſita probatur.

IV. Et hiſce quidem attributis, quæcunque etiam alii vel Juri (f) vel Legi (g) aſſignaverint, ſatis nobis utramque ab omnibus

(f) Celſ. *l.* 1. *de Juſt. & Jur. ibiq.* Dd. & Commentatores *fere omnes.* Duaren. *de l. & I. c.* 2. Donell. *1. comm.* 5. *Paul.* Buſius *comm. ff. de I. & l. n.* 4. Oldendorp. *de Jur. Nat. G. & Civ. tit.* 2. *n.* 5. & 15. Mattheac. *lib.* 1. *cap.* 11. *Matthias* Steph. *de arte jur. cap.* 2. Treutler. *vol.* 1. *diſſ.* 1. *theſ.* 2. &c. Hopper. *Seduardi lib.* 1. *cap. peculiari de juris definitione.*

(g) *l.* 1. & 2. *ff. de ll. ibique* Dd. & Commentatores *fere omnes,* Duaren. *de ll. cap.* 2. Argentoratenſes *ff. de ll. theſ.* 2. Zoeſ. *ad h. t. n.* 3. Oldendorp. *de J. Nat. G. & Civ.* 2. *n.* 15 Mattheac. *lib.* 1. *c.* 30. Puffendorffius *element. lib.* 1. *def.* 13. Soacius *de Princ. Juris, c.* 7 & 9. Plato *in Minöe,* & *Marſil.* Ficinus *in ejusd. argum. p. m.* 755. *col.* 2. *b. Idemque lib.* 1. *de LL.* & *Marſil.* Ficin. *in arg p.* 829. 2, *b.* Cic. *Philipp.* 12, Hopper *Seduard. lib.* 1. *tit,* 20, *Alphon-*

bus affinibus aut cognatis rebus aliis diſtinxiſſe videmur. Quip-
pe & Naturale jus, à noſtro ſeparavimus, dum illud in propoſi-
tionibus ſcientifice cognoſcendis; (quas per *dictatum rectæ ratio-
nis*(h) Grotius intelligere videtur,) hoc in propoſitionibus ex
præcedente conſenſu ſocietatis factis, adeoque totam ſuam eſſen-
tiam facientis voluntati debentibus, conſiſtere docuimus. Juris 2
vero naturalis an detur interpretatio, & qualis, circa finem hujus
exercitationis fortaſſe ſubjiciemus. Porro & a divinis legibus cap.ult.§.7.
noſtras ſejunximus, humanarum ſocietatum ipſis directionem 3
tribuentes. Sic & a juſſu, ſeu paterno, ſeu herili, ſeu Tyrannico, le-
ges noſtras oppido diverſas fecimus, ex conſenſu easdem deri-
vantes. Nec minus a conſiliis, monitisque, ac perſuaſionibus eas-
dem diremimus: quæ propoſitiones quidem ſunt dirigentes, ſi eo
usque vocis uſum extendi volumus, interim nec invitos, nec ea
efficacia, qua leges nos adſtringunt(i) ſive ligant, id quod ex
iis quæ ſubjungentur fiet clariſſimum. Affectiones inſuper o- hoc c. §.8.
mnes ſperamus ex hac definitione noſtra demonſtrari poſſe: id 4
quod optimam eandem probare, non uno in loco Ariſtoteles
profitetur. Hinc ergo, ut periculum ejus aliquod faciamus, 5
cauſſam depromemus, cur Sapienti legem nullam ſcribi dixe-
rint antiqui. Sapientem quippe illi a prudente parum diſtin-
xerunt, qui ſibi ipſi lex viva eſt, nec ignorans agenda, nec agens
invitus, virtutis ſcilicet amore, non pœnæ metu, præmiorum-
ve inanium ſpe ductus, leges ſibi præſcribit, ſeu propoſitio-
nes in animo format, quibus actiones ſuas conformans ſum-
mum bonum ſibi propoſitum impetret. Eundem in modum 6
Princeps legibus ſolutus eſt, ſecundum leges tamen vivit. (k)

ſus Moditius *dubit.1.in §.Lex eſt.ff.de J.N.G. & Civ.* Vultej. *princip. J.L.2.p.m.35. ubi diſerte* propoſitionem *dicit* eſſe legem, ex ſubjecto & prædicato *conſtantem.*

(h) *de Jure bell. & Pac. lib.1.c.1.§.10.*

(i) *Adde* Duar. *de ll.c.4.*

(k) *v.l.Princeps.31.ff. de ll. ibiq.* Dd. & Commentatores *ordinarie.* Mattheac.

v.*cap. ult. §.9.

Etenim qui reapſe talis eſt, ut Principem ſe gerere poſſit, prudentia reliquos antecellit. Solum enim præſtantius & prudentius naturaliter imperat, juxta Philoſophum. (l) Prudens vero legibus non indiget, ſibi ipſi lex exiſtens, quemadmodum diximus. Vivit tamen ſecundum leges, eodem fundamento, tanquam virtutibus moralibus, ſine quibus prudentem eſſe, ſcribente eodem Philoſopho, (m) nemini contingit, plene inſtru-
7 ctus. Multa alia addere liceret, niſi hac ratione extra orbitas vectaremur. Contenti ergo nunc erimus, noſcendas hic omnes ex noſtra definitione Legum imbecillitates, atque inde modos tollendi eas, ſeu interpretandi leges eruiſſe, perfectione prius partium ſingularum exactiùs conſtituta.

De perfectione legis qua propoſitionis.

V. Diximus legem eſſe propoſitionem. Propoſitionem intelligo cum Philoſopho (n) λόγον καταφατικὸν, ἢ ἀποφατικὸν, τινὸς κατά τινος. hoc eſt, ut ſcienter explicat Joh. a Felden (o). *Habitudo rei ad rem, quatenus una alteram continet, qua habitudine affirmamus, aut negamus aliquid de aliquo.* Hæc ergo ſive habitudo, ſive ratio, ſive proportio τȣ̃ continere, ſive ineſſe, quo eſt perfectior & abſolutior, eo perfecta & abſoluta magis erit propoſitio,
2 & per conſequens lex. Obſervamus autem hic ex duplici fundamento, ex quo modo laudatus Joh. a *Felden* (p) propoſitionum differentias deducit, imperfectiones quoque earundem & per-

lib.1. cap.34. Bronchorſt. *Enantioph. centur. 1. aſſert.6.* Cujac. *lib.15. obſerv. 10. & lib.26. obſ.3.* Menoch. *conſil. 421. n. 20. conſ. 423. n. 3. & 8. conſ. 454. n. 25. conſ. 208. n. 40. conſ. 1129. n. 17. & ſeqq.* Panormitan. *in de conſtitut. Tom. 1. pag. 33. & in cap. 1. de probat. f. 4. p. 3.* Pariſ. *conſ. 1. n. 3. vol. 4. adde l. digna vox. 4. C. de ll. ibiq. Dd.* Moditius *in §. Lex eſt Inſt. de J. N. G. & Civ. dubit. 49.*

(l) *lib. 1. Politicor. cap. 1.*

(m) *lib. 1. Polit. cap. 5.*

(n) *1. Prior. Analyt. 1.*

(o) *Tract. de Enunciationibus & Syllogismis cum abſolutis tum imprimis modalibus cap. 1. §. 10.*

(p) *l. c. §. 12.*

perfectiones elici posse. Nimirum primo ex ratione ejus, cui
quid inest, oritur perfectio: si id quod inesse dicitur, seu affirma-
tur de alio, de eo omni affirmatur, vel si non inesse dicitur, adeo-
que de eo negatur, de omni negatur. Cum enim propositio-
nis essentia sit, ut in ea affirmetur quid vel negetur de alio, per-
fecta illa essentia erit, si de omni affirmetur, vel negetur. Et
hæc est propositio quæ *universalis* dicitur: quam propterea
perfectiorem particulari pronunciamus, in qua de aliquibus sal-
tim quid affirmatur, aut negatur. Altera perfectionis varietas 3
exinde est, quod ipsum τὸ inesse vel non inesse suas habet diffe-
rentias. Vel enim talis ejus est ratio, sive habitudo, τȣ̃ ὑπάρχειν
ἢ μὴ ὑπάρχειν, ut non possit non esse inter illos terminos qvos con-
junxit; vel vero talis, ut possit qvidem non esse, sit tamen ple-
rumqve; vel ut possit sine discrimine esse, aut non esse, vel de-
niqve ut rara sit inter illos terminos. Et hinc nominantur *pro-
positiones necessariæ*, *Contingentes ut plurimum*, *contingentes in u-
tramque partem*, *& contingentes raro*. Vide sis super hac re A-
ristotelem, (q) & alios Logicorum, qui tamen non omnes æqve
Aristotelis mentem intellexerunt æqve ac *Feldenus*, inspicien-
dus omnino de Interpretatione part. 1. lib. V. cap. II. pag. 470.
& seqq. Harum *perfectissimam* esse *necessariam*, qvæ semper 4
facit contineri, vel non contineri terminum sub altero, perspi-
cuum est. *Proximamque* ab ea esse *Contingentem ut plurimum*:
utpote abeuntem minus, reliquas vero perfectionis minimum
habere. Possemus jam in legibus necessitatem illam termino- 5
rum quod ad mutuam sui invicem compræhensionem exigere,
verumenimvero non ea est materia de qua leges fiunt, qvæ
tam perfectam habeat inter se & exqvisitam proportionem. Acti-
ones videlicet nostræ, & modi per easdem felicitatem propo-
sitam consequendi, non adeo invicem connectuntur, ut eadem
actio eodem modo semper ad finem eundem conducat. Unde 6
Aristo-

(q) 1. *Poster. cap.* 12.

Aristoteles (r) non legislatoris, nec legis, sed materiæ ex qva leges fiunt, hoc vitium esse dicit, qvod propositiones non nisi contingentes ut plurimum hic dentur. Quinimo, quod mox repetemus pluribus, de iis, quæ necessaria sunt vel non sunt,
7 non possunt leges sine absurditate conformari. Hanc igitur legum imbecillitatem nativam videmus, quam nullus etiamsi diligentissimus, & laudatissimus Legislator præcavere poterit, in ulla lege: sed ex æquo in omnes admittere cogetur, non suo, nec legum, sed materiæ vitio.

Additio VI.

Retractatio asserti, de Necessitate Legum impossibili, sive inevitabili earundem Contingentiæ ut plurimum, & exceptionum singulis accidentium, imbecillitate: *olim ex mente Aristotelis, & Feldeni* aliquamdiu pro vero habiti.

1 HÆc *ita* tum temporis *asserui, secutus Aristotelem, &* ejus Interpretem etiam hic fideliter sequacem *Feldenum*. Qui adeo præter Aristotelem vix sustinet sapere, ut non modo pag. 272. part. 1. lib. 2. de Interpretatione scribat, *ferme semper sibi molestum esse contemplationis laborem, quem seposito Aristotele aggrediatur*. Sed & in operis illius Msto meo diserte magis multis in locis id profiteatur. Is ergo cum *Aristotele* Nicom. V. 14. (quem Tr. *de interpretatione* part. 2. l. 3. præfat. §. 6. p. 692 & 963 exponit,) hoc diserte repetit, quod abhinc 30. annis nos docuerat hac de re. Adde conclusionem ejus libri p. 1060. & seq. ubi ad scientifica jura et-
2 iam hoc transfertur, ne de positivis solis id interpretemur. Tractu temporis tamen longiori, ac quod ipse miror, nunc, ubi rem claram adeo facilemque, sine præjudicio scrutanti eam, esse debuisse agnosco, pedetentim admodum, & lente, seroque demum, eo

(r) 5. *Nicomach. cap.* 14.

eo perveni, ut agnoſcerem, non tam in ipſa rerum Practicarum natura, quam corrupta nomenclatura earundem id ſitum eſſe, quod non æque ac Mathematici neceſſariis meris propoſitionibus uti, atque omnibus omnino exceptionibus ſuperſedere queamus. Id quod prolixius Deo volente aliquando *in Syſtematis Philoſophiæ Practicæ* plenioris meæ *prolegomenis*, & qua ratione ſenſim illud tandem ut depræhenderem pervenerim, expoſituro, nunc quantum inſtituto præſenti neceſſarium eſt, declaratum dare ſufficerit. Nimirum *ita rem* totam *nunc intelligo*. Contingentes ut 3
plurimum dicuntur Practicæ Propoſitiones exinde fieri, quod accidentia multa contingant, quæ faciant quandoque Prædicatum non competere ſuo ſubjecto, v. gr. redditionem depoſito, cum quo cohæret, ordinario non cohærere. Id vero fieri quando ratio ſive cauſſa ceſſat connexionis. Eam vero neceſſe ſit alterutrius definitione contineri. Quæ proinde ceſſabit tunc, quando ratio ceſſat. Vides *definitione ceſſante rem ipſam ceſſare*, adeoque nomenclaturam ejus quoque ceſſare debere. Proindeque ubi depoſitum non eſt reddendum, ibi aut depoſiti, aut redditionis naturam non amplius adeſſe: vocem vero adeſſe adhuc, atque uſu frequentatam manere, quæ tamen revera debebat æque ceſſare Philoſophice ac proprie ſchapham non niſi ſcapham, hominem non niſi hominem appellantibus. Adeoque nec hominem id, quod eſt cadaver, neque ſchapham id, quod eſt cinis debere dici. Cum tamen uſus vulgaris haud aliter frequentetur, quam 4
ut ſchapha in cinerem redacta, & homo mortuus dicatur. Unde quid mirum, ſi homini mortuo non competant prædicata, quæ viro, nec ſchaphæ combuſtæ, quæ integræ competebant. Sicut 5
hoc jam in aliquibus adeo eſt manifeſtum, ut ſecus ſentire ac loqui ridiculum æque ſit, ac illius diſtinctio, qui Rhabarbarum & purgare, & non purgare bilem aſſerens; ſumtum purgare, non ſumtum non purgare diſtinguebat: ita in cæteris, re non æque manifeſta, id ridiculum adeo eſſe definit, ut oppoſitum tanquam ab uſu remotum tale quodammodo evadat. Id quod omnino a 6

Philoſophis,res non verba ſpectantibus, & rerũ naturas, non vulgi nomenclaturas philoſophando ſectari ſe profitentibus, eſſe
7 quam alieniſſimum oportebat. Et tamen ſecus fieri fidem faciunt *exempla* inſpecta penitius exceptionũ ſingula & univerſa. *In depoſito* rem experiamur. Vulgatum eſt depoſitum eſſe reddendum à depoſitario repoſcenti depoſitori. Excipiunt, Si furioſus repoſcat gladium. At annon ibi redditionis ceſſat recte formata & philoſophica notio, non ad perdendum, ſed ad uſum diſtinctim, ut oportebat, concepta. Excipiunt ſi bonis ei ſit interdictum, ſi a Magiſtratu ſit arreſtum impoſitum, ſive jus ſiſtendi uſurpatum, &c.
8 Quibus caſibus ſane dominium naturaliter non manet, adeoque nec depoſitoris notio. Sic *obedire parentibus*, exceptionem ha-
9 bet, in re turpi, &c. At enim non erat hoc obedire, ſed animo corrumpi. Similiter in reliquis cunctis. Quæ paulo ad animum altius demittens quisque facile agnoſcet, *nihil* nobis, *niſi corruptam vocum Practicarum uſurpationem*, *neutiquam* vero ipſam *re-*
10 *rum naturam obſtare, quo minus æque ac Mathematici pronunciata mere neceſſaria, & omnis exceptionis expertia nanciſcamur.* Siquidem enim æque parum voces practicæ, atque trianguli, lineæ, Circuli &c. uſurparentur illic, ubi vel minimum deeſt ad earum rerum naturam: non opus eſſet dicere magis, aliquando non competere attributa depoſito ſua, quam circulo, quod æquales ſint radii ejus omnes, aut ſingula peripheriæ puncta æque diſtantia a centro. Quod idem ſane illi contingeret, ſi vel minima cur-
11 vitas, & irregularitas, circuli nomine retento, admitteretur in circuli figura. Interim quoniam *ſpes* quidem ea eſt *deſperata*, ut vel inter Philoſophos (nam de plebe nec cogitandum quidem hac de re ulli ſano, ut eam per ſe incertam velit ipſe certam in nomenclaturis ſuis reddere, niſi ut cum ratione inſaniat, moliatur.) tanta vocum religio introducatur, haud ſecus, *quod ad uſum præſentem*, *ſibi conſtabunt Ariſtotelica* illa, *& Feldeniana*, imo communium omnium Philoſophorum hucusque circa contingentiam propoſitionum practicarum dicta, ac ſi eſſent in natura rerum ipſa fundata, quæ in corruptela naturæ adſcititia, & noſtra culpa male

male introducta mera subsistunt. Et ita pergemus inposterum cum illis loqui, at sentire quemadmodumdictum modo habemus. Quæ vero *de positivis legibus*, *in utramque partem contingentibus*, etiam habet *Feldenus* Elementor. part. 1. cap. V. §. 11. p. 16. & c. IX. §. 9. p. 26. omnino huc referri merentur. Ut nempe mero *arbitrio Legislatorum in contingentia ut plurimum vertantur*, hoc est, in necessitatem absolutam futuram, quamdiu vocum & notionum debita natura & ratio manet, atque invenitur. Qvam & ipsius adeo sententiam esse, liquide tum loco modo citato, tum *Tr. de Interpr.* part. 2. l. 3. conclus. §. 2. p. 1061. patet. Quin & ipsas adeo nostras *interpretandi regulas* liberare non poterimus hoc incommodo. Ne videlicet *exceptiones patiantur* & restrictiones, ob eandem ipsas intrantium vocum depravationem. Ita voluntati Legislatoris interpretationem consonam quando exigimus, Reg. 15. & 16. æque ac Quando Quod nobis fieri volumus, aliis faciendum, quod nolumus, aliis non faciendum præcipimus: exceptionis ansam præbebit acceptio vocabuli voluntatis depravata. Quod cum non nisi rationabilem voluntatem liberamque denotare deberet, ad coactam, atque irrationabilem, & vitiosam, æque usu est traductum. Quam tamen uti Christus, præcepti ejus auctor, & confirmator, pro voluntate nunquam, ita nec Philosophus accuratus agnoverit, adeoque nec si liceret sibi nomina pro arbitratu imponere, ita nominaverit. Nunc cum populo loqui necesse habens, quando improbus hæc ad improbitatis sibi placitam male adminiculationem velit traducere, aut ad impeditionem boni, necesse est ut exceptionem a regula faciendam dicat. Sicut & si quid contra salutem reip., conscientiam, &c. voluisse Legislator aliquis depræhendatur, interpretationis alioqui secundum hanc regulam faciendæ, multiplex oritura restrictio *inferius* ostendetur. vid. iterum *Feldenum* de Interpretatione part. 2. l. 3. præfat. §. 12. p. 965. & 966. consentientem.

12 13 14 15

VI. Hæc de lege qva propositione. De consensu, quem ad leges requiri posuimus, consulto breves erimus. Neque — De eadem ratione consensus

enim

ex quo oritur. enim hinc orto vitio opem ferre JCtus poteſt, cum ipſam legis eſſentiam lædat, cujus rei ratio poſtea fiet manifeſtior. Nunc illud ſaltim præterire nolumus, quod conſentimus vel in ipſas leges, vel in Legislatorem, ſeu in eum, cui legum poteſtatem, vel τὸ κύριον circa easdem conferimus. Utrumque vel tacite fieri poteſt, ut factis, & ipſa operatione: vel expreſſe, verbis ore prolatis, vel ſcriptis. Plura nunc non addimus.

1 VII. De directione ipſa legum potior multo, & ardua magis eſt diſputatio. Nam quod primum hic eſt, illico jam controverti poterit. Utrum nempe dirigendi vis, ſive regendo ad certum aliquem finem homines ducendi, competat terminorum alicui inter ſe proportioni, ſeu propoſitioni. Multo magis vero etiam ſi adſcribamus eidem hancce vim: qua ratione eidem inſit, & ſeſe exerat, pronunciare anceps fuerit. Cæterum ubi diligentius mentis aciem omnem intenderimus: &

De perfectione quæ eſt in directrice legis virtute in genere, quod debeat ex prudentia proficiſci.

2 ſingularum legum, ac præprimis earum, quæ præ reliquis, perfectæ judicantur, vires, ac poteſtatem, ſtudioſius conſideraverimus, ſequentem in modum ſe habere rem omnem animadvertemus. Nempe tales conſtituuntur a Legislatore propoſitiones, ſeu terminorum connexiones, qvorum ſubjecta, ſive τὰ ὑποκείμενα, quibus aliquid ineſſe, vel non ineſſe dicitur, vel actionem, vel omiſſionem aliquam denotent, vel agentem ejusve qvalitatem, aut alia qvæ qvatenus ſub actiones humanas cadunt conſiderantur, & ad eas referuntur: Prædicata vero, ſeu τὰ κατηγορούμενα, eum modum, & qualitatem addunt ejusmodi actioni, vel omiſſioni, cum qva conjuncta, ad finem aliquem certum ſocietati propoſitum conducit, vel ſane impedire illum

3 prohibetur. Eorum ergo quorum gratia & uſui leges ſcribuntur, illud præcipuum eſt officium, ut videant, an ſuarum actionum aliqva, vel omiſſionum legibus contineatur: idque ita ſi inveniant, curent, ut prædicatum appoſitum ex mente legis

4 vel inſit eidem, vel non inſit. Legum conditoris vero eſt, indicare prædicata, quæ cuique actioni conveniant, ſive modos ejusmodi

modi, qui in agendo omittendove observati, ad civitatis finem conducant: & præterea media abhibere, quæ legi inesse possunt efficacissima, quibus legum terminos sibi applicare, & non neglectui habere, ii qvibus conduntur leges, quam commodissime adigantur. Ita enim demum secundum leges vivetur. Si- 5
millimæ ergo leges sunt frænis, ducentibus equos volentes; & vix leviter trahentibus, invitos vero rapientibus, & violento tractu coercentibus. His ita perspectis, facillime de perfectione 6
hujus directionis certi quid definiemus. Legimus enim apud Aristotelem, (s) *Prudentiam* esse habitum animi, dirigentem actiones humanas ad finem aliquem certum: sive esse *habitum, qui facit consultantem media eligere ad propositum finem* sive scopum collimantia. Ibidem quoque speciem ejus *Legislatoriam* dici reperimus, per quam media actiones sociorum ad communem finem ducendi conquirimus, & colligimus ea, quæ *in legum* vel *ferendarum*, vel *mutandarum ratione* consistunt. Ad hunc ergo locum ablegamus plura desiderantes. Nos pruden- 7
tiam hanc Legislatoriam, seu perficientem leges nunc recipimus, ac proinde **legem perfectam** dicimus, *propositionem universalem Contingentem ut plurimum, ex consensu perfecto societatis* factam, *partesque* ejus *dirigentem juxta prudentiam Legislatoriam*, sive juxta dictamina prudentiæ Legislatoriæ.

IIX. Verum enim vero si hic substiterimus, nihil adhuc, 1
certe nondum satis dixerimus. Perinde enim (ut dicta Aristotelis (t) mea faciam) atque medicinam dicere adhibendam quam ars medica dictitat, verum quidem est, neutiquam vero sufficiens, Medicinam vel capturo, vel facturo: ita nec leges faciendas esse secundum prudentiam Legislatoriam, nosse satis est, legum imbecillitates vel scire, vel emendare cupienti. Ulterius itaque 2
prudentiæ hujus partes erunt definiendæ. Quare resumimus modo allata. *Dirigendi* nempe quæ legibus inest *facultas*, in eo

De eadem in specie, & primo de fine, ad qvem dirigit lex, ejusque præstantia.

(s) *6. Nicomach. cap.* 8.
(t) *6. Nicomach. cap.* 1.

conſiſtit, quod certos actionibus,& omiſſionibus modos adhibeamus, & adnectamus, quibus conjunctæ, finem Civitatis pro-
3 movent, aut impedire deſinunt. *Ad quinque* ergo in hoc negotio *reſpicere docemur*,(1) Ad *actiones omiſſionesve dirigendas*, (2) ad *finem* quo dirigi debent, (3) ad *media per quæ* debent *dirigi*, &(4) per quæ debent *cogi ad* ea complectenda homines, & denique (5)
4 ad ipſam hæc *indicandi rationem*. De *Actionibus* earumque omiſſionibus res clara eſt: quod ſolæ eæ quæ fini officiunt, vel ad eun-
5 dem obtinendum faciunt, debeant attendi. *De fine itaque* ordiamur, qui primus omnium in deliberatione poni debet, & conſtitui, licet ultimo omnium, & poſt media cuncta in effectum perducta demum ad eundem perveniatur. Hujus vero perfectio, non parvum momentum ad legum præſtantiam adfert, cum in
6 eo maxima pars eſſentiæ, & naturæ ipſarum ponatur. Optimus autem & hominis, & civitatis, adeoque etiam juris, homines & Civitates humanas conſervantis, finis eſt, juxta Philoſophum, (u) Operatio ſecundum virtutem, perfectam, cum ſufficientia
7 externorum. In quo tamen defeciſſe ipſum acumen illud ſolitum videtur, dum imperfectionem humanam parum conſiderans, neque dari finem alium magis nobis optandum,& poſt hanc demum vitam obtinendum edoctus, in hoc quo ſane nihil melius hominibus in ſe ſpectatis, vel ad ſe invicem relatis datur, acquie-
8 vit. Quod ſi vero ad Cœlum animos dirigamus, divinæ mentis præſtantiam conſiderantes, facile & ad eam nos magna, imo omni ex parte referre actiones noſtras debere ſentiemus, & in hac, & in futura poſt mortem aliqua etiam alia vita, quam *Animæ immortalitate* peculiari edito *Tractatu Germanico demonſtrata*, Philoſophice quoque prævideri poſſe, illique adeo Practicam Philoſophiam optimam ſuperſtruendã eſſe docuimus,& docebimus ſem-
8 per.Quod ſi Chriſtianos nos cogitaverimus, unicum finem Beatitudinem æternam nobis proponemus, æq; ac hujus vitæ illius præparatoriam & præviam aliquam in Chriſto Jeſu, divinitus impetran-

(u) 1. *Nicomach.* 6. & 2. *Eudem.* 9.

trandam. Quam tum demum obtinebimus, si divinam erga nos 10
benevolentiam per Jesum Christum, reparatam, postquam amissa erat, ex culpa primorum parentum, nostraque, & omnibus oblatam, quantum in nobis est, conservare, induendo non humanas saltim virtutes, sed divinas etiam allaboraverimus: sufficientiam externorum non ultra nostram, consortemve indigentiam, ac necessitatem appetentes.

IX. De finis perfectione satis. *Media ad finem* ducentia 1
sunt prædicata actionibus omissionibusve attributa, & cum iis propositiones constituentia: quæ quid ad finem conducat indicant, agenda omittendave *præcipiendo*, *vetando*, & *permittendo*. De mediis per quæ Lex dirigit in genere.
Quæ caussa est, cur hæc etiam tria legum virtutes inter numera- 2
rit Modestinus (w). Quamvis permittere non tam legum videatur propria virtus, quam reliqua bina: cum non tam dirigat, quidve faciendum, vel omittendum sit, innuat, quam quid facere vel omittere non cogamur, nec prohibeamur. Id quod etiam vir Clarissimus Grotius agnovit, & per hæc verba notavit. (x) *Permissio proprie non actio est legis, sed actionis negatio: nisi quatenus alium ab eo cui permittitur obligat, ne impedimentum ponat.* Ut adeo vetantibus ejusmodi leges annumerare velit. Cu- 3
jus sententiam summus Philosophus Joh. a Felden. in annotatis suis ad hunc locum approbat, ac declarat. Et sane hæc omnia à vero nulla ex parte abludunt. Quinimo carere omnino permittentibus legibus jura possent, si vetanda omnia vetarent. Ita enim quod vetitum non foret, in permissis recte haberetur. Cum vero 4
omnes hi casus legibus plene exponi nequeant, (id quod deinceps latius demonstrandum veniet,) peropus sane fuerit, majoris securitatis ergo, ad evitanda judicia inutilia, aliqua præcipua de quibus dubium oboriri posset, licita pronunciare. Sed de mediis in genere pergamus. hoc cap. §. 14. & cap. 5. §. 2.
Debent ergo ipsa esse talia, quæ in delibera- 5
tionem prudentis maxime cadant, ab eoque reliquis præferantur:

Hæc

(w) *l. legis virtus. 7. ff. de ll.* (x) *de Jure belli & pacis lib. 1. cap. 1. §. 9.*

Hæc autem ſunt ſecundum Ariſtotelem, (y) contingentia ut plu-
rimum, non vero neceſſaria, nec in utramque partem, vel raro
contingentia. Quod qualiter intelligi debeat, peculiari *ad §. V.*
additione paulo antea, enucleate ni fallor, ſatis ad præſens inſtitu-
6 tum dedimus indicatum. Quod vero etiam, utrum duobus vel
quodnam ex pluribus neceſſario licet nexu cum ſubjecto cohæ-
rentibus prædicatis, debeat præferri, electio, & hinc delibe-
ratio locum habere poſſit, nemo credo negabit. Unde vide-
7 mus ad dicta ſuperius nos reverti. Debent præterea in noſtra
poteſtate eſſe conſtituta. Nam de aliis conſultare ſtultum fo-
ret, atque ineptum. Ut vero eligantur, debent eſſe apprime
in noſtra poteſtate. Qvoqve hoc erunt magis, eo erunt faci-
8 liora, & magis eligenda. Debent præterea ducere ad finem.
Quem modo in præcedentibus determinatum dedimus. Et qvo
id præſtabunt rectius, certius, citiusque: eo erunt aptiora, & præ
aliis eligenda prudenti. Qualia ergo media eſſe debeant habe-
mus.

1 X. Sequitur *vis coactiva legum*, qvæ voluntatem etiam af-
ficit. Præcedentia enim ſaltim facultatem ſecundum leges vi-
vendi concedebant: & in iis ſi ſubſiſteremus, liberum relinque-
retur, an vivere ſecundum legum tenorem vellemus: nec ne.
2 Debet autem omnino eſſe aliquid, quod cogat invitos, ne leges
ſpernantur, & fruſtra ſint latæ, neque neceſſe ſit reſpondere,
cum illo, qui interrogatus, cur leges ab ipſo latæ non ſervaren-
tur: quia, ajebat, leges bonas facere potui, homines qui eas
3 obſervarent, non potui. Etenim ita eſt comparatum cum acti-
onibus humanis omnibus, quæ quidem humanæ proprie dici
mereantur, (nam ab invitis facta, parum abeſt, quin pro infectis
ſint habenda,) ut qvævis earum & voluntatem exigat agentis, &
4 facultatem, neutra ſine altera ſufficiat. Unde axioma eſt. Quod
qvis vult, & poteſt, prout vult, illud facit. Cujus aſſerti digni-
tatem, ex doctrina Ariſtotelis de ſeditionum cauſſis in Politicis,
nec

De vi legum coactiva, ſeu ea quæ voluntatem afficit, ejusq; perfectione.

(y) 3 *Nicomach. cap.* 5. & 1. *Rhetor. cap.* 4.

nec non de injuriarum principiis in Rhetoricis, quæ propemo-
dum utræque ei ſoli innituntur, & ſuperſtructæ ſunt, luculen-
ter admodum apparet. Quibus ita ſe habentibus, cum plerum- 5
qve maxima ſocietatis pars, certe aliqua fere ſemper invenia-
tur, qvæ legibus parere detrectet: (id qvod experientia clare
ſatis teſtatur,) non ſolum ea quæ fieri debeant, præcepiſſe ſuffi-
cit, vel permiſiſſe, & qvæ omitti condeceat, vetuiſſe; ſed &
voluntates adverſæ, & contrariæ inhiberi debent, & inviti eo
quo opus eſt adigi, ſive velint quæ lex nolit, ſive contra ejus-
dem præſcriptum nitantur. Conſeqvimur vero hoc aliqvan- 6
do per media ſaltim inclinantia, qualia ſunt preces, hortatio,
perſuaſio, & alia ejus generis. Qvæ cum ſatis exiguam, nec in
omnes omnium animos ſe exerentem vim obtineant: ſæpiſſime
fruſtra abhibentur, ac proinde Legislatori non niſi per acci-
dens, & qvatenus a poteſtate ſua qvid remittendum exiſtimat,
uſurpandæ ſunt. Legum enim vim ita debilem eſſe non debe-
re patet, cum invitis & refractariis potiſſimum ſcribantur. Hæc 7
autem in quibus collocari debeat, non aliunde rectius, qvam ex
ipſa actione inhibendarum vel præcipiendarum natura patuerit.
Actiones autem omnes, a ſæpiſſime laudato Ariſtotele(z) circa do-
lores ac voluptates verſari, ac inſeparabiles ab iisdem eſſe diſci-
mus. Cui evidenter ſatis experientia quotidiana hac in parte ſuf-
fragatur. Quæ enim voluptatem afferunt, ceu bona appetimus,
quæ dolores, & moleſtias, ceu mala refugimus. Nihil proinde 8
ad actiones rectas ſubeundas, & malas omittendas, tam incitabit,
quam voluptates & dolores. Hinc præmiorum, & pœnarum
naturam perſpicimus. *Pœnæ* nempe, quatenus ipſum reſpici- 9
unt vitium, & extirpare nituntur, (illæ enim primario ad legem
pertinent,) conſiſtunt in doloribus, qui voluptatem ex actione vi-
tioſa, & finem ſocietatis impediente ortam, vel orituram, exce-
dunt, adeoque faciunt, ut malint homines illa carere, quam his
affici. Quatenus vero civilis eſt pœna, (prior enim criminalis

(z) *2. Nicomach. 3. & 10. Nicomach. 1. &c.*

vulgo dicitur,) non respicit nisi læsum, eique satisfieri curat, tribu-
10 endo eidem quantum deest. *Præmia* vero criminalibus pœnis op-
posita, consistunt in voluptatibus, quæ dolorẽ ex operatione pro-
ba ortum compensant: civilibus vero contraria, consistunt in bonis
11 retributis ob beneficia exhibita. Notandũ hic cumprimis, pessime
vulgo in eo peccari, quod præmia minus necessaria, & propria legi-
bus quã pœnæ censentur. Quæ opinio adeo est recepta, ut & plane
supervacaneæ remunerationes a nonnullis judicentur. Quam &
caussam fuisse *Modestino* (aa) puto, quod legum virtutibus τὸ puni-
12 re non vero τὸ remunerare anumeraverit. Verum, si quod res est,
dicere licet, non aliunde errorem hunc natum existimo, quam ex
ignorata præmiorum natura. Hinc enim fit, ut primo intuitu mi-
nus efficacia videantur. Quod si penitius præmiorum vim per-
spexeris: sane non multo efficaciores pœnas esse, quam præmia,
in gubernandis actionibus agnosces. Qvippe si omnis operatio fit
13 boni alicujus caussa, uti sane fit, testante præter Philosophum,
(bb) sua cuiqve conscientia: profecto qui præsentem volupta-
tem, & longo intervallo molestias adhærentes, superantem,
ex actione aliqua sibi orituram adverterit, non segnius ad sus-
cipiendam eandem animabitur, atque pœnis poterat detereri.
14 Necessarium ergo est præmia ponere, quæ sint indubia, cer-
ta, evidentia, & manifesta, sintqve magna satis, sive revera,
sive quod ad opinionem eorum, qui ad agendum debent in-
citari. Cæteroqvi enim non exuperabunt, aut, qvod qvod
ad effectum eodem recidit, non videbuntur exsuperare dolores
15 adjunctos certos, notos, & ingentes. Quamplurimum etiam
ad virtutem præmiorum faciet: si qvam maxime doloribus, ex
actione virtuosa, cui sunt opposita, orientibus, opponantur.
Ita enim tanto erit manifestior, & plenior compensatio. Tan-
16 tum de efficacia remunerationum. Quod vero iisdem pror-
sus destitui sine magna sui imperfectione leges nequeant, patet
etiam

(aa) *l. legis virtus. 7 ff. de ll.*
(bb) *principio Nicomach. & Politicorum.*

etiam penſitantibus, quanta facilitate occultentur ea, quæ ſunt
in omiſſione peccata: circa quæ tamen etiam apprime, & vel
præcipue præmia occupantur. Neqve enim tam ut vitioſa o- 17
mittamus, qvam ut bona agamus, hoc modo invitare nos Le-
gislatores conſueverunt. Pluſcula certe ſunt, in quibus ægre 18
de facultate agendi, abfueritne, vel minus: plura etiam in qui-
bus de voluntate liquere nequit. De his vero utrisqve niſi
conſtet, delicti neminem recte arguemus. Id qvod alibi de-
monſtrandum eſt. Deniqve plurima ſunt, quæ facta ſint, nec
ne, non ſatis apparet: ad quæ propterea eo magis invitandi
ſunt ſocii, qvo minus niſi faciant, puniri poſſunt. Præter hæc 19
omnia in actionibus virtutum, ad quales nos incitant leges
bonæ, & perfectæ, tanqvam ad finem bonum nos ducentes,
quædam cum ejuscemodi doloribus ſunt conjunctæ, qui huma-
næ nuturæ imbecillem conſtantiam ferme excedunt, & pro-
pterea veniam mereri, omiſſæ, ab Ariſtotele (cc) docentur. Ad
hæc ergo tam dura, & horrifica, meris pœnis velle adigere,
non inhumanum modo, ſed & improbum & fruſtraneum
fuerit. Ex his omnibus intelligi poterit, quam prudenter Im- 20
peratores Romani, & Legislatores antiqvi militiæ, ac τεκνοποιΐας,
aliarumqve rerum utilium ſtudia, præmiis adeo egregiis, cum
pœnis idem impetraturos ſeſe deſperarent, augenda, & exci-
tanda cenſuerint. Conſtitutum ergo jam ſit, & extra dubita- 21
tionis periculum collocatum, non minus præmia, qvam pœ-
nas, ordinari per leges recte oportere, ſiqvidem eæ abſolu-
tæ, & exactæ eſſe debeant. Id vero fiet, ſi præter dictam
evidentiam, certitudinem, ac magnitudinem, hoc etiam ob-
ſervetur: ut non ſolummodo inter ipſos delinquentes, & pro-
be agentes, ſed & inter indices, & occultatores harum actio-
num, pœnæ, & remunerationes condigne diſtribuantur. Ni- 22
hil enim tam eludit utrasqve, qvam ſpes latendi, concepta
ab operantibus. Neque credendum eſt, id quod aliqvi do-

 cent;

(cc) 3. *Nicomach.* 1.

cent: pœnas in infinitum ſine proportione ulla eſſe augen-
das, donec a delictis homines deterreantur, & nondum fur-
tis, qvæ civili tantum pœna apud Hebræos ex prudentia ſum-
ma divina, nec non apud Romanos veteres caſtigabantur.
apud Spartanos etiam impunita erant, patibula ſufficere, cum
paucis in locis hactenus vacua ea videantur, adeoqve non ter-
ruerint ſatis. Ridiculum. Quaſi vero illi omnes furati ſint ſpe
23 ſuſpenſionis, & non crediderint cælatum iri ſua delicta. Neque
putandus eſt hunc errorem fovisſe Ariſtoteles, (dd) dum medici-
nis comparat pœnas haſce, eousq; dicens in contrarium progre-
diendum, donec morbus tollatur. Hoc enim de manifeſtis delictis
dictum eſt ſolis. Nam quem non agnoſcit morbum, ei curam me-
dicus non faciet certe. Nec ſi calor adeo ima viſcerum penetra-
lia inſederit, ut aditus medicæ herbæ non pateat, ullo modo
tollere eum, vel ipſa glacie magis refrigerantibus poterit. Sic
de vitiis animi etiam, iisque occurrentibus pœnis ſentiendum.
Primum itaque apertum eſſe & notum debet facinus, ejusque
auctor, tanqvam membrum, in qvo intemperies latitat, an-
24 teqvam de medicina cogitandum. Hinc rectisſime leges Ro-
manæ furtum occultantes furti obligarunt, (ee) Receptatores
perinde atque latrones puniverunt, (ff) Famoſos quoque libellos
eorumve auctores indicantem præmiis, cælantem pœnis affice-
re, (gg) Idemque in aliis facile occulendis delictis conſtituerunt.
Nam uti nobiſcum una affirmat Paulus. (hh) *Certum eſt peccata*
25 *nocentum nota eſſe & oportere, & expedire.* Sed hæc alieniora for-
taſſis. Illud vero non omittendum eſt, ſicut *præmia*, ita & *pœnas*,
*certas, manifeſtas, & excedentes voluptatem ex delicto orientem, ei-
que oppoſitas* eſſe debere. (ii) Cum alioqui omnino fieri queat, ut
ob

(dd) 2 *Nicomach. 3.* (ee) *l. qui vas. 48. §. 1. ff. de furtis.*
(ff) *l. 1. ff. de receptatoribus. l. 1. C. de his qui latrones occulta. l. quo naufragium 3. §. 3. ff. de incendio ruina.*
(gg) *l. un. C. de famoſis libellis.*
(hh) *l. cum qui nocentem. 18. ff. de injuriis.*
(ii) Ariſtot, *cap. ultimo Nicomach.*

ob dolorem, voluptati expetitæ sibi, vehementius impedimentum nullum afferentem, quantumvis alias in se magnum, appetitio effrænata nullatenus coërceatur. Neque adeo negaverim, 26
quinimo concesserim, fieri posse, aut si velis, contigisse sæpius, ut otiosa vita & furaci vehementer oblectatus, etiam cogitans de suspendio, curtum unius semihorulæ aut brevioris etiam spatii cruciatum hunc mortiferum, præ sperata multorum annorum voluptate, consulto consilio sibi decreverit negligendum. Inprimis animi homo tam dissoluti, ut famæ posthumæ, & cadaveris ad horrorem aliorum insepulti curam, una cum pietatis sensu omnem excusserit.

De ratione indicandi, quæ legibus positivis inest.

XI. Expositis mediorum quæ τὸ posse ac τὸ velle civium regunt, virtutibus, superest, ut ipsam illa *indicandi rationem* explicemus. Necessaria illa legi est, & qua legi inest, quippe quam in signorum numerum retulimus. Jam vero propositio, sive connexio duorum terminorum in Legislatoris animo facta, per se quid sit agendum vel fugiendum nemini indicabit: cum cogitationes in sensus non incurrant. Quinimo ne illæ quidem, quæ naturalem habent rationem propositiones, omnibus constant: cum non vacet omnibus, easdem curioso mentis labore ex principiis suis arcessitas demonstrare. Accedat ergo aliud quid oportet, quod indicet, & propalet legislatoris voluntatem, seu legis vim, & quid agi, omittive, sub quibus pœnis, vel præmiis, velit, ostendat. Dupliciter autem id ipsum fieri observamus. Vel enim in orationem & scripturam leges rediguntur: vel vero actionibus continuis exercentur, unde unicuique modus actioni illi a lege adnexus facillimus sit observatu, aliorum functiones notanti. Qua posteriori ratione hoc etiam obtinetur, ut per iteratam sæpius operationem, facultas illa operatrix ita exercita, acquirat aliquam perfectionem, ut aliter agere jam facile, & sine dolore non possit. Nam scribente Philosopho (kk) ἔθει ποιοῦσιν, ὅσα διὰ τὸ πολλάκις πεποιηκέναι ποιοῦσι, (*ex consuetudine faciunt, quæ quoniam sæpius fecere faci-*

(kk) 1. *Rhetor.* 10.

faciunt.) Videmus ergo duos modos promulgandi, seu in effe-ctum ducendi legem, quorum neuter definire est necessarius, alterutér omnino. Lex namque non promulgata non obligat, & tuto negligitur, adeoque lex non est, cum non dirigat. Interim elucet jam hinc, quantum lex consuetudinaria scriptæ præstet. Id quod longe fiet magis conspicuum, ubi omnes recensuerimus, quæ legi per se, vel ratione scripturæ accidunt imbecillitates. Harum enim nullas, illarum paucissimas, Consuetudinem recipere, videbimus.

cap. seqq. usque ad cap. 7.

cap. 7. §. 3.

Perfectæ legis definitio.

XII. Nunc collectis in unum partibus modo enumeratis, perfectæ legis civilis plenam definitionem habebimus. Nempe qvod sit Propositio Universalis, Contingens ut plurimum, ex consensu civium pleno facta, & ad beatitudinem summam vitæ, medium, maxime quod ad illam actionem, cui adnectitur, idoneum, imperando, vetando, vel permittendo, partibus societatis indicans, præmiisque, & pœnis adæquatis, ad electionem ejusdem cogens, idque inprimis per consuetudinem.

De juris perfectione, quatenus ea Legum perfectionem compræhendit.

XIII. Tandem, quod reliqvum est, legibus singulis per se consideratis, ipsam legum complexionem, quam jus esse diximus, intuebimur: ejus qvoque perfectionem exactam scrutantes. Ex allatis autem primo statim intuitu videmus, legum singularum perfectionem, qvo sit absoluta magis, hoc qvoqve laudabilius ex se compositum systema facturum: non secus atqve membra sint oportet singula perfecta, qvæ corpus omnibus numeris absolutum, & laudanda formositate insigne debeant

debeant constituere. Cæterum non tamen hæc sola singularum partium formositas suffecerit: nisi & proportione qvadam conveniant, & connexio præterea sit apposita & usquequaque qvadrans. Cum absque hoc si sit etiam statua, qvamvis ex formosissimis constans partibus, si tamen earum alia magna, exigua alia sit, aut ipsæ illæ ita collocatæ, ut altera alterius locum occupet, (verbi gratia manus eum qvi pedi debebatur, nasus eum qui aurem decebat,) turpissima, maximeque distorta, & ridicula sit futura.

XIV. *Juri* ergo, quatenus complexio est, quæ accidant *perfectionis partes* cogitandum est. Sunt autem eæ *tres* potissimum. *Numerus* nempe, partium inter *se distinctio*, & *ordinatio* earundem, sive Methodus. Quæ tria quamvis omni fere ei quod ex multis diversisque est aggregatum accidant: hoc loco tamen, non tam qua omni, quam qua legum complexui insunt, considerari debent, ac perpendi. *De numero legum* ut exordium capiamus, erit ille *sufficiens*, *si* exacta *proportione actionibus ad finem reipublicæ*, seu Civitatis *dirigendis respondeat*: neque dirigantur quæ non faciunt ad eundem, neque omittantur quæ minime erant negligendæ. Prius rectius & debebit, & poterit observari: & nisi attendatur, singulis quoque legibus, ex superius memoratis, labem adsperget, superfluas eas reddendo. Posterius impetrari vix poterit, imo non poterit. Cum enim leges universales sint propositiones, & finitæ necessario esse debeant, utpote memoria complectendæ, actionum vero infinita sit & assiduæ mutationi obnoxia copia: non poterunt non relinqvi casus, aut emergere novi, qvibus lex nondum moderamen aliqvod imposuerit. Id qvod deinceps longius repetemus.

De Juris perfectione quoad numerum Legum.

hoc C. §. 2.

Cap. 5. §. 2.

XV. *Partium* qvoqve *distinctio* jus perficere poterit: tam majorum, qvam minorum. Si nimirum leges singulæ seorsim sint collocatæ, nec inter se dispersæ, & intricatæ, non sine magna animi fatigatione extricandæ. Classes item legum, sive leges super eadem re, vel ejusdem generis latæ, si distinguantur

De partium juris distinctione.

tur a reliquis: facilitatem subsumendi actiones suas, & prædicata iisdem convenientia ex numero legum majori inveniendi, sane non exilem orituram, in proclivi est.

1 XVI. *Ordo* sive Methodus, qui est *partium* dispositio *secundum prius & posterius*, pariter aliquam partem bonitatis jure addere videtur. Quamvis & id ipsum controvertatur. Sunt enim, qui omnem ex jure ordinem eliminatum velint. Inter quos Franciscum *Baconem de Verulamio* invenimus. Qui in sermone suo fideli, cui de Legum certitudine inscriptionem fecit, scholasticum fore autumat, methodum in legibus observare, hunc in modum differens. *In legibus, non tam stylus, & descriptio, quam auctoritas, & hujus patronus antiquitas spectanda est. Alias videri posset hujusmodi opus Scholasticum potius quiddam, & methodus, quam cor-*

De Ordine, seu methodo juris.

2 *pus legum imperantium.* Hæ sunt rationes, quibus innixus Verulamius, si novum ipsi jus fabricari concessum foret, centones auctorum varios male consuere, quam novo & distincto textu ordinem sectari concinnum mallet. Quæ si vere & φιλαληθῶς loqui licet, ficulneæ sunt, & vix anicularum, ut ait Tullius, lucubrationibus dignæ. Quid enim quæso an Methodus omnis Scholasticum quid est? Annon in omni genere agendi, ubi plura successive sunt perficienda, certa & conveniens actionum dispositio secundum prius & posterius observanda venit? Nisi forte Scholasticum putamus, ordine decenti adhibere remedia ægro, adeo-

3 que curandi methodum observare. Quin potius ita censemus. Neque exquisitissimum ordinem in legibus Civilibus esse exigendum, neque omnem penitus abesse sine confusionis menda ac labe

4 posse. Nam & consuetudinariæ leges, quo ordine perferantur, non parum interest. Sed hic ordo, cum intra promulgationis ipsius, seu deductionis in actum tempus consistat, & terminetur: non tam ad JCtum, quam ad legum conditorem pertinet, cum

5 semel institutus corrigi nequeat. Scriptæ autem leges, quod ordine indigeant, nemo facile negabit, qui confusionem vitio ducendam noverit, & quantum per legum copiam penitus inordina-

dinatam & disperſam, iis qui actiones ſuas ſubſumere, & leges iisdem applicare debent, impedimenti ſit oriturum, animo conſiderato perpenderit. Neque tamen hic a ſcriptura, ſed ab ipſa ter- 6
minorum connexione, & natura, atque ad ſe invicem habitudine petendus eſt. Perfectiſſima autem illa terminorum connexio 7
& habitudo, indeque nata ordinis ratio ea eſt, quæ in ſcientiis obſervatur. Ubi, prout ex Analyticis notum ſupponimus, ex eodem principio deducta univerſaliora præmittuntur, harum ſpecies cum ſuis proprietatibus, definiendi accurate adhibitis regulis, ordine usqve ad infimas, habita univerſalitatis ratione demonſtrantur, atqve ita ſyſtema, quod vulgo Scientia dicitur, conflatur. Talis ordo in legibus Civilibus noſtris neutiqvam eſt 8
deſiderandus: utpote quæ poſitivæ cum ſint, non ſemper ex naturalibus cauſſis, adeoque certis & demonſtrabilibus connectuntur, ſed voluntariam & in arbitrio legislatoris poſitam habent terminorum τȣ̃ ineſſe vel non ineſſe ſibi invicem, rationem. Atque hinc decidere licet litem inter celeberrimos Do- 9
ctorum agitatam: utrum nempe in artis formam Jus Romanum digeri poſſit. Non enim in illam prorſus, ſed in ſimilem illi formam, & hoc, & qvodvis adeo jus Civile diſponi poteſt, Iis videlicet qvæ cum naturæ jure, vel Politico conſentiunt, retentis, & ſcientifico ordine decenter collocatis, cæteris vero ubi qvam maxime qvadrant interjectis. Qua de re latior erit 10
& inferius, & in ſpeciali noſtra *Perfecti Juris Conſulti Romano* cap. 6. §. 4.
Germanici conſideratione ſermo. Modo, (qvod pene deſperare me, ſubjecta huic tractationi n. 11. additamenta ſatis innuunt,) illi operi perficiendo vacare aliquando liceat condigne. Interim dicta *Nicetæ Spilii*, circa hoc argumentum, *Epiſtolæ curioſæ Quæſtione prima tota*, huc pertinenti noſtra facimus ſingula, & univerſa. Nunc illud ſufficienter probatum, ni fallor, 11
dedimus: magnum emolumentum fore iis, qvi legibus utuntur, ſi leges omnes, (maxime civiles, qvæ tanqvam multarum actionum directrices, neceſſario ſunt numeroſiores) ex

iisdem principiis ortæ, simul proponantur, præmissisque generalioribus, ad specialia magis, non interrupto ordine descen-
12 datur. Ita enim si unum aliqvem terminum legibus compræhensum tibi applicueris, qvæ rursus illi subsint, & huic porro, item qvæ de illo prædicentur, & de hoc rursus, usqve ad extrema, ascendendo, vel descendendo, liqvebunt. Qvæ sane
13 concinnitas, & virtus juris non contemnenda erit. Neqve est qvod hac ratione auctoritatem qvis imminutum iri juris, cum *Verulamio* nobis persuasum eat. Qvam sane non sine absurditate, (qvamvis ex vulgi opinione recte id fiat) in antiqvitate philosophus posuerit. Quippe qvæ per se, hac in parte, neqve bonum neqve malum qvid faciet. Sicut enim antiqva vina laudibus extollimus, & appetitu proseqvimur: ita juscula he-
14 sterna nauseamus. Ne nunc omnia illa, qvæ ab ingeniis humanis proficiscuntur, perfecta non nasci, sed temporis demum successu perfici, & a glandibus ad frumenta perveniri, prolixe asserere laborem. Vera proinde virtus, ceu *modo* affirmavimus, in prudentia sola consistit. Eam temporis tractu, utpote experientiæ innixam, demum ad suæ perfectionis culmen a-
15 scendere, jam olim ex Philosopho (ll) addidicimus. Qvod vero interdum antiqvitatis specie, divinitatis auctoritatem legibus parare necesse sit: id vero populi & reipublicæ adeo vitio accidit. Qui fit interdum, ut & svasiones, & Dialectica, ac Rhetorica argumenta, imo & preces, miscere legislatores cogan-
16 tur. Qvæ omnia leges vitiant accidentaliter, neqve hic sunt enumeranda, sed *inferius*, qvomodo perfectionem lædant exponenda. Unde absurdum est, hinc legum perfectionem velle petere, in qvo vitium enorme, & abominandum apprime consistit.

h. c. §. VII. n. 6.

Cap. 6.

De conservatione societatis quam jus operatur,

XVII. Qvod ad complexionem legum, videmus summos perfectionis gradus. Ex societatibus ortæ juris differentiæ initio hujus considerationis jam sunt tactæ, neqve ulterius moven-

(ll) 6 *Nicom. cap. 8.*

movendæ. Patet enim qvo civilis societas fuerit imperfectior, eo ad vicum eam propius accedere: & diximus in jure perfectissimo, utpote reliqvorum omnium fines compræhendente, perfectæ interpretationis, & hinc JCti perfecti ideam quærendam. *De conservatione* ergo sola superest ut agamus. Ea fit *perfectissima, si totam universitatem, & ad unum finem* (qvem optimus qvi sit explicatum jam habemus,) *ex æquo ducat.* Nam si pars societatis alia præ alia conservetur, vel una sola, ut corrupta respublica, ita jus corruptum, & minime justum, imo improprie dictum, utpote essentiæ suæ eatenus expers, producitur. Ut vero unus sit finis, prædicata legum modos in actionibus observandos indicantia, ita sint oportet constituta, & media ita sibi invicem subordinata, at omnes actiones ad unum & extremum Civitati propositum finem conducant, aut certe nullo modo eundem impediant: seu quod idem est, communiter prosint, nunqvam obsint. Ita videmus jacula diversis e locis missa in eundem scopum a peritis jaculatoribus defigi. Qvod si qvædam actiones sint suapte natura tales, ut fini Civitatis repugnent, eas prohibendas esse omni modo patet. Atqve hæc si observentur, legum harmonia summa erit, nullaque Antinomiarum verarum turpitudo easdem deformabit.

deque finis unitate ad quem ducit.

Cap. 2.

XIIX. Exantlato tandem hoc labore, ut in compendium prolixe hucusque dicta contrahamus, collectis omnibus partibus, Perfectum jus esse pronunciamus: Complexionem propositionum, quales supra definivimus, numero respondentem actionibus dirigendis, distinctas ab invicem secundum naturales suarum differentiarum partes, & ordine scientiæ simillimo dispositas haben-

Perfecti Juris plena definitio.

h. c. §. 12.

 tem:

tem: Societatemque Civilem omnem, ad unum, & communem ſingulis legibus propoſitum finem ducentem.

CAPUT IV.

DE PRIMO LEGUM VITIO INEVITABILI, CONTINGENTIA nimirum, & quomodo ei medeatur Interpretatio Mentalis & RESTRICTIVA: quæ fit ex cauſſis, deque earum varietate, & inveſtigandi ratione, & quomodo ex inventis fiat Reſtrictio.

SUMMARIA.

1. *Continuatio, cum generali diviſione vitiorum legis.*
2. *Contingentia legem quomodo vitiet.*
3. *Quomodo eidem ſuccurrat reſtrictiva interpretatio, & quæ illa ſit, & quomodo fiat per cauſſam legis.*
4. *JCti generale officium, quærere omnium legum cauſſas & interpretationes.*
   Additio VII. *De* Mentali *ſive* Intellectuali Interpretatione *in genere.*
   IIX. *Explicatio* Regulæ, & conciliatio cum reg. 9. *ſuperiori*, & *diſcrimen* applicationis, & applicatoriæ Legum Interpretationis.
5. *De cauſſis actionum humanarum in genere.*
6. *Quas earum JCtus negligat.*
7. *Difficultas cauſſarum indagandarum, & quod nemo hactenus de iis condigna præcepta tradiderit, & quæ nobis de iis propoſitum ſit exequi.*
8. *Generalia de requiſitis cauſſarum legibus aſſignandarum.*
   Additio IX. *De* Speciebus Mentalis Interpretationis *materialibus.*
9. *De Rationibus, legum cauſſis potiſſimis, iisque vel naturalibus, vel politicis, & his vel generalibus, vel ſpecialibus, & ex quibus regulis ſint indagandæ.*

10. Ex

I.

EX hisce tam fuse superiori capite propositis partibus essentialibus, ad perfectionem legis concurrentibus, (accidentales enim consulto omittimus,) in obscuro ulterius esse non potest, quanta *vitiorum* copia legibus inesse queat. Quot enim à singulis perfectionis partibus, recedetur modis, tot nascentur vitiorum species. Universim ea si contemplemur, *alia jura per se*, alia *quæ scripto* accidunt. De his postea. *Illa* ex definitione juris perfectissimi eruentur, eruntque, vel *communia*, quæ videlicet generi, adeoque omnibus speciebus sub eodem cum lege una compræhensis accidunt: vel vero *propria* magis legi, quæ ex differentia ejusdem promanant. Utravis aut *evitabilia* erunt Legislatori, aut *inevitabilia*. *Illa vel emendabilia, vel inemendabilia Jurisconsulto.* De singulis aliquid delibare necessum fuerit. *Ordiemur ab inevitabilibus*, tamquam omni juri inhærentibus, adeoque ad omnem omnino JCtum pertinentibus. Hæc autem *bina* in superioribus jam indicavimus. *Contingentiam* nempe

Continuatio, cum generali divisione vitiorum legis.

c. 8. & 9.

nempe propositionum quæ leges faciunt, & *insufficientiam* earundem. Utraque excutiemus hoc & sequenti capite.

Contingentia legem quomodo vitiet.

II. De *contingentia propositionum* hoc capite sermonem faciemus. Demonstravimus supra Legem perfectissimam esse debere universalem, & contingentem ut plurimum: neque ulteriorem perfectionem capere naturam ejus, nec ad necessitatem ascendere. Nempe uti nunc est hominum eas tractantium status, & vocum usurpatio recepta, notionum confusionem inevitabilem implicans. Jam vero non solum de perfecta, sed de omni lege id dictum volumus. Nam *lex*, ceu dictum, debet dirigere actiones humanas ad finem, sive præscribere agenda, & omittenda cum suis modis. *Debet* ergo *esse universalis*, seu pronunciare prædicata de omni actione, de qua loquitur, ut subsumere tuto suas quisque possit, id quod fieri debere docuimus. Jam si sit particularis, id fieri non poterit. Verbi gratia, si ponatur Lex. Quidam emptor debet solvere pretium. Ea ementi mihi, an loquatur, vel non, unde quæso constabit? Erit ergo hactenus frustra, nisi universe concipiatur. (a) Jam vero si universe concipiatur, est autem contingens ut plurimum, qualis dari solummodo leges superius pariter probavimus, & ipsæ leges Romanæ, (b) & omnes adeo legum Doctores (c) uno ore confitentur, hoc oritur incommodum, hic defectus, ut accidat prædicatum legis subjecto non inesse interdum: sive ut dentur casus aliqui, in quibus lex locum non habeat, cessetque ratio & inesse, quæ est inter terminos legis. Quo in casu subsumamus actionem nostram, adeoque ei legem applicemus, ultra quam fas est eandem adhibebimus Et ita contra voluntatem Legislatoris, & contra Reg. 15. interpretandi agemus: *jus summum summam*, quod ajunt, *injuriam* efficientes. Hinc tota dependet *exceptionum materia*, & constat certitudo triti illius:

Cap. præced. §. 5.

Cap. præced. §. 12.

(a) *l. 1. ff. & l. de ll. jura 8. ibid.* (b) *l. Jura constitui. 3. & seqq. ff. de ll. l. an si qui. 3. si pars hæreditat. pet. l. ea q. raro 64. ff. de R. I. Novell. 94. cap. 2.*
(c) DD. *ad dictas leges.* Duar. *com. de Just. & Jur. cap. 4.* Donell. *1. comm. §. inf.*

illius: Regulam nullam esse tam firmam qvin exceptionem patiatur. Patet etiam non mediocre dubium oriri & periculum subsumentibus, & primo intuitu ferme æqve magnum, ac si particularis foret propositio. Hanc legum vitiositatem ita describit Philosophus: (d) ὁ μὲν νόμος καθόλου πᾶς. περὶ ἐνίων δὲ οὐχ οἷόν τε ὀρθῶς εἰπεῖν καθόλου, ἐν οἷς οὖν ἀνάγκη μὲν εἰπεῖν καθόλου, μὴ οἷόν τε δὲ ὀρθῶς, τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πλέον λαμβάνει ὁ νόμος, οὐκ ἀγνοῶν τὸ ἁμαρτανόμενον *Omnis lex universalis est. De quibusdam autem universaliter non recte dici*, & præcipi *potest. Ubi ergo necesse est loqui universaliter, non autem possibile est* (loqvendo universaliter) *loqui recte, illud quod utplurimum est sumit Lex, non ignorans quod in hoc aliquod lateat peccatum*, seu aliqvis defectus. Hactenus ille, qvæ videmus congruere cum nostris omni ex parte. Agnoscimus ergo, qva ratione lædat virtutem legis hocce vitium. Id qvod parum perspectum habentes multi summi Doctores, & credentes exceptiones æqve esse contingentes utplurimum, atqve sunt Regulæ, a quibus excipiuntur, (cum tamen non nisi raro contingere possint,) utramvis contrariarum ex æqvo defendi posse in jure credidere, idqve miræ laudi sibi duxere. Hinc deinde vasta controversiarum, opinionum communium contra communes, aliarumqve superfluarum disceptationum volumina, magnam chartæ caritatem, & nauseæ abundantiam nobis pepererunt: imo & Antinomias sive contradictiones Legum, ubi nullæ revera existebant, sibi aliqvas finxere, de quibus *suo loco inferius* dicetur. cap. 10. §. 3.

III. Sed nos malo huic remedium quærere opportunum laboramus. Illud ita subjungit Aristoteles, ὅταν οὖν λέγῃ μὲν ὁ νόμος καθόλου, συμβῇ δ' ἐπὶ τούτοις παρὰ τὸ καθόλου, τότε ὀρθῶς ἔχει, ᾗ παραλείπει ὁ νομοθέτης, καὶ ἥμαρτεν ἁπλῶς εἰπών, ἐπανορθοῦν τὸ ἐλλειφθέν, ὃ κἂν ὁ νομοθέτης οὕτως ἂν εἴποι, ἐκεῖ παρών. καὶ εἰ ᾔδει ἐνομοθέτησεν ἄν. *Quando igitur loquitur quidem lex universaliter, accidit vero præterea aliquid præter illud universale: tunc recte agit, qui id quod omisit legislator, & in quo pecca-*

Quomodo eidem succurrat Restrictiva interpretatio, & quæ illæ sit, & quomodo fiat per caussam legis.

(d) 5. *Nicomach.* 14. & 4. *Eudem. cap.* 8.

peccavit (generaliter) *ſimpliciter loquens*, *corrigit omiſſum*, *ita*, *quemadmodum legislator loqueretur*, & pronunciaret loquens, *ſiquidem præſens ibi eſſet*, *& quemadmodum ſi ſciviſſet*, *legem tuliſſet.* Nempe, ut magis adhuc planam rem, ſi fieri poſſit, efficiamus, in eo erat vitium, quod ſubſumere tuto non poteramus, incerti ſemper hærentes, an illum etiam caſum lege compræhenſum voluiſſet Legislator, cum exceptus eſſe inter alios potuiſſet. Medicina ergo ea demum hic conducet, quæ certos nos reddet, quos caſus lege compræhenſos, quos excluſos, ſive in quibus legem procedere Legislator voluerit, ſive quousque ratio ☿ ineſſe inter terminos legis maneat, vel non. Ita enim tuti ſubſumemus, & ubi videbimus ceſſare hanc rationem ſeu proportionem terminorum legis, legem non procedere dicentes, vim ejus arctabimus, ac reſtringemus, unde Arctativa, vel Reſtrictiva hæc merito vocabitur interpretatio. *Rationis* ergo ſive proportionis ☿ ineſſe vel non ineſſe inter terminos legis cauſſæ erunt quærenda. Si enim cauſſam, cur prædicato huic illud ſubjectum aſſignaverit legislator, cognoverimus: quoties ea cauſſa ceſſabit, ceſſaturum etiam illum terminorum nexum, & adeo propoſitionem ipſam, ſeu legem intelligemus, & hoc erit reſtrinxiſſe legem. Reſtrictiva proinde Interpretatio optime definietur, Interpretatio indicans, qui caſus generaliter lege compræhenſus, OB CESSANTEM IN EO LEGIS CAUSSAM AB ILLA EXCEPTUS, & tamquam minime compræhenſus haberi debeat.

JCti generale officium, quærere omnium legum cauſſas & interpretationes.

IV. Ex hac definitione, antequam ulterius progrediamur, illud generale legum interpretis officium derivamus non modo, ſed plane ſpeciem Interpretationis etiam aliquam peculiarem circa legum cauſſas.

Addi-

Additio VII.

De Mentali sive Intellectuali Interpretatione in genere.

QUam adeo *Interpretationem circa legum caussas* versantem, paulo etiam ac olim *distinctius* nunc pertractatã dare fuerit operæ pretium. Nempe oratio illa mentis ad rationes & caussas legum investigandas instituta, tam restrictioni, cujus nunc occasione jam in illam incidimus, quam extensioni postmodum, & aliis quoque interpretationum pluribus speciebus subservitura, cum nosse plene ac intelligere atque scire leges demum faciat, uti supra vidimus, ex ipsa etiam Legislatorum Romanorum mente, non minus qvam veritate: ipsaque adeo intellectus acrimonia solide sola indagetur, merito mentalis κατ' ἐξοχήν, Intellectualis, & caussalis late dicta, possit apposite cognominari, ac definiri *Interpretatio, eas quibus Legislator inductus est caussas, legibus assignans.* Quales caussæ, cum nulli non legi aliquæ sint eo, quod nihil fiat sine caussa, hinc regula porro sequens fluet,

Nempe (d) Interpretis esse, de omnium legum caussis cognoscendis esse sollicitum. (e) Nam si omnes leges laborant aliqua imbecillitate, quæ non nisi ex caussis earum potest sine mutatione tolli: legum interpretis, cujus est eas tollere, erit omnino, & caussas earum investigare. Atqui omnes leges laborant ejusmodi imbecillitate, contingentia videlicet. Ergo. Porro ex eodem fundamento & hoc surgit observatum. Quod proponere sibi nempe suo modo, cujuscunque JURIS INTERPRES DEBET, OMNES LEGES INTERPRETARI, ET NULLAM SINE INTERPRETA-

N TIONE

(e) *Anton.* Massa Galesius *de exercitat. Jurisperitor. lib.* 1. *n.* 144. & *seqq.*

TIONE RELINQUENDAM CENSERE. (f) Si enim omnes leges laborant imbecillitatibus, is cujus eſt eas tollere, ſi velit probe ſuo officio defungi, debet omnes tollere, nullas relinquere. Jam vero omnes leges iis laborant. Ergo interpretis erit omnes eas tollere, adeoque omnes interpretari, nullam ſatis claram putare. Univerſim adeo futuram, & ſemper cui non aliquando neceſſitas, minimum reſtrictionis, ſi non extenſionis queat accidere.

Additio IIX.

Explicatio Regulæ, & conciliatio cum reg. 9. ſuperiori, & diſcrimen applicationis, & applicatoriæ legum Interpretationis.

INterim non quidem univerſim & abſolute loquendo ſed ſingillatim, & in caſu certo (ubi nulla de cauſſa legis, per legislatorem indicata, diſputatio, deque illius ceſſatione ſuſpicio emergit,) obtinebit illud ſuperius dictum, *regulæ III. 9.* cap. 1. §. IV. Legis claræ non faciet interpretationem. Niſi forte velis & hanc Interpretationis nomine cenſere operationem, quando legem univerſalem applicamus ſimpliciter caſui dato, ut congruentem, intuitu rationis inveſtigatæ, atque caſui oblato quadrare depræhenſæ. Id quod adeo Clariſſimus JCtus *Vultejus* etiam voluiſſe videtur, quando diſertis verbis libello ſuo *de principiis Juris*, oppido lectu digno 2. p. m. 55. *Rationes cauſſasque Legum ſcire, eſſe præcipuam & JCto propriam interpretationem*, expreſſe ſcribit. Qua de re litem circa voces nulli movebimus. Contenti hoc monuiſſe. Merito ubi nullus eſt legis in ſignificando defectus, etiam interpretationis voce tanquam alicujus correctionis indice, abſtineri. Adeoque *applicationem legis*, & *ſine*, & *cum interpre-*

(f) *l. 1. §. Quamvis. 11. ff. de Ventr. inſpic.* Forſter. *de Interpr. Jur. lib. 2. c. ult. reg 13.*

pretatione fieri poſſe. Sine illa ſi fiat, interpretationis nomen non aliter ſuſtinere, niſi quando velis id quoque vitiis ſignificationis accenſere, quod ſingulos in Individuo caſus Lex non deſignet: quod tamen implicite facit, aliterque per rerum naturam non poteſt. Differunt itaque ſicuti latius & ſtrictius, eritque dicenda

Applicativa, ſive Applicatoria Interpretatio,

hæc *Interpretatio, judicans, de legis applicatione*, ope mentalis interpretationis, aut *omittenda* extraordinarie, *aut facienda*, ubi ſecus alias poterat videri, mentalem interpretationem non adhibenti. Prior caſus omiſſionis *reſtrictionem*, poſterior *extenſionem* prox. ſeq. capite conſiderandam, abſolvet. Quarum *utraque formalis* erit *ſpecies applicativæ Interpretationis*. Quibus *Materiales* deinde *ſuperaddentur*, add. §. II X. h. c.

De cauſſis actionum humanarum in genere.

V. Jam ut cauſſas legum plenius percipiamus, in memoriam nobis revocari debet, quod de poſitivis legibus ſermo noſter præprimis ſit inſtitutus, quæ totam ex placito, & arbitrio Legislatoris habent & eſſe vel non eſſe rationem & Interpretatione atque Interprete præ aliis legibus indigent. *Legislationem* vero illam *eſſe operationem*, ſeu actionem: *eam* vero eſſe *motum*, vel non ſine motu, certe in propatulo eſt. *Motus* vero cujusque principium & *cauſſa*, vel eſt *in ipſo movente*, quem hic eſſe hominem liquet, (de humanis enim legibus diſſerimus, non de aliis,) vel vero eſt *extra ipſum* id quod movet. *Hujus generis* bina videmus eſſe, *fortunam*, & *vim*. *In ipſo homine* agente quæ ſunt, eorum aliqua ordinaria, & neceſſaria ac immutabili lege moventur, qualiter procedunt, quæ a *natura* fieri dicuntur, & ex nobis non dependent, nec mutari à nobis proprie poſſunt. Quæ vero denique ab homine fiunt, vel ab eo qua tali fiunt, id eſt ex *ratione* proficiſcuntur, eaque cum *appetitu* conjuncta, quæ *voluntas* dicitur: vel vero quatenus ab animali perficiuntur, id eſt per merum, ſolumque appetitus inſtinctum. Vel denique ex perfectione ipſius operatricis facultatis ejusdem ſuæ eſſentiæ originem habent, quæ

C. præced. §. 11. ceu diximus, aliter jam agere difficulter permittit, & hæc *consuetudo* nuncupatur. Atque hoc eſt fundamentum cauſſarum, quas actionibus humanis Ariſtoteles in Rhetoricis (g) aſſignatas exhibuit.

Quas earum JCtus negligat.

1 VI. Hæ an omnes, & qvomodo a JCto ſint indagandæ, exponendum eſt. Sunt autem, ut hoc repetamus, *fortuna, natura, voluntas, appetitus, vis, & conſuetudo.* Harum priores binæ, *Fortuna* videlicet, & *Natura*, propemodum *negligi*, atque inſuper haberi a JCto *poſſunt.* Natura enim legum cauſſa non eſt, utpote principium ordinarium, & extra noſtrum arbitrium poſitum. Qvaliter a natura proficiſci dicimus, quod eſurimus, ſitimus, creſcimus, & diminuimur, & quæ cætera ab anima nutriente & vegetante nobis contingunt vel invitis. Leges vero ex voluntate, & conſenſu oriri voluimus. Sic ne-
2 que fortunæ leges adſcribendæ erunt. Fortuna enim eidem Philoſopho (h) eſt. αἰτία κατὰ συμβεβηκὸς, ἐν τοῖς κατὰ προαίρεσιν, καὶ ἕνεκα τοῦ. (*Cauſſa per accidens, in iis quæ ex propoſito, & propter aliquid fiunt.*) item τοῦ ἀορίστου, & ἄδηλος ἀνθρώπῳ καὶ παράλογόν τι (*indefinitorum, & non manifeſta homini, & præter rationem.*) item (i) ἐν τοῖς μὴ ἐφ' ἡμῖν οὖσι, μηδ' ὧν αὐτοὶ κύριοι ἐσμὲν, καὶ δυνατοὶ πρᾶξαι. (*conſiſtit in iis quæ non ſunt in nobis, &* non iis *quorum ipſi domini ſumus, quæque efficere poſſumus.*) Leges vero, ex ratione & propoſito legislatoris, adeoqve ex manifeſtis cauſſis, & certis, ac ſub prudentiam cadentibus, definire agenda debent. Jam vero nihil prudentiæ æqve adverſatur, ac fortuitum. Facit enim non procedi ſecundum prudentiam, cum ſit contra ratio-
3 nem: prudentia vero cum ratione conjuncta. Quinimo quemadmodum ſeſe habet exceptio ad legem ſive regulam, ita fortuna ad prudentiam. Illa enim circa ea quæ utplurimum ſunt verſatur: hæc vero in accidentibus conſiſtit, quæ impediunt, ne

(g) *1. Rhetor. cap. 10.*
(h) *lib. 2. Phyſic. cap. 5.*
(i) *M. M. lib. 2. cap. 8.*

ne secundum rationem solitam id quod volebamus procedat,
sed facit aliquid fieri præter rationem nostram, & voluntatem.
Unde patet, quamvis non sit impossibile, ut fortuitus aliquis 4
casus concurrat ad legem constituendam, Jurisconsultum tamen per ejus considerationem parum juvari. Ut taceam id ipsum rarissime usu venturum. Nam uti prædicto loco (k) pergit Philosophus, οὔτε ἀεὶ οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ οἷον τε εἶναι τῶν ἀπὸ τύχης οὐδέν (*Neque semper, neque utplurimum, possibile est esse aliquid eorum, quæ a fortuna fiunt.*) Ut rem exemplo, quamvis rudiusculo, de- 5
claremus. Jubeat Rex alicujus reipublicæ Consiliarium suum, ut habita oratione, deterreat subditos ab ebriositate. Ille vel non percipiens mentem Regis, vel ita conducere existimans, vel forte ita excidentibus verbis, narrat sub hac vel illa pœna Regem vetare ebriositatem. Creditur, observatur. Sane hæc lex forte fortuna facta est: sed cum ignorantia populi & erronea opinione conjuncta. Quæ quamdiu durat, lex stabit: non quia ille error commissus est, id enim si scirent ab observantia pristina desisterent vitiosi; sed quia putant ex consilio processisse. Adeoque tractanda erit a JCto, quasi ex consilio orta. 6
Nam si error latet, non poterit detegere eum JCtus: si patet aut lex negligitur, & a cura JCti abit, aut manet, & ex post facto, seu ratihabitione, adeoque ex consulto consensu, & non ulterius ex fortuna valet. Sed hac de re plura fortassis patebunt, & ex iis, qvæ de opinione falsa, seu errore legum caussa ratiocinabimur. Unde, & tritum illud JCtorum (l) dictum, *ex* 7
communi

(k) *2. Phys. 5.*

(l) Mynsinger. *ad Institut. de testam. ordin. §. sed cum. 7. n. 2.* Fabr. *Jurisprud. Justinian. princip. 1. cons. 1.* Bartol. *ad l. 1. C. quæ sit longa consuetudo. Lælius* Mancinus *disquisition. genial. lib. 3. cap. 279. Petrus* Perrenonius *lib. 1. animadvers. cap. 18.* Hilliger. *in Donell. enucl. lib. 1. cap. 5. A. Alfons.* Moditius *dubitat. 84. n. 3. in §. lex est. Inst. de I. N. G. & Civili. & in §. plebiscit. dubitat. 142. n. 3.* Lyclam. *1. membran. cap. 6. & 7. Guibert.* Constant. *lib. 1. quæst. jur. cap. ult. num. 8.* Harprecht. *in instit. de Jur. Nat. G. & Civ. §. sine scripto. 9. n. 8. & seqq. ibique citatus* Besoldus, *& alii, va-*

communi errore jus nasci, explicari poterat: nisi peculiari dissertationi hanc materiam reservaremus. Quæ adeo si quando vacet, aut opus sit, ex Juris naturalis capitibus illis, qvæ de corruptelis & Ratione status circa leges agit, facile queat confici. Nam ex corruptelis quidem legum oriuntur, quæ per errorem
8 fiunt. Qvousque vero communis ille consortii dicendus, & quando communis sit, mereatur vim habere, vel non possit non consequi de facto, tum generatim, tum speciatim in qualibet consortionis privatæ publicæve forma, ex singularum erit natura singulari doctrina exponendum. Unde compositione facta, excerptum de hujus dicti usu commentarium liceat exhibere prorsus accuratum atque curiosum.

Difficultas caussarum indagandarum, & quod nemo hactenus de iis condigna præcepta tradiderit, & quæ nobis de iis propositum sit exequi.

VII. Magis necessaria est reliqvarum caussarum notitia. Qvippe quæ magis ipsum τὸ esse legi dant, adeoqve ubi valere debeat, vel non indicio esse possunt. Non exiguæ autem difficultatis esse harum inventionem, vel hoc satis manifesto argumento est, quod tantæ inter summos Doctores etiamnum lites ventilantur, tamque atroces disceptationes continuantur, de plurimarum legum rationibus assignandis, diversis in diversa irreconciliabili dissensu nitentibus. Ita ut obviis nunc animo ex tanta copia exemplis paucis, rem per se, si non lippis & tonsoribus, certe cuivis dupondio aut Justinianeo novo notissimam adstruam: de *caussa acquisitionis insulæ in flumine natæ* contra (m) celebrem illum Franciscum *Hotomannum* insurgit *Bachovius*. De ratione vero *l.8. C. de revoc. don.* plures (n) etiam inter se conten-

rie hoc dictum exponentes, & probantes ex l. Barbarius 3. ff. de off. prætor. l. si quis patremf. 3. ff. de SCto Macedon. l. supellectili. 3. §. f. ff. de supellectili legata §. sed cum aliquis. 7. Institut. de testam. ordina. c. ad eminentiam. 20. de sent. excom. &c.

(m) *Commen. ad Instituta de Rer. Divis. §. insula. 22. n. 2.*

(n) *vide Wilhelm.* Ludwell. *exercitation. ad Instit. Disput. 6. th. 10. E. ab eoque citatos, quibus præter alios contradicunt Bened.* Carpzovius *part. 2. definit. 32.* Franskius *exercitat. 5.* Quæst. 10. Hahn. *ad Paratitl. de donat. n. 7. &c.*

contendunt. Nec minus fervidam litem ſibi invicem intentant (o) ſuper ratione *c.* 3. *extra de furtis*, & *c.* 26 27. *de conſecrat. diſt.* 5. ut & ſuper cauſſa *auctæ pœnæ furi manifeſto* præ non manifeſto (p) & aliis in caſibus, quibus hic enumerandis otium non ſufficit. Quæ omnia indicant, quam ſuper hac re ſit periculoſa ſæpius, & intricata diſputatio. Eam ut effugerent, alii ſilentio præteriere, alii univerſaliter exponi poſſe negarunt, exemplis lectori ſatisfacere conantes. Aliis vero tam male inſtituta eſt diſſertandi ratio, ut exitum vix inveniat, certe tota mirum usquequaque in modum vacillet, & claudicet. Sane ſpeciatim, & *ex profeſſo*, uti ajunt, *hanc materiam aggredi nemo auſus* eſt, etſi *neceſſitas* ejus *clara* erat, & *quotidiana* omnibus. Et tamen dari aliquam hac in parte etiam certitudinem, & ſcientiam oportet ut fateamur: niſi, & fruſtra ſe invicem incuſaſſe auctores tantos, affirmare, & omnem interpretandi certitudinem hic negare velimus. Quod itaque hactenus neglectum eſt, nobis eo majori ſedulitate curare incumbet: ut quæ in aſſignandis legum cauſſis certitudo, quæ methodus ſervanda ſit, minimum ex ſuis principiis, ſi non fuſe, attamen certè & vere ſatis demonſtremus. Reſtant itaque *quatuor cauſſæ: Voluntas* ſcilicet, *Appetitus*, *Vis*, & *Conſuetudo*, de quibus ſingulis ordine agemus, *quomodo inveniendæ*, & quomodo *ex inventis Reſtrictio* ſit poſtmodo debite *facienda*, pro virili explanaturi.

II X. Antequam autem hunc laborem ordiamur, *generale mentalis interpretationis* adhuc *præceptum* primarium, & inde fluens ſecundarium unum, ex natura cauſſæ propoſitionum, ſive rationis & ineſſe in lege deducemus, cujus poſtea uſus ſpecialis in ſingu-

Generalia de reqviſitis cauſſarum legibus aſſignandarum.

(o) *Ægid.* Boſſ. *Pract. crimin. tit. de furtis. n.* 52. *Jul.* Clar. *lib.* 5. *ſententiar.* §. *furtum. n.* 24. Gailius 1. *obſervat.* 142. *in fin. Paul.* Berenſ. *Diſp.* 13. *th.* 1. *c.* 8. *Reinald.* Corſus 1. *indagat.* 18. *Valentin.* Riemerus *Ill. Quæſt. dec.* 12. *Q.* 4. *Bernd.* Zieritz, *ad Conſtit. Carolin. art.* 166.

(p) *vid.* Cuiacium. 19. *Obſervat.* 12. *Anton.* Mattei *ad* §. 5. *Inſtitut. de obligat. quæ ex delicto*, &c.

§. 2. hoc C. singulis ejus generibus erit necessarius. Nempe cum lex debeat esse propositio universalis, per ea quæ ante sunt allata, ratio quoq; sive causa ejus inesse universalis semper assignanda veniet, adeoque

Reg. 19. **(II) Interpretis erit assignare semper & omni legi rationem aut caussam, per quam ea universalis sit,** sive per quam prædicatum ejus omni subjecto insit, & de casibus omnibus, quibus illud constat inesse voluisse Legislatorem, possit probari, & cur insit demonstrari. Contra

Reg. 20. **Non admittendam**, liquet, **caussam illam, neque assignandam, quæ Legem faciat propositionem particularem:** sive quæ faciat prædicatum non omni subjecto videri inesse, & quosdam dari casus, quos Legislator compræhensos lege voluerit, qui tamen, ex ea non possunt deduci, neque habent specialem rationem aliam. Ex quo colligas, male viros doctos in Jure Romano propterea manifestum furem quadrupli, nec manifestum dupli pœna castigatum docuisse, quod ille terrorem majorem incussisse censeatur. Quæ enim hoc pacto relinquitur ratio huic Ulpiani (q) effato? *Si cum tibi furtum facerem de domo tua, abscondisti te, ne te occidam, etiam si vidisti furtum fieri, attamen non est manifestum.* Sane major hic terror inferebatur, quam ubi vicinus, vel alius quis furem, cum re furtiva appræhendit, vel ei acclamavit, quo casu fieri manifestum furtum affirmatur, (r) Sed hæc ἐν παρόδῳ.

Addi-

(q) *l. si quis 7. §. 1. ff. de furtis. 1. §. furtorum. 3. Institut. de oblig. quæ ex delict. l. si quis. 7. ff. de furtis ibique. Dd.*

Additio IX.

De Speciebus Mentalis Interpretationis materialibus.

ANtequam vero progrediamur ad ſpecies cauſſarum JCto attendendas, in hacce mentali ſua interpretatione: non poſſum non *Interpretationis* hinc *mentalis* orientes *materiales differentias*, accuratiori paullulum diſcriminatione diviſas, partite magis atque olim & enucleate hic exhibere. Nempe illarum quidem prima & potiſſima omnium facile.

1. Rationalis κατ' ἐξοχὴν ita dicta, & demonſtrativa, ſive Juridica Naturalis, aut naturaliter Juridica, vel Philoſophica, eſt *Interpretatio mentalis rationem cum Jure naturæ*, ſeu naturali *coincidentem legi aſſignans.*

2. Politica Interpretatio, ſive ſtatiſtica (hodierno loquendi more) Interpretatio, eſt *mentalis aſſignans rationem legi politicam*, ſive ex ratione ſtatus petitam. Utraque rationalis late, vel ratiocinans, aut ratiocinativa, nobis ad diſcrimen, qvoties de ambabus aliqva conjunctim tradenda venient dicetur.

3. Opinabilis ſeu opinoſa, opinans, opinata, vel quibus barbara præplacent, opinativa & opinatoria Interpretatio, eſt *Mentalis opinionem Legislatoris*, ut *legis cauſſam indicans*, detegensque.

4. Cauſſalis κατ' ἐξοχὴν, ſive ſtricte dictâ

(nam omnibus poſſet hoc nomen jure convenire) Interpretatio, eſt *Mentalis cauſſam a ſuperius* dictis rationibus *diverſam legi aſſignans*. Eſtque vel

5. Affectuoſa Interpretatio, quæ *affectum legis cauſſam interpretatur*.

6. Conſuetudinaria Interpretatio, quæ *conſuetudinem legislatoris legis cauſſam interpretatur*.

7. Violenta (& Neceſſitativa, ſi non diſpliceat etiam iſta barbaries) *quæ vim* & neceſſitatem *legis cauſſam interpretatur*. Harum quæque, ut poſſit eſſe cauſſa reſtrictiva, vel limitativa, aut non poſſit, in *ſequentibus* dicendum: expoſitis prius rationibus indagandi ſingulas & univerſas, antequam applicandi poſſit inſtitui labor, oppido prius expediendis. Quare in tractatione illud etiam deprecari nunc neceſſe habemus confuſionis alicubi occurrentis: quod generalia quandoque præcepta ſpecialioribus intermiſcentur, ordine non usque quaque præciſe ſervato illo, quem oportebat. Quandoquidem olim hæc cum conciperemus, nondum æque ſollicite genera, ſpeciesque haſce diſtinctione fueramus accurata, uti nunc proſecuti. Conabimur tamen etiam additis *numeris Romanis*, *in parentheſin incluſis*, *contractioni* etiam *harum regularum*, *uti ſupra monitum* jam *habemus adhibendis*, qua liceat etiam *huic malo* in plerisque omnibus *afferre medicinam*.

1 IX. Ad *ſpecies cauſſarum* accedimus, *initium a voluntate* facientes, tamquam principio actionum humanarum maxime proprio, nec in ſolo appetitu conſiſtente, ſed eandem ratione, quæ ab omnibus aliis animantibus hominem diſtinguit, refrænante. Eſt ergo *voluntas*, quod ad præſens noſtrum inſtitutum, *appetitus cum ratione* conjunctus. Hæc autem ratiocinatio, ſive ratione utendi actio, vel inſtituitur perfecte, vel minus perfecte. Si

De Rationibus, legum cauſſis potiſſimis, iisque vel naturalibus, vel politicis, & his vel generalibus,

Si *perfecte*, componentur entia, quæ ex suapte natura componi
apta sunt, seu quæ naturales suas habent propensiones, & propor-
tiones, quod ad τὸ inesse sibi invicem, vel non inesse. Et hæ sunt
propositiones ex caussis suis certis & naturalibus *demonstrabiles*,
adeoque scientia compræhensibiles. Hac ergo ratione qui com- 3
ponit leges, componit eas optimas, & *quales Prudentia Legisla-
toria dictitat*, id est, κτ̀ τὸ πλεῖστον, sive ut plurimum eas, quas scien-
tia legislatoria præscribit. *Scientia* vero *legislatoria*, prout ex Po- 4
liticis Aristotelis videre est, duas præcipuas, & maxime differen-
tes habet partes, quarum *altera optimam* solam *rempublicam* con-
siderat, id est ad finem perfectissimum, seu summum & verum bo-
num ordinatam. Id quod *Aristoteles* in parte hujus doctrinæ, C. 1. §. 1.
perquam, uti jam ab initio diximus, mutila, solo respectu ad ho-
mines habito determinavit, nos vero, cum *Platone*, (f) cum ali-
qua ad Deum relatione accipiendum merito docuimus. Hac 5
itaque parte leges perfectissimæ, & ad optimum hujusce vitæ fi- C. 3. §. 8.
nem ducentes, adeoque vere naturales, & vere naturalia jura, &
κατ᾽ ἐξοχὴν ita nuncupanda constituentes, ipsamque conscientiam
cujusque per se obligantes compræhendentur. Et quamquam 6
hujusce partis prima ac summa fundamenta in sanctiorem doctri-
nam non posse non excurrere videamus, ut adeo, & exinde ra-
tiones legum nonnumquam sint petendæ: de hisce tamen inqui-
rendis, atque constituendis hoc loco agere non convenit, cum ea
res diversæ plane, & sublimioris longe atque dignioris sit specula-
tionis. Contenti itaque demonstrasse, quæ ex Philosophicis 7
principiis, ac inprimis ex civilibus derivari queunt: quod ad
reliqua scitis, & præceptis saniorum Doctorum penitus acquie-
scimus. Non secus etiam in iis, quæ ex aliis diversis plane a no-
stra quam tractamus scientiis demonstranda sunt, easdem illas
profitentibus fidem habemus, eorumque dogmata hypothesium

vel specialibus, & ex quibus regulis sint indagandæ.

 instar

(f) *Dialogo* 1. *de legibus*, & *in Philebo*, *seu dial. de summo bono*, *cui adde* Ficini *commentaria*, & *Fortunii* Garciæ *JCti dissertationem de ultimo fine Juris Canonici*, & *Civilis*.

8 instar ad nostra inde deducenda supponimus. *Altera* illa *legislatoriæ scientiæ portio*, magis ab hac perfectione recedit, & quoniam perfectissimam Civitatem institui, & perfectissima adeo jura prorsus observari, humana imbecillitas non omnino permittit: eas considerat respublicas, quæ etsi optimæ non sint, attamen sunt tales quæ *ab optima non plane*, sed quatenus necesse est, ita ut in

9 usum deducantur, *recedunt*. Hasce ergo formas, earumque proprietates, & conservandi rationes, sive leges, ista scientiæ legislatoriæ pars pro vario fine varias demonstrat, quæ quo magis

C. præced. §. 8. minusve ab optimo recedent, eo plus minusve perfectionis quemadmodum ante diximus, obtinebunt. Atque hæc est do-

10 ctrina illa, quam *quarto, quinto & sexto Politicorum* libris *Aristoteles* nobis describere voluit. Quam illi quæ de optima republica tractat, utpote indigniorem, ex Philosophi mente postponendam esse, recte Antonius *Scainus* in quæstionibus super libros de Repuplica Romæ. A. D. 1577. excusis monuit. Cui vir insignis Daniel *Heinsius*, & Clarissimus, ac civilis prudentiæ imprimis particeps Hermannus *Conringius*, in introductione in hosce libros, nec non, scientissimus *Feldenus* in Analysi adstipulatur. Quorum nullus hasce cum viderit *Scaini Quæstiones Politicas*, oppido raritate sua non magis, quam bonitate pretiosas, exemplar olim Vene-

11 tiis forte repertum, occasione data recudi facere decrevi. Verum ut in viam revertamur, ex Politicis de Ratione Status & Reip. optimæ natura scitu necessaria nunc aliunde vel prænoscenda benevolo lectori, vel etiam quantum huc opus est, quidem nota præsupponimus: quomodo autem ad leges positivas accommoda-

12 ri ea debeant, operæ pretium erit omnino nunc videre. Nempe *omnis Civitas finem habebit cum aliquo earum, quæ* in posteriore illa sciêntiæ civilis parte *ab optima republica recedentes* considerantur, *vel totum*, vel *ex parte coincidentem*, adeoque & de ipsius natura & legibus participabit. Hæc rursus *aliquid* habebit *ab optima* illa, adeoque naturali: Nam si nihil ex illa habeat, necesse est contineat mera naturaliter injusta, adeoque mera sui destructiva jura,

jura, & per ea ſtare diu, atque conſervari, nullo modo po-
terit: imo potius corruptio reipublicæ, quam respublica erit.
Quæ cum taliter ſeſe habeant, patet *in omni republica leges aliquas* 13
debere *concordare cum* prioris, & poſterioris *harum ſcientiarum*
aliquibus, adeoque *rationes* & cauſſas ſuæ exiſtentiæ *exinde habe-*
re. Harum ergo illas, quæ *ex naturæ jure*, ſive *priori parte*
ſunt, *naturales*: quæ *ex poſteriori* dependent, *politicas*, ſive
civiles impoſterum vocitabimus. (t) Utræque rationes legum
κατ' ἐξοχὴν dici merentur. Quippe quæ re vera rationem, ſive
proportionem τοῦ ineſſe invicem, legum terminis tribuunt. Un- 14
de cum illa ipſa ratio, ſive proportio terminorum, faciat pro-
poſitionem, ceu ante dictum habemus, ea vero ipſa propoſitio
ſit lex: apparet qvam recte prorſus Doctores *rationem legis i-*
pſam legem, (u) item *animam legis* (w) dixerint, conſentientibus
antiqvis etiam Jurisprudentibus, & præcipue *Paulo* (x) inter
eos neutiquam infimo. Hinc ergo aliud porro officium JCti, 15
ſive legum interpretis nanciſcimur, imo interpretationis menta-
lis etiam ſpeciem peculiarem, reliqvis contradiſtinguendam,
qvæ Rationalis Interpretatio late dicta, ſeu ra-

 tio-

(t) *Conſentientibus ll. Romanis paſſim per ff. & C. videſis* Giphan, *de R. J. c.* 4. Mev. *Prodr. Jprud. Inſpect VI.* §. 30.

(u) Zaſius *in l. ſcire, & l. non omnium ff. de ll.* Moditius. *in §. lex eſt Inſtitut. de I. Nat. G. & Civil. n.* 4. Alciat. *de V. S. lib. 2. n.* 10. Forſter. *de interpret. jur. lib. 2. c. 2. n. 21. & reg. 91. ibique citatos.* Bald. *conſil* 467. *in fin. gl. ad l. 2. C. quæ ſit longa conſuetudo.* Everhard. *loco de ratione legis larga. n. 29. &c.*

(w) Alciat. *de V. S. lib. 1. n. 15. & ſeqq. &* Bald. *in l. ſi quis ſervo. in fi. C. de furtis.* Tiraquell. *l. ſi unquam verb. libert. n. 28.* Alex. *Conſil. 32. Jo. Mari Novar. Quæſt. forenſ. lib. 1. q. 144. n. 120. Fr.* Leo *Theſaur. fori. Eccleſ. p. 2. c. 9. n.* 136. *Barth.* Perett. *ad Extravag. ambitioſæ de rebus Eccl. non al.* Barboſa *axiom.* 197. Everard. *loco arat. leg. ſtrict. n. 2. Ludovic.* Poſtius. *in deciſionibus* Rotæ Romanæ *de manuten. deciſ. 206. n. 39.* Gammar. *de extenſion. n. 15. & 17. &c.*

(x) *l. cum ratio. 7. ff. de bonis damnatorum.*

tiocinativa dici qveat: posita *in assignanda ratione legum quacunque*, sive demonstrativa illa, sive probabilis existat. Cujus præceptum generale, ac officium adeo JCti, & *Regula* in-
Reg. 21. terpretandi ea sit, videlicet (I.) JCtum ante omnes alias caussas, de rationibus legum præcipue
16 assignandis sollicitum esse debere. Nam quæ caussa τό esse legis imprimis constituit, ea omnium maxime curanda est atque indaganda. Ratio vero ex allatis id facit. Ergo.
17 Imo qvæ caussa legem facit maxime perfectam, ea omnium minime insuper habenda est. Jam autem rationes utiqve hoc faciunt, naturales quidem primario, secundario vero Politicæ: dum & jus divino magis consentiens, & ad finem optimum magis dirigens, firmiusqve obligans constituunt. Ergo. Pa-
18 tet etiam ex hactenus allatis, *JCtum ordinarie non excusari, si ignoret legum rationes naturales:* cum eas sub scientiam cadere, adeoqve finitas esse dictum sit. Id qvod ita sese habere intelligendum est, si terminus uterqve, subjectum scilicet, & prædicatum legis, satis sit generalis atqve universalis, adeoqve ita comparatus, ut absqve multis ambagibus sub utronam termino, in naturali scientia considerato, debeat subsumi, colligatur. Secus enim si sit, excusari quandoqve debebit JCtus.
19 Hoc ut magis intelligatur: sciendum est, *rationem quamvis τῷ inesse inter duos terminos conficere* cum iisdem *syllogismum.* Exempli gratia lex est. Depositum reposcenti deponenti reddatur. Ratio hujus legis est, qvod cessat indigentia custodiæ, qvæ erat finis, & caussa qvampropter contractus erat initus, Hinc exoritur Syllogismus talis. Ubicunqve cessat indigentia custodiæ, ibi reddendum est depositum. Ubi reposcitur a deponente depositum, ibi cessat indigentia custodiæ. Ergo. Ubi reposcitur a deponente depositum, illud reddi eidem debet a depositario. Videmus, uti dixi, fieri syllogismum, cujus medius termi-

terminus ratio est legis, conclusio ipsa lex. Jam igitur vel fit 20
ut ipsa *lex cum sua ratione*, adeoqve totus ille Syllogismus *con-
tineatur in scientia juris naturæ*, vel *ut solæ præmissæ, vel una sal-
tim* earum comprǽhendantur. Utroqve casu inexcusabilis est
JCti ignorantia. Quod si vero nulla hujus syllogismi proposi- 21
tio in scientia illa reperiatur, sed propositio aliqva, qvæ ante-
qvam legi nostræ applicetur, aliis intermediis syllogismis indi-
get; tunc & ob μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, sive transitum in aliud
genus, & ob nimiam subjecti legis particularitatem, interdum
difficultas ea subsumendi nascitur, ut excusationem JCto non
subsumenti pariat. Propter μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος nempe, (de 22
qua videri poterit Philosophus in Analyticis, (y) ejusqve com-
mentatores,) si ad subsumendum vel propositiones, vel syllo-
gismi integri ex diversa plane scientia sint necessarii. Exem-
plum etiam hic uti rude afferamus. Sit lex. Medicus gravi- 23
dam intra quartum mensem purgans relegetur. Invenio in
Jure naturæ hanc propositionem. Medicus si lata culpa ali-
quem occiderit, relegetur. Est ista ratio legis meæ. Sed an-
teqvam subsumptio, ac demonstratio plenarie expediri
qveat, necessarius est in Medicam scientiam transitus: qvo
demonstretur, Medicum purgantem gravidam intra quar-
tum mensem, occidere fœtum. Hic ergo fortassis culpa ca- 24
rebit ignorantia JCti, eo excusabilior, qvo & in abdita ma-
gis illius scientiæ digredi est necessarium, & qvo alienior a
Civili eadem fuerit. Quamvis hic quoque recte dixeris, conve-
nire perfecto JCto eatenus etiam illa perdiscere, vel ab aliis pete-
re & quærere, quatenus ad propositum suum requiruntur. Ut
ne sic quidem absolvi penitus à culpa possit. Hæc de μεταβάσει.
Nimia particularitas subjecti excusabit JCtum non subsumentem: 25
si ea ejus sit natura, ut peritiam singularem & circumstantiarum
notitiam difficillimam, & vix possibilem requirat, antequam pa-
tere possit, sub quo termino fieri debeat subsumptio. Quod ipsum
etiam

(y) *1. Posterior. cap. 7.*

etiam rariſſimum erit. Et hæc quidem de inſcitia, quod ad natu-
26 ralem rationem ſuffecerint. *Politicam* vero *rationem duplicem*
eſſe obſervandum eſt, nempe aliam quæ κ῀ τὸ πλεῖςον, id eſt ut pluri-
mum in hac reipublicæ forma procedit, (& *hæc generalis* impoſte-
rum a nobis vocabitur) adeoque ſub ſcientiæ legislatoriæ partem
poſteriorem cadens, non minus quam naturalis nota JCto eſſe
debet: aliam vero quæ *ſpecialis* poſthac nominabitur, & in repu-
blica aliqua per accidens, non quatenus hanc habet formam obti-
27 net, locumque invenit. Unde non ex ſcientia hæc ratio depen-
det: ſed ex prudentiæ aliquo ſubordinato habitu, qui qualis ſit,
cap. XI. ſuus erit dicendi *locus*. Sicut enim mediante prudentia Legislator
accidentia rimatur, & perſpicit, quæ ut a regula recedatur exi-
gunt: ita per ſubordinatum aliquem prudentiæ habitum, ratio-
28 nes illas Legislatori notatas, JCtus indagat. Nunc exemplum
ſubjiciemus. Notum eſt ordinarie Democratiis, ob periculum a
nobilibus & optimatibus imminens, non prodeſſe, concedere
optimatibus, ut exſtruant ſibi caſtella, & muniant prædia ſua.
Poſſunt tamen intervenire accidentia quamplurima, quæ idipſum
ſummopere expedire faciant. Si nempe imbelles ſint nobiles, &
in poteſtate plebis poſiti, prædiaque hoſti objecta, ut in Hungaria,
ubi continuis excurſionibus, etiam in pace media eſt locus, præ-
tereaque ſint metropolitana ſine dominatrice ab urbe remota, &
29 non niſi per ipſos plebejos defendenda. Hæc igitur accidentia,
hæ circumſtantiæ, ſi quando, ceu inferius prolixius declarabi-
hoc c. §. 19. mus, adeo ſint abſcondita, ut curioſitate nulla a JCto poſſint ob-
ſervari & depræhendi, ſane culpa ipſe vacabit. Modo interim
30 meminerit, non illico a ſua ignorantia in aſſertionem univerſalis
ignorantiæ, & impoſſibilis notitiæ prorumpendum fore. Quin
potius illud *Hopperi* ſemper cogitet: *Vitium eſſe quando, ſi non
ſtatim rationem legis invenias, eam ſine ratione eſſe clames* v. lau-
dantem hoc dictum Hopperi *Unverfährt.* Pæd. Jprud. cap. VI.
31 §. 88. in fine p. m. 269. Sed tempus eſt, ut de ipſis indagandi
rationes præceptis diſſeramus. Neque enim, uti facete Ste-
phanus

phanus de *Phedericis* (z) ait, *debemus rationem legis ex capite nostro invenire*, id est pro lubitu nostro fingere, sed ex veris suis fontibus & reipsa existentibus fundamentis deducere. Quod uti sine capitis ope quidem non fieri possit: attamen ex capite nostro fieri nisi perridicule ac periculose non doceatur. Cum eo pacto *cerebrina* JCtis sanioribus dicta, vel potius *imaginaria* ex cujusvis phantasia conficta *phantastica Jurisprudentia*, loco veræ, sit omnino metuenda. Qvamobrem omnino *solidis de-* 32
monstrationum regulis, ea tanti momenti, ad omne interpretationis negotium, futura per omnes subsequentes ejus species *rationum indago*, & constitutio, erit utique *complectenda*, quas ultra citraque non debeat exerceri. Atque illa ipsa nunc erit nostra in præsens cura. Nolumus autem hic regulas genera- 33
les nostras *superius* propositas, (quæ uti omnibus legum parti- cap. 2. §. 4.
bus, ita & caussis, & rationibus applicari debent,) tædiosa prolixitate ingeminare: dicendo caussas legum eas debere assignari potissimum, quæ faciunt legem essentiam suam retinere, per Reg. 1. nullamque ejus partem perdere, per Reg. 2. perfectionem præterea non amittere, & quæ cætera per se patent. Sed ad ipsos *inveniendi caussas modos* accedimus. *Innotescunt* 34
itaque *cum omnes legum caussæ*, tum etiam *rationes* legum, *triplici modo*. *Primo* ex *confessione* ipsius *legislatoris*, dein ex confessione seu *testimonio aliorum*, ac tertio, *ex ipsa natura caussæ, atque signis*. Priores modi minus sunt artificiales, & JCti pro- 35
prii, quam posteriores, neque tamen ob id negligendi. Quoniam ultimus ille non ubique, ceu mox patebit, æque procedit. Et vero *confessio Legislatoris* propria, primo intuitu 36
videri posset omnium maxime certos nos de legum caussis redditura, & sola sine omni ulteriori dubitatione recipienda. Quando neminem tam quid senserit, dixeritque, atque ipsum eum qvi sensit dixitve, perspectum habere, adeoqve indicare posse manifestum sit. Verum enim vero non desunt tamen 37

(z) *de interpret. ll. part. 1. membr. 3. n. 40.*

etiam hic, quæ & facultatem, & voluntatem aſſignandi veram legi cauſſam impedire poſſint. Facultatem qvidem pauciora,
38 aliqua tamen. Ita exempli gratia fieri poteſt, ut legislatori non incidat, dum legem promulgat, vera legis ratio, quampropter præcipue ea expediat, & ne nulla ponatur, contra præceptum Platonis, (aa) qvi tyrannicum illud non utique ſatis ex vero autumat, adjungat eam, qvæ non plane abſurda animo forte ſe
39 ſiſtit. Item ſi ipſe quidem legislator perſpiciat legem eſſe utilem, non tamen ſatis diſtincte utilitatis illius naturam, ac fundamenta prima ſeu principia, univerſali ac ſcientifica cognitio-
40 ne perceperit. Id autē in practicis ſæpenumero uſu venire, vel experientia abunde ſatis teſtatur. Ut nempe in ſingulari aliquo caſu ſciamus hoc vel illud expedire, aut nocere, propter hoc vel illud damnū, bonumve inde oriturū: univerſale vero utilitatis vel damni
41 principium penitus ignoremus. Et ſane ſi cauſſæ iſtæ rerum agendarum univerſales, æque atque interdum ſunt particulares aliquæ, in promptu eſſent: exiguam laudem eas magno ſtudio ægre inveſtigantes Philoſophi mererentur, neque tanta de iis ipſis
42 opinionum diverſitate diſceptaretur. Sed de hiſce ſub finem hujus paragraphi aliqua erunt ulterius addenda. Patet interim his aliisque modis fieri poſſe, ut Legislator cauſſam legis veram & univerſalem addere aliquando non poſſit. Sæpius vero etiam, & facilius, ut nolit eandem adjicere eveniet. Cum non raro expediat minime, cauſſam veram legis omnibus conſtare. Inter quas cauſſas fortaſſis recte reputaverimus eas, quæ *arcana impe-*
43 *riorum* Politicis hodiernis nuncupantur. Quinimo fieri poterit, ut perſuaderi aliquid populo, vel optimatibus debeat. Ut ita neglectis veris vel demonſtrativis rationibus, ea quæ κατ' ἄνθρωπον, aut ad plebis intellectum accommodata magis ſunt, (qualia Rhetorica, & Dialectica potiſſimum eſſe aliunde notum ſupponi-
44 mus,) adduci neceſſe habeant. Quibus ita conſtitutis, pro *Men-*

tali

(aa) *dial. 7. de ll. cui ſubſcribit Anton.* Maſſa Galeſius *de exerc. Juriſperitos. lib. 2. n. 76.*

tali abſolute dicta Interpretatione, ulteriora præcepta, & novas porro interpretandi regulas concludimus. (III.) Interpretem non ſemper debere cauſſam à legislatore adjunctam legi aſſignare: ſed perpenſa probe ipſius natura, luſtratisque ſedula curioſitate omnibus circumſtantiis, Si nulla penitus accidentia depræhenderit, quæ legislatorem commoverint, ut voluerit, potueritve veram cauſſam celaſſe, tum demum eidem credere debere. Quoniam tunc cauſſas dubitandi ultra non habet. Qvod ſi e contra argumenta ejusmodi diverſitatem, & inconvenientiam ſcripti cum vero indicantia depræhenderit, non dubitabit meliorem verioremque cauſſam, neglecta ea quæ expreſſa eſt, legi aſſignare. Ita enim demum legem perfectam faciet, veramque legis cauſſam indicabit, & quam propter lex valere vel ceſſare debeat. Argumentum autem ſeu indicium cauſſæ non ex 45 voluntate vera aſſignatæ, nullum quod ad rationes legum, (de iis enim jam in particulari nobis diſſerendum erit, ut jam a *Mentali* generatim hucusque conſiderata, & ad omne cauſſarum genus extenſa, deſcendentes ulterius, *ſpecialiori* qvoqve ad ſolas rationes pertinenti, ſeu *Ratiocinativæ ſtrictius* ita *dictæ, præcepta* demus ulteriora,) eſt ſufficientius, quam ipſa rationis falſitas. (II) Falſam itaqve rationem, etiam a Legislatore expreſſam nunquam acceptabit

Reg. 22.
Reg. 23.
Reg. 24.
Reg. 25.

JCtus: ſed aliam cauſſam, rationemve in-
46 venire, omnino hoc caſu annitetur. Falſa enim ratio nulla eſt. Vide *exempla* ejus rei *Politica*, ex Hiſtoria Romana apud *Felden.* de Interp. part. 2. lib. 4. c. 1. p. 1063. & ſeq. Sed
hoc c. §. 11. de his ubi de opinione erronea dicemus, plura afferemus. Jam ſi vera ratio a Legislatore ſit expreſſa, id eſt talis, quæ re vera efficiat proportionem τȣ͂ ineſſe vel non ineſſe, inter terminos legis, adeoque cum lege Syllogiſmum efficiat, & ad omnem eam univerſaliter extendatur, ſecundum *Reg.* 19. tum vero nihil ul-
47 terius dubitandum eſt. Neque enim jam alia cauſſa melior
Reg. 26. dari poterit. Unde concludimus. (III.) Interpretem rationem vel naturalem, vel Politicam, a legislatore aſſignatam, ſemper recipere, & pro optima certiſſimaque, quam umquam nan-
Reg. 27. ciſci poſſit, habere debere. Item ea inventa cauſſas alias quærere non eſſe obligatum. Quamvis enim cauſſæ aliæ adjungi poſſent, eæ tamen huic ceu digniori ſemper ſubjicientur, & ex ea, quod de ſingulis latius
48 exponetur, omnem ſuum valorem accipient. Loquimur autem de cauſſis ſpeciatim ita dictis, id eſt quatenus rationes non complectuntur. Nam inventa ratione naturali, Politicam præterea quærere, quod expediat, mox docebitur. Et hæc de cauſſis & rationibus ab ipſo legislatore aſſignatis. Quod ſi is nullam plane expreſſerit, ſupererunt reliqua bina inveſtigandi eandem
49 fundamenta. Et ſi quidem alii ſuper ea teſtentur, imprimis fides eorum ex principiis de natura teſtium eſt examinanda, quæ eo maxime recidunt, an voluerint potuerintque veram cauſſam indicare. Unde conſimiles ſuperioribus regulæ renaſcuntur, utpote ex iisdem fundamentis ortæ. Confeſſio enim propria eſt teſti-

teſtimonium in propria cauſſa. Hinc igitur *Mentalis in genere* ſpectatæ *Interpretationis* ulteriora prodeunt præcepta. Qvod nempe (IV) Interpres cauſſam legi ab aliis aſſignatam, ſive illi ſint Hiſtorici, quorum id officium eſſe Reg. 28.
proprium, ut nimis a plerisque inſuper habitum, res ipſa loquitur, cum Illuſtri Barone Bacone de *Verulamio* in Hiſtoria Henr. VII. p. m. 135. ſive Doctores, aut cujuscumque alterius generis homines, non debet temere acceptare: ſed penſitata probe ejus natura, & circumſtantiis, ſedulo rimari, an aliquid obſtaculi invenire liceat, cur vel non potuerint, vel non voluerint veram legis cauſſam detegere. Quod ſi nul- Reg. 29.
lum neque voluntatis neque facultatis impedimentum offendet, recipere ſine ulteriore hæſitatione cauſſam ab aliis aſſignatam debebit. Sin ſecus, nullo modo ean- Reg. 30.
dem approbabit, ſed veriorem, melioremque ſemper quærere annitetur. Falſum enim eſt non ens, falſa cauſſa non cauſſa. *In ratione legis* iterum apprime 51
hæc manifeſta ſunt. Ibi enim in proclivi erit veritatem rationis agnoſcere. Quam ſi offendet, jam alia non dabitur eidem contraria cauſſa, neque ratio. Quamvis plures, vel invicem ſubordinatæ ſibi, vel certe ad eundem ultimum finem tendentes, adeoque ſubalternatæ tandem uni rationi ſupremæ, ejusdem legis conſtitui poſſint ac debeant, ſæpe rationes. Cum eadem lex multis interdum modis proſit, quemadmodum mox, ubi de concurſu rationum agemus, explanandum amplius erit. Interim hic re- 52
petimus regulas de ratione a legislatore aſſignata propoſitas: cum & hic & ibi eadem ſint fundamenta. Nempe quod *ad ratiocinan-*

Reg. 31. *cinantem* iterum pertinebit (IV) Ubi ab aliis habemus rationem veram naturalem, vel Politicam inquiſitam, ea nos rectiſſime uti, neque vel eam, vel cauſſam aliam inveſtigare ulterius
Reg. 32. teneri. Falſam vero rationem nullo modo acceptandam, ſed omnimodo, ut cum vera commutetur, allaborandum eſſe. Hoc itaque caſu, ut & ſi nullam, neque a legislatore, neque ab aliis expreſſam rationem inveniamus, ex ipſa ejus natura ea erit indaganda.
53 Ibi vero ſtatim ab initio probe notandum *ad Rationalem demonſtrativam*, ſive *naturaliter Juridicam Interpretationem*, ſpeciatim pertinens præceptum, facile primarium. Videlicet (I) quod
Reg. 33. Interpres primo omnium debet de naturali ratione deſpicere, & an ea aliqua legi inſit, diligentiſſimam contemplationem inſtituere. Quodcunque enim legem facit omnium perfectiſſimam, pro eo merito præſumitur, dum aliud nondum adeſt fundamentum, per Reg. 6. Jam vero ratio naturalis, ſecundum ali-
54 quoties dicta, legem talem utique reddit. Ergo ubi de nulla alia adhuc conſtat, merito pro ea primo præſumitur, deque ea prima cura & inquiſitio inſtituitur. Idquod vel *conſcientia*, & *pietas* adeo Viri boni, nedum Chriſtiani, *exiget* omnino. Quando, ut in Juris naturalis noſtri prolegomenis uberius deducitur, & jam adeo *Ciceroni* obſervatum eſt, nedum *Ariſtoteli*, & aliis Philoſophis accuratis; Ea *nobiſcum nata lex* non à nobis facta, ſed *divinitus producta*, & *cordibus affectibusque noſtris inſcripta*, (modo mentis oculis apertis eandem ibi legere, quidque nobis velimus fieri, cognoſcere

gnoscere non negligamus) extans, charitatem, omnis divinæ
humanæq; legis sum̃am absolvit, ac in extrema die nos judicabit:
absolvendos, aut condemnandos, prout eidem obedientiam aut
præstitisse, aut denegasse depræhendemur. Ut adeo *non* amplius *in* 55
nostro sit *positum arbitrio*, *an velimus legum rationes investigare*, ac
interpretando sequi, nec ne: *sed divino*, qua *naturali*, qua *revelato*, *sub æternæ miseriæ pœna* sancito *præcepto ad id* ipsum *obligemur*.
Quod proinde hunc nostrum laborem & solari, & excitare vel
maxime debet, quem investigandis hisce nunc damus, alioqui forte operosum nimis, atque molestum, imo supervacaneæ subtilitatis, aliquibus minus hæc ponderantibus, visurum. *Investigantur* autem *rationes naturales* vel *per cognitionem*, & collationem 56
juris naturalis cum lege: vel in defectu ejus, *per demonstrandi artem*, sive Analyticam. Jus enim naturæ in scientiam redigi posse
certum est, & jam ante affirmavimus. Eam itaque scientiam, 57
cum suis propositionibus absolutam si habuerimus, facile videbimus, si qua lex cum aliqua earum conveniat, vel ex ea deduci possit. Atque tunc prout illa propositio in scientia demonstrata est,
ita etiam ex eodem principio, ex eadem ratione demonstrari lex
poterit. Videmus ergo *JCti perfecti* esse *habere scientiam juris Naturalis*, seu ad optimum finem ducentis, qualem quidem Aristo- 58
teles nobis relinquere aliquam est aggressus, sed ob errorem in
finis constitutione, ceu diximus, commissum, sufficere ea penitus nequit Etsi non pauca inde utilitas ad nos perveniat, cum Cap. 3. §. 9.
magnam veræ scientiæ contineat partem. Quamvis enim finem 59
verum omnino non constituat, neque tamen plane falsum & vero contrarium proponit: sed eum, qui veri pars sit, seu vero quadamtenus sit subordinatus. Verus enim finis est divinæ voluntati
se conformare, ejus vero pars est virtutes morales in sum̃o gradu
exercere. Eatenꝰ ergo etiã hæc nobis præcepta sufficere poterunt,
quatenus solide, ac speciatim satis deducta cognoscentur. Quod 60
ut ad singulas adeo consortionum & universas species, deductione *methodica* scientifice facta consequerer, *totis* hisce post
hanc.

hancce ſcriptionem *annis amplius triginta*, indefeſſo labore ſum conatus. Jamque *Syſtema Philoſophicum*, per DEI gratiam, *abſolutum* habeo, capitibus ſuis cunctis minimum ita conſtitutis, ut nullus omnino caſus mihi ſit oblatus hactenus, nulla lex naturaliter juſta, cujus non principia, & fundamenta decidendi, aut demonſtrandi, inde ſuppetierint ſufficienter, qvantum ad omnia, quæ demtis Chriſtianæ fidei myſteriis qveant expediri.
61 Qvibus cætera ex Theologis & noſtræ fidei præceptis addentes, perfectiſſimam juris naturæ ſcientiam habebimus philoſophicæ ſuperimponendam ut coronidem, atqve faſtigium *Philoſophiam Juris Chriſtianam*: unde qvæ Religionis noſtræ dogmata ſpeciatim, præter ea, quæ naturali luce ſola cognoſcuntur exigat, inſuper eluceſcant. Cujus utinam ipſius etiam complementi elaborandi, qvemadmodum inſtituti jam dudum, ita & abſolvendi gratiam largiatur, hactenus tam inopinata mihi atqve incredibilia largitus cœleſtis Pater. Erit de quo ipſe, ac quivis inde adjutus, gratiam habeat ejus muneris datori.
62 Nunc interim utentes qualibuscunq;, & quantũ quidem ad præſens, de humanis ſolis legibus, & humana præcipue, citra revelationis mixturam conſiderata tractantibus, jure naturali philoſophico erimus contenti, ad leges poſitivas applicando. (II.) **Eſt ergo JCti leges conferre eum juris naturalis** (quod ſemper divino conſentire, & ſubalternari debere, ex dictis patet,) **præceptis, & inde rationes**
63 **quantum fieri poteſt petere.** Sed in defectu juris naturæ, & ubi præcepta ejus nondum ſunt demonſtrata, (id quod in plerisque imprimis privatis contractuum & negotiorum aliorum, materiis nondum factum eſt ſatis,) quid agetur? Sane conſtituendæ ejus erunt partes ad legum interpretationem neceſſariæ. Adeoque demonſtrandi ars, ſeu Analytica erit adhibenda, & quærendæ legum poſitivarum demonſtrationes, quatenus dari

ri possunt, methodo ab Aristotele in posterioribus Analyticorum fuse designata, quæ hic lecta, & intellecta præsupponimus. Etenim omnia huc necessaria præcepta transcribere, foret Epitomen eorundem inserere, quod sane nostro instituto non est conveniens. Nec quemadmodum ab illustri *Feldeno* est factum, loco doctrinæ de interpretatione Juris, *Logicam* eidem inservientem dare, unquam nobis fuit constitutum. Quam vide sis apud ipsum libro V. VI. & VII. toto partis primæ, tum quod ad generalia, tum quod ad specialia, dialectices, & demonstratoriæ artis præcepta, *ex Aristotele* excerptam, & multis modis illustratam, ad Juridica etiam speciali facta utilissima multoties applicatione.
Mihi ut ex professo artem Logicam tractare nunquam animus fu- 64
it: ita nihilominus secundum ea, quæ mihi ex professo tractanda fuerunt, nihil æque sollicite atque Logicum studium, (utpote illis inserviens quam maxime,) quo successu fuerit tractatum, ostendet aliquando *Commentarius in* eam *Verulamii de augendis scientiis partem* concinnatus. Ubi *Typo* peculiariter elaborato, quid *ultra quam Aristoteli*, eumque illustranti unice *Feldeno, aliisque*, in hunc diem mihi famæ ullius & meriti lectis tantum non omnibus hoc in argumento egregiis, maneat, adhuc desideratum elucescet, ac qualiter internam ab externa Logicam separatam, & ut mentis medicinam, haud alia quam corporis, jam olim Professoribus ejusdem, ac ad ejus analogiam Voluntatis & morum Medicina Practica philosophica mihi est adornata, concipi quam accommodatissime possit. Nunc interim sufficiat hic probasse, 65
quod JCti sit, per artem demonstrandi rationes naturales nondum à Philosophis indagatas constituere, in quantum ad assignandas eas legibus positivis, quarum esse vult interpres, requiritur. Et hæc est illa præcipua difficultas, quæ hacte- 66

Q nus

nus omnes torsit. Nam si ingenue verum fateri licet, *doctissimi* quique *JCti*, quos *hactenus* videre mihi quidem licuit, *demonstrandi artis rudes* penitus fuere. Imo *pleriq; omnes* minime ad se pertinere illam arbitrati sunt. Neq; mirum idipsum, cum vel ipsi comentatores qui Aristotelis Analytica magnis voluminibus, nescio an explicare an vero implicare potius annisi sunt, adeo nihil demonstrative scripserint. Sed fortassis etiam horum præstantissimi aliud esse
67 experti sunt, præcepta intellexisse, aliud in usum deduxisse. Cæterum hujus quidem rei caussas alibi fortassis uberius exponemus, & si quando licuerit, etiam ipsa *Posteriorum Analyticorum Aristotelis libris excerpta præcepta distincte, & compendiose* in publicum proferemus, aut saltim una cum modo dictis ad Verulamium additamentis, etiam *Analysin* ipsam *Analyticorum Aristotelis*, tam *priorum*, quam *posteriorum* Logicam, exhibitis in forma singulis ejusdem argumentis, imo principiis, jam id temporis, cum primo hæc scriberemus, elaboratam edemus. Opus insigni Logico Barth. *Keckermanno* præcognitorum Logicorum tract. 2. c. V. p. m. 43.
68 jam olim desideratum. Nunc quod objici poterat contra ultimam JCto nostro demandatum officium removebimus. Nempe videri poterat, ad JCti munus neutiquam pertinere, ut rationes naturales demonstrativa accuratione investiget, cum incertum sit an ipse legislator demonstrandi aliquam habuerit peritiam; idque eo magis, quoniam adeo paucis hactenus hanc excultam esse artem affirmavimus. Unde secundum id quod ut plurimum contingit, vel magis est verisimile præsumendo, potius ignarus horum
69 præceptorum, & rudis hujus exercitationis legislator in dubio erit judicandus. Verumenimvero, non obstantibus hisce, dico JCtum, etsi incertum sit an legislator demonstrandi facultatem ullam habuerit: nihilominus demonstrativas hasce rationes quærere debere. Quoniam ipsi ex superius demonstrata Reg. 5. pro
70 maxima legis perfectione (quam sola hac ratione consequetur) perpetuo est præsumendum. Quinimo adjungo hoc etiam. Quamvis legislatorem, & omnes eos qui ad condendam legem ullo modo concurrerunt, seu impellendo, seu consulendo, seu alio

alio quocunque modo: si inquam, hos omnes expertes hujus artis fuisse maxime constet; debere nihilominus JCtum & indagare rationem naturalem omni studio, & indagatam ubicunque locum habere possit, assignare. Quippe ea est intellectus nostri na- 71
tura, atque indoles, ut etiam ignorantes demonstrativas rationes nonnumquam adferamus. Et vero non paucos Mathematicorum, ac aliorum hodiernis temporibus scripturientium, ignaros aut certe parum scientes præceptorum demonstrandi, imo se demonstrare nescientes, rationes interdum validas, & demonstrativas intermiscere videmus, etsi constans hoc apud illos, & perpetuum esse non possit. Immo quod maxime hic etiam est adver- 72
tendum, & inferius repetetur: ejusdem rei eandem cognitionem, §. 11. hoc Cap.
& scientiam esse & opinionem non repugnat, sive eandem rationem, eundemque syllogismum apud hunc scientiam, apud illum opinionem bonam solummodo efficere, neutiquam est absurdum. Si nempe ille ex suis principiis primis debita via deductam rationem cognoverit; hic vero vel psittaci instar memoriæ mandatam, vel credulitate facili in animum admissam habeat. Quo sane casu hic opinionem bonam, ille scientiam obtinebit. Denique 73
ea est intellectus nostri imbecillitas, ut, (quemadmodum supe- h. §.
rius aliqua ex parte tetigimus,) quamvis in singularibus, ex iis quæ patet oriri ex actione aliqua commodis vel incommodis, quid agendum sit vel omittendum, definire interdum satis facile liqueat: universaliter tamen idem facere, & ex singularibus illis propositionibus universales conformare, quæ ut plurimum procedant, non sine labore summo, summaque industria possimus. Ita, rudi exemplo & obvio uti mentem nostram 74
declaremus. Circumforaneos non paucos, imprimis eos qui secreta sua rudi plebeculæ venditare satagunt, quibus modis plebem allicere, quibus delinere, ac detinere, tandemque ad erogandam pecuniam concitare debeant, optime nosse videmus: etsi ad demonstrandos hosce effectus ex vulgi natura & moribus, non magis quam ad lyram, quod ajunt, asinus,

apti forent. Sic, quomodo ſit jocandum, qvomodo ludendum, quomodo item ſeria converſatione, cum diverſis hominum generibus ſocietas colenda, ii qui prudentiam ſibi tractu temporis, & peregrinationibus imprimis acquiſivere, non omnino ignorant, univerſaliter tamen hæc ipſa definire raro
76 ſunt idonei. Et hinc eſt, quod caſibus ſingularibus jus dicere, qvam univerſaliter determinare JCtorum pleriqve malunt, & quod multa univerſaliter definiri poſſe negarunt, exemplis allatis contenti. Interim tamen hæc ſingularia non ob aliud, qvam ob univerſales illas rationes, ita ſe ſe habent, iisque ceſ-
77 ſantibus, & ipſa ita ſe habere deſinunt. Qvibus talem in modum ſeſe habentibus, apparet, eum qui propoſitionem aliqvam, ſive legem naturaliter juſtam voluit, etiam rationem qvæ naturam ejus & eſſentiam conſtituit, admiſiſſe utiqve recte cenſeri: neque ponendo hoc contra voluntatem legislatoris aut mentem quidquam fieri, imo id dici, quod ut ait Ariſtoteles, (bb) le-
78 gislator ipſe præſens diceret, & ſi ſciviſſet, dixiſſet. Atque hæc de ratione legis naturali hactenus dicta ſufficiant: ſeqvitur *Politica*, ſive *Civilis:* quæ *partim iisdem*, *partim diverſis* aliquantulum *modis inveſtigatur*. Qvi ut eo rectius percipiantur, conſiderandum ſemper eſt, & in animo habendum, qualis ſit ipſa legislationis natura, & perfecta condendi leges prudentia. Prudens quippe Legislator, ex iis quæ docet Philoſophus (cc) inſtructus eſt *ſcientia univerſalium* propoſitionum, & habitu eas ad ſingularia applicandi. Scientiæ illius partes ſunt duæ, *Naturalis*, quæ optimam Civitatem regit, & ei leges ponit, & *Civilis* quæ variis inde abeuntibus ſpeciebus rerum publicarum easdem præſcribit, id qvod ante jam explicuimus.
79 Si ergo rempublicam ſuam legislator conferens cum optima, ordinat eam qvantum poteſt illi ſimilem, bene agit, & hinc leges ex naturali ratione oriuntur. Qvoniam vero non poteſt dari abſo-

(bb) 5. *Nicomach*. 14. & 4. *Eudem*. 8.
(cc) 6. *Nicomach*. & 5. *Eudem*.

absolute optima respublica, ob hominum vitia, adeoqve necesse est, ut quævis respublica, ab ea aliqvantum recedat: porro legislator scientiæ Civilis partem eam, qvæ suæ reipublicæ formam, & leges ei convenientes proponit, secum considerat, & qvantum licet universaliter ibi dicta singularibus ap-
plicat. Qvoniam vero illa universalia utplurimum tantum 80
sunt contingentia, hinc incumbit ei omnem movere lapidem, ne qvam circumstantiam prætermittat inconsideratam, qvæ faciat aliqvam istarum legum, ibi præscriptarum, suæ Civitati non prodesse, vel nocere. Et talem si invenit, recedit a præceptis illis, & earundem contrarium in republica sua, qvate-
nus id exigere videt dictas circumstantias, inducit. Ex his vi- 81
dere est, qvomodo in indagandis rationibus naturalibus sola, ceu asseruimus, scientia sufficiat: in eruendis vero Politicis, præter scientiam istorum præceptorum, aliud quid requiratur. Nam cum utplurimum contingentes sint hæ propositiones, de quibus scientia datur: quatenus sunt tales, ubi ab iis recedit in singularibus Legislator, etiam legum interpres id agere debet. Qvippe cujus cogitationes in id debent dirigi, ut ita formentur, qualiter formabantur Legislatoris, cum conderet
leges. Primo ergo **(I.) Interpres cum Scientiæ** 82 Reg. 36.
Civilis præceptorum parte ea, quæ formam ejus reipublicæ, cujus leges vult interpretari, attingunt, leges conferet, videns an aliquo præcepto generali earum aliqua contineatur. Ita enim habebit rationem politicam. *(a)* Et cum utplurimum eæ propositiones contingant, primo pro earum observatione præsumendum est. In defectu vero scientiæ

 illi-

(a) v. Unverfährt. *Pædiæ Jprud. Univers. c. II.* §. 11. *pag.* 31. & *seqq.* & *c. IV.* §. 17. 20, *c. VI.* §. 44.

Reg. 37. illius denuo ceu super Reg. 35. **Interpres per artem**
83 **demonstrandi rationes politicas nondum demonstratas ab aliis eruet.** Jam vero quoniam ab his propositionibus sæpe abeundum est prudenti, ob varias circumstantias, rationes illarum propositionum universalium in sua republica cessare facientes, prouti sæpius memoravimus, idem & JCtus observabit. Hic ergo proprius imprimis
84 labor est JCti, utpote in positivis legibus desudantis. Non poterit vero rectius hic & tutius progredi, ad inveniendam rationem ejusmodi in casu (quam ad differentiam alterius illius *rationem Politicam specialem* vocitabimus,) quam si contrario procedat modo atque fecit Legislator condens legem. Ille deliberabat hoc pacto. Qvo posito consequar hunc finem meum: non illo, nam ducit in diversum, non isto, nam non est in po-
85 testate mea, &c. ergo hoc medium erit opportunum. JCtus ergo quærit: ad quem finem illud medium ducet, non ad hunc, nec ad hunc, ergo ad illum: quem conjecturando indagare tenetur, circumstantiis omnibus sedulitate accuratissima probe pensitatis, tam societatis, quam singularum partium, & ipsius
86 Legislatoris, & eorum quæ in lege continentur. JCtus itaque, **(II.) rationem Politicam specialem, conjectando inventam, legi assignat, si videt omnibus circumstantiis consideratis, legem in hac republica ob eandem prodesse com-**
87 **muniter.** Habemus modos singulas rationes legibus assignandi: superest aliud non minus arduæ disquisitionis dubium. An nempe plures rationes, & quomodo legibus sint assignandæ? Et vero ex pluribus caussis idem posse demonstrari, constat etiam in mathematicis, & idem pluribus modis ad

ad eundem finē, poſſe prodeſſe, non minus clarum eſt. Imo ad plures fines idem poſſe ducere (non ſibi adverſos, ſed uni tandem ſubalternatos, ſive ſubordinatos) ſeu ad plura prodeſſe, notius eſt, quā ut dici debeat. Cum itaque JCti ſemper ſit præſumere pro Legislatoris prudentia ſumma, ex Reg. 7. Prudentis vero ſit ea media eligere quæ ad finem quam maxime, id eſt qvam plurimis modis, ducunt, per dicta alibi: omnino *ratiocinantem Interpretationem* exercentis porro (V.) erit JCti præſumere ſemper pro pluribus rationibus legis, ſeu quærere, ſemper an plures lex eadem habeat rationes, & omnes eas asſignare. Quomodo vero quærantur ſingulæ, jam expoſitum dedimus. Hoc ſolummodo reſtare videtur, ut quænam harum rationum conjungi, ſeu eſſe ejusdem legis cauſſæ poſſint, diſpiciamus. Advertimus autem illico Rationem Politicam generalem cum ſpeciali ſtare non poſſe in eadem lege. Hæc enim nititur accidenti, qvod facit illam non habere locum. Unde ſicuti regula & exceptio quidem utræque poſſunt eſſe veræ, tanqvam præpoſitio contingens utplurimum, & contraria contingens raro: non tamen in uno eodemque individuo locum inveniunt. Reliquæ rationes una ſtare non prohibentur. Nam & idem poteſt ad optimæ reipublicæ finem prodeſſe, & in ſpecie huic vel illi reipublicæ formæ eſſe utile. Ita verbi gratia. Hæreditates ad filios ſolos recidere, non æqve ad filias, Juris eſt naturæ, & in Oligarchia apprime tamen rationi ſtatus conſentaneum. Unde videmus rationem naturalem & Politicam generalem concurrere in eadem lege utiqve poſſe. Sic & ſpecialis politica cum eadem ſtare non prohibetur. Neque etiam plures dari rationes naturales, vel Politicas generales, ſpecialesve, ejusdem legis, abſurdum eſt, ex iis quæ modo afferebamus. Unde tandem ut finem huic diſquiſitioni de legum rationibus, κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictis

88 (beside "Cum itaque JCti ſemper ſit præſumere pro Legislatoris")

Reg. 39. C. 3. §. 10. (beside "erit JCti præſume-")

89 (beside "Advertimus autem illico")

90 (beside "plurimum, & contraria contingens raro")

92 (beside "los recidere, non æqve ad filias")

93 (beside "rales, vel Politicas generales")

Reg.40. ctis imponamus, concludimus, JCtum etſi naturalem rationem legi unam asſignatam habeat, Reg.41. debere nihilominus ſemper diſpicere,an Reg.42. plures posſit invenire. Item an politicas ge- Reg.43. nerales posſit adjungere: vel ſpeciales. Quod ſi forte prior ſe obtulerit politica generalis, debere eundem nihilominus circumſpicere Reg.45. an & naturalis detur. Ita & an adjungi aliæ Reg.44. Politicæ generales posſint. Quod ſi politica ſpecialis prima innotuerit, de naturali non Reg.46. debere propterea minus eſſe ſollicitum. Nec Reg.47. minus de aliis politicis ſpecialibus. (VI) Generali vero politica inventa, de ſpeciali poſſe Reg.48. curam deponere, & pari ratione inventa ſpeciali, de generali eſſe ſecurum. Demonſtrationes horum omnium, ex Reg.39. & ſubjunctis manifeſtæ ſunt. Liqvet etiam qvousqve verum ſit illud *Feldeni* de Interpret. l.3. principio. *Eandem eſſe mentalis interpretationis rationem, quæ ſcientiæ tractandæ.* Videlicet quod ad rationes Mentales, & Politicas, non æque reliquas etiam cauſſas,

Ex rationibus quomodo leges reſtringantur.

X. Abſolutis tandem modis rationes legum indagandi, ordinis ratio exiget, ut inventas ad reſtringendum recte adhibere doceamus. Diximus itaque *Reſtrictivam interpretationem* debere indicare in quo caſu lex locum non habeat. Erit ergo JCti, inventa legis ratione, caſum ſive actionem illam

quæ

quæ in individuo affertur, probe expendere, omnesque circumſtantias non negligenter conſiderare, & videre an earum aliqua rationem legis ceſſare faciat. Quod ſi talem inveniet, reſtringet legem, id eſt, dicet legem non habere locum, & ex ipſius Legislatoris mente non debere applicari ad hunc caſum. Ut breviter Regulam concipiamus (I.) JCti eſt, ubi ex aliqua circumſtantia viderit legis rationem in aliquo caſu ceſſare, dicere, quod & lex ipſa ceſſet. Adeoque legem reſtringere. Et hoc eſt quod toties Doctores inculcant, (dd) ipſæque leges Romanæ tot exemplis, (ee) non ſine fructu examinandis, ei qui illius juris ſtudium profitetur, confirmant. Ut unum ex omnibus declarationis ergo afferam. Lex eſt, (ff) quæ puniat matrem negligentem petere Reg. 49.

R tuto-

(dd) Bartol. *ad l. in omnibus, ff. de adopt.* Jaſon. *in l. Stichum qui meus erit, col. 5. ff. de legat.* 1. gloſſ. *quoniam & rei, ad l. ſi cum exceptione, §. poſt annum, ff. de eo quod metus cauſa*, Surd. *conſ. 375. n. 24, Ant.* Maſſa Galeſ. *de exercit. Juriſperit. lib. 1. n. 54.* Barboſ. *Axiom 197. Edmund.* Manincor. *maxim. Juris lit. L. n.* 9. Pichard. *ad pr. inſtit. de mil. teſtam. n* 4. *& de L. Falcid. n. 28. & de eo cui lib. cauſæ. n.* 41. Harprecht. *ad Inſtit. de excuſat. tit. §. 15. n. 19. Marc.* Ant. *variar. lib. 2. reſol. 35. n. 8.* Knipſchild. *de fideicommiſ. c. 5. n. 62.* Bertazol. *in repetit. l. ſi quis major. C. de tranſact. n. 236.* Poſtius *deciſ. Rotæ Romanæ de manutenendo 206. n, 41. Claud.* Cantiunculæ *Top. legal. cap. 60. n. 3.* Alciat. *de V. S. lib. 1. n.* 15. Donell. *1. comm. 13.* Ludwell. *exercit. ad Inſtitut. diſp. 11. th* 4. *f. & diſp. 14. th. 6. g. pag. m. 294.* Coraſ. *de arte juris lib. 4. cap. 6.* Pheder. *libr. 2. cap. 3.* Hunn. *de author. jur. part. 2. cap. 3.* Tiraquell. *tract. ceſſante cauſſa p. 1. n. 11.* Everard. *loco a ratione legis ceſſante, &c.*

(ee) *l. quamvis non 11. ff. de in jus vocand. l. quod dictum eſt. 32. ff. de pactis. l. 1. §. 6. de ædilit. edict. l. adigere. 6. §. quamvis 2. ff. de jur. patron. l. ſtipulatio iſta. 38. §. alteri 17. ff. de V. O. cap. poſt translatum. 11. §. cæterum, de renunciat. cap. etſi Chriſtut. 26. de jurej. cap. cum ceſſante 60. de appell. &c. ab auctoribus citatis locis, & per ſe obviis.*

(ff) *l. ſi minores, §. 1. & c. ff. qui pet. tut. l. matris pietas. 6. l. nepotibus. 10. C. h. t.*

tutorem pupillo, privatione hæreditatis. Ratio est, quia mater naturaliter curam pupilli, & bonorum, atque educationis ejus gerere debet. Hæc ratio cessat in matre minorenni. Nam ea curam sui gerere satis nequit, nedum pupilli. Ergo & lex cessabit. (gg) Notare hic obiter possumus, quantum legibus Romanis vitiositatis pepererit, quod tantum a naturæ jure in matrimoniis permittendis recesserunt. Nempe in hoc exemplo, mater quæ educationis, & curæ bonorum pupilli debebat participare, ipsa indiget aliis, qui hac in parte illi prospiciant. Hæc de singulis rationibus. Quod si plures concurrunt, an cessante una, vel omnibus, lex cessabit? Et vero cum singulæ illarum solæ dent τὸ esse legi, & propositioni caussam: patet quamdiu una saltim ratio manet, manere legem debere. Adeoque (II) esse JCti

Reg. 50.

ubi lex plures habet rationes, quandiu una superest, quæ non impediatur à circumstantia, in casu dato, legem cessare seu restringi non velle. (hh) Faceret enim hac ratione legem nullam, & inefficacem, ubi non debebat. Quod tamen intelligimus, ubi non constat Legislatorem ex una sola ratione legem voluisse valere. Alias enim jam peccavit JCtus, plures ei assignando. Unde cum in principio operationis impegerit, necesse est errorem ejus cum operatione continuari in infinitum.

I De opinionibus qua caussis legum, & unde colligantur.

XI. Postquam fuse satis de rationibus legum inveniendis, & restringendi per easdem regulis egimus, consquens est ut ad reliquas etiam caussas descendamus. Etenim non ea est omnium ani-

(gg) *l. licet in delict. 2. C. si adversus delict.*

(hh) Alciat. *lib. 1. de V. S. n. 11. Sebast.* Hornmoldus *repertorii lit. R. 240.* Hunnius. *l. c. cap. 16.* Pichard. *ad pr. Inst. de eo cui lib. caus. n. 47. decis.* Rotæ Rom. Ottoboni. *99. n. 22.* Knipschild. *de fideicomm. c. 8. n. 95.* Everhard. *loco a ratione legis cessa n. 53. §. socrus. 7. Instit. de nuptiis, l. si non lex Ælia sentia & ibi* Baldus, *ff. de hered. instit. &c.*

animorum præſtantia, neque eam omnes intellectus ſibi perfe-
ctionem comparaverunt, ut demonſtrationes de iis omnibus quæ
tractant ſint conſecuti. Unde neque à Legislatoribus id adeo exi-
gere debemus. Et hoc ſenſu tritum illud Juliani accipiendum
cenſuerim, ubi inquit. (ii) *Non omnium quæ a majoribus con-* 2
ſtituta ſunt ratio reddi poteſt. Cui Neratius adſtipulatur, hiſce
verbis. *Et ideo rationes eorum quæ conſtituuntur inquiri non opor-
tet.* (nempe ſemper & omniũ.) *Alioquin multa ex his quæ certa ſunt
ſubvertuntur.* Debemus ergo & in aliis cauſſis legum interdum
ſubſiſtere. Qvæ quales ſint, videre nunc peropus fuerit. Diximus 3
ratiocinationem quæ ad voluntatem Legislatoris conforman-
dam concurrit, vel inſtitui perfecte, vel minus perfecte. De
perfecta rem claram, ni fallor, fecimus. Minus perfecte ſi ra-
tiocinetur legum conditor, Dialecticum agit, & opiniones con-
ſequitur, ſive probabiles ſyllogiſmos facit. Paralogiſmi enim,
& apertæ erroneæ ratiocinationes vel Sophiſticæ falſæ, non
ſunt ratiocinationes, adeoqve a prudentia, qvalis omnino a-
liqva legibus eſt neceſſaria, merito exulant. Quid vero de iis
ſit ſentiendum, ſi forte obvenerint, ex illis quæ de erroneis opi-
nionibus dicemus patere *poterit.* *Opinio* vero *eſt cognitio ex* 4
probabilibus, ſeu argumentatio ex propoſitionibus probabili-
bus. Eas Ariſtoteles (ll) ita definivit. ἔνδοξα δὲ, [ἐστὶ] τὰ δοκοῦντα
πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σοφοῖς, καὶ τούτοις ἢ τοῖς πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις,
ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις, καὶ ἐνδόξοις. *Probabilia autem ſunt, quæ vi-
dentur, aut omnibus, aut plerisque, aut ſapientibus: iisque vel o-
mnibus, vel plerisque, vel maxime notis, vel maxime probatis.*)
id qvod in uno ſolo etiam eſſe poteſt. Qvemadmodum ergo 5

 ſcien-

(ii) *l. non omnium 20. ff. de ll.* Vultej. *de Principiis Juris lib. 1. p. m. 32.* Unverfährt. *Pæd. J. Univerſi c. 2. §. IX. p. 27. & c. 4. §. XX. pag. 85. & Frider.* Hortlederi *Diſp. ſingularis de ratione legis publicæ, ex vero ſenſu l. non omnium 20. ff. de ll. ejusque genuinis exemplis, ultimo loco extans in Tom. 7. Juris publici collecti aliquot Weſtphaliæ JCtorum in 4. Hanoviæ 1614.*

(ll) *lib. 1. Topicor. cap. 1.*

ſcientiæ, ſive ex primis principiis & cauſſis naturalibus ac perpetuis deductæ propoſitiones, fallere non poſſunt, ſed ἀμετάπτωτον, ut ait Philoſophus, (mm) faciunt ſcientem: ita hæ non præſtant ab errore ſecuros. Hinc *opinioni accidere* dicitur, *quod* ſit vel *vera*, vel *falſa*, aut vera *partim*, partim falſa, id eſt conveniens ex parte cum vero, ex parte diſcrepans ab eodem. Prout enim vel perfecte, vel ſecus ratiocinati ſunt ii, quibus accredimus noſtras propoſitiones: ita vel cum rebus conſenti-
6 unt, vel non, adeoque veræ, vel falſæ ſunt. Qvot vero modis hic errari poſſit, anceps, & prolixa, & aliena ab hoc incepto eſt diſputatio, & ex Logicis petenda. Nunc notandum illud ſaltim eſt, ſine quo *Interpretatio* hæc *Opinabilis* antea dicta, plene diſtincteque pernoſci non poteſt. Quod probe diſtingui, inter opinionem Legislatoris, vel legum latarum debeat, & inter opinionem de lege, vel de Legislatore. Hæc enim non tam cauſſa eſt ipſam legis eſſentiam conſtituens, quam legem aut latam confirmans, aut etiam latam videri faciens, quæ non eſt. Nam ſiquidem bonam de Legislatore vel lege opinionem habemus, ſervamus eandem majori diligentia & promptitudine: ſecus ſi perverſe de ejus
7 bonitate ſentimus. Quod vero ex opinione erronea fieri poſſit, ut pro lege habeatur quæ non eſt, jam ſuperius dictum eſt.
Hoc cap. 7. Hæ, ergo (l.) opiniones hic conſiderari non merentur. Illæ vero quæ Legislatorem, ut talem faceret legem, & ejusmo'i propoſitionem componeret, & ex opinatis cauſſis deduceret, commoverunt: cum magis ipſam eſſentiam legis tangant, non erunt negligendæ, imo tanquam
Reg. 51. optimæ poſt rationes cauſſæ, & prudente maxime dignæ, abſentibus rationibus ſemper præſumendæ, ac

(mm) 1. *Poſter.* 2.

ac imprimis inquirendæ erunt. Innotescunt vero tribus modis, uti superius in genere dictum est. Con- 8
fessione nempe Legislatoris, testimonio aliorum, & ex ipsa natura & signis earundem. De confessione, repetendæ hic Regulæ propositæ 23. 24. & 25. & ad opiniones applicandæ. Ut vero eo magis constet quando Legislator serio apposuisse opinionem censeatur, observandum. Quod (II.) Ubi Legis- Reg. 52.
lator opinionem suam addit, sive caussam in opinione fundatam, qua legi melior alia caussa, vel ratio nulla potest assignari, eam pro vera haberi, neque sine evidenti caussa negligi debere. Nam opinio post rationem est perfectissimum actionum principium, & ad rationem accedens præ reliquis. Unde cum pro perfectione legis præsumi debeat, etiam ea potius, quam alia, Legislatorem, imprimis id ipsum testantem, movisse, censenda est. Patet hinc, quod (III.) etsi ad- 9
scripserit Legislator opinionem verosimi- Reg. 53.
lem, interpres tamen an aliquam rationem possit invenire, debeat quærere. Nam pro perfectione legis, & pro legislatoris prudentia semper præsumitur, & possunt esse caussæ quæ ipsum coegerint opinionem dicis caussa apponere. Item videndum an opi- 10
nionem meliorem possit Legi assignare; Reg. 54.
ex eodem fundamento. Quod si neutrum horum inveniat, a confessione Legislatoris sine evi- Reg. 55.

denti cauſſa non recedet. Si tamen certo conſtiterit eſſe eam falſam, nec ſerio appoſitam,
Reg. 56. aliam etiam cauſſam quæret. Erit enim non ens &
11 quaſi non addita. Quod vero ſit falſa apparebit, ſi non ſequatur ex ea lex, ſeu ſi ſyllogiſmum cum lege nullo modo faciat: vel ſi alias ex confeſſione, vel teſtimoniis luculenter idipſum probari poſſit, quæ omnia hic particulatim exequi nimis foret prolixum.
12 De Teſtimonio aliorum itidem ante memoria repetimus. Cumque ea vel ſint hiſtorica, vel juridica, ſeu eorum qui eadem ex natura ipſarum opinionum, & ſignis eruerunt: in illis requiſita teſtium, ſeu voluntas & facultas vera dicendi æque attendetur; in hiſce præcipue facultas, & an recte proceſſerint in colligenda & indaganda opinione legislatoris, pari fere opera, ac ſi nulla eſſet ab iis allata, erit perſcrutandum. Unde Reg. 28. 29. & 30. hic in
13 recenti memoria ſunt habendæ. In utroq; vero caſu, ſive per teſtimonium Legislatorum ſive per ipſius legum conditoris confeſ-
Reg. 57. ſionem, ſi conſtet opinio bona, qua nec melior afferri, nec ratio potior addi poſſit, aliæ cauſſæ non ſunt quærendæ. Sunt enim reliquæ hac
14 imperfectiores. Quod ſi vero, & Legislator, & alii vel nullas, vel omnino falſas opiniones afferant: (poteſt autem id evenire utrisque) jam ex natura & ſignis opinionum ipſi JCto imcumbet, non neglectis præterea circumſtantiis, ſedulo rimari, ut qva ſententia inducta hoſce vel illos componere terminos legislator vo-
15 luerit, cognoſcat. Principio itaque quid omnes de illis rebus ſenſerint, quas lex tractat, cujus cauſſam quærit, inveſtigabit, idque imprimis tempore Legislatoris: vel quid plerique crediderint ſuper iis, vel etiamnum credant. Cujusmodi univerſaliſſima loca Topica ſunt, quæ Ariſtoteles, & alii ante *Feldenum*, (qui ſui de Interpretatione tractatus *libro ſexto* integro diligentiam omni-

um

um & ἀκρίβειαν, in hoc argumento, ad juridicos uſus verſatorum, ſuperaſſe videtur,) enumeraverunt, & ex orationibus, & diſſertationibus vulgi vel ſapientum ad vulgum factis plures ingenti numero colligi poſſunt. Ad Rhetoricos etiam uſus ſpeciatim, 16
nos *excerpto priori Rhetorico* dare conati ſumus, quam ordinatiſſimis locupletiſſimisque maximis inſtructos. Qui labor & defuncti nuper non ſine luctu & jactura orbis litterarii maxima Clariſſimi *Morhofii* applauſum inſperatum promeruit Polyhiſt. lib. 2. cap. V p. 356. Verum hæc quidem univerſaliſſima hic rem nul- 17
lo modo abſolvent, ſed obtinebit etiam hic illud utique *Ariſtotelis* Nicom. lib. VII. in pr. *Diſſertationem* videlicet *practicam circa generalia inaniorem exiſtere*. Maxime dialecticam, ſub cujus verſatilibus univerſalibus, & in utramque partem trahendis, nihil certi ſpecialiſſime ſubſumi tuto ſatis queat. Etiamſi *Doctores Juris Romani* plerique circa illum *per genera cauſſarum* ordinando leges, & applicandi ad ſingularia per *rationes dubitandi ac decidendi*, modum unice fere ſubſiſtant, & ſubſiſtere ſuos doceant cum *Hotomanno* de Perfecto JCto, *Vultejo* de principiis Juris, *Weſenbecio*, & aliis commendatis etiam *Meiero* in præfatione Collegii Argentoratenſis principibus ordinis ſui viris. Quod tamen tantum abeſt, ut perfectum JCtum faciat, ut nullo modo conſcientiam firmet, ſicuti ſupra diximus, & *Feldenus* etiam luculenter oſtendit, cum in præfatione ſui Tr. de Interpr. tum locis ejus pluribus, & maxime part. 2. lib. V. cap. I. §. 3. pag. 1068. Demonſtrationibus vero deficientibus demum Interpres legum quæret quid docti ſenſerint, ſeu omnes, ſeu plerique, ex eorumque libris maxime receptas opiniones & approbatas, ſibi excerpet. Quam maxime vero advertet, qua in ſententia fuerint ſapientiſſimi tempore legislatoris, vel ii qui ab ipſo tales ſint reputati, v. gr. Conſiliarii, amici, præceptores, cognati, familiares, &c. (quo in judicio faciendo cum ſæpenumero graviter erremus, videmus novas 18
erronearum opinionum cauſſas.) Harum (IV.) opinio- Reg. 58.

num

num ſi quam convenire legi viderit, & ſyl-logiſmum cum ea facere, probabiliter eam & recte a Legislatore approbatam, & deficiente ratione cauſſam legis fuiſſe aſſeverabit. Præſumitur enim ſemper pro prudentia majori Legislatoris, ex Reg. 7. Hæc vero eſt in eo præcipue poſita, ut perfectiſſimæ legum ſint cauſſæ: Talis autem, deficiente ratione, eſt bo-
19 na opinio. Tantum de opinionibus ſolis & ſingulis. Non poſſunt autem conjungi opiniones cum ratione ab eadem differente *demonſtrativa*, vel Politica ſolida ulla. Nam in hoc concurſu ratio potius attendetur, quam opinio. Utpote quæ verum eſſe rei, quod altera ſaltim veriſimile tribuit. Unde Reg. 27. diximus Ratione inventa, fruſtra cauſſas alias, adeoqve & opinionem quæri.
20 Inter ſe tamen concurrere plures opiniones ad eandem inferendam legem poſſunt. Quod ubi fit, conſideranda ipſarum veritas, ſeu coincidentia cum ratione. Qvæ ſæpe tanta eſſe queat, ut ſolo modo conſiderandi diſtet opinio a ſcientia, ſeu ratione naturali politicave. Nam ſiquidem omnes æque de ea participabunt,
21 æqve attendentur. Si falſæ fuerint aliqvæ, neglectis iis, veræ præpollebunt. Cum illæ cauſſa eſſe per ſe nequeant, hæ utique poſſint: adeoque ſi illæ præferantur, pro imperfectione & im-
22 prudentia legislatoris præſumeretur. Ita potius Inſtitutionum Juſtinianearũ textui,(nn) qui neptem ducere ſororis fratrisve vetat, rationem illam ab ipſo Imperatore expreſſam (oo) aſſigno: quod qui ſibi invicem parentum liberorumqve loco ſunt, nequeant conjungi, quam illam ſubjunctam ipſi textui; quod cujus filiam uxorem ducere non licet, ejus etiam neptem ducere non per-
23 mittatur. Cum eam ſi admittere velis, conſobrini contra expreſ-

(nn) §. *fratris vero. 3. Inſtit. de nuptiis.*
(oo) §. *ergo non omnes. 1. h. t. l. nuptiæ 53. ff. de Ritu N.*

pressos textus (pp) non deberent conjungi. Quoniam in patruo, amita, matertera, & avunculo idem prohibetur. (V.) **Est ergo JCti in opinionum differentium concursu optimam seligere: aeque autem probabiles aequaliter admittere.** Reg. 59. Nisi discrimen in voluntate ac approbatione Legislatoris appareat. Reg. 60. Quod dudum praesupposuimus, in generalibus praeceptis, semper in specialibus repetendum. Nec enim nisi approbatam Legislatoris opinionem hic sectamur. Proinde certius evidentiusque, & magis approbatam, prae illa, quae minus haec habet singula, vel universa. Ex quibus adeo etiam liquet aestimare illud non male 24
monitum *Scioppio* Elem. Stoicor. Cap. 147. pag. 132. sequentem in modum scribenti. *Hic autem velim JCtos nostros aures atrigere, eos inquam, qui hominum ignavorum, omnisque juris & aequi imperitorum esse contendunt, Legum a Majoribus latarum rationes reddere nescire: adeoque sollicite in singularum rationes inquirunt, easque ex Ethicis Aristot. anxie pervestigant. Qui si meminissent veteres JCtos Stoicorum potius, quam Aristotelis doctrina imbutos fuisse (id quod non unus jam politiorum nostrae memoriae Juris Interpretum ostendit) hoc tam supervacuo & irrito labore facile supersedere possent.*

XII. Jam quomodo restringi ex opinione leges debeant, manifestum est. Nam siquidem sola una aderit opinio, eacessante lex cessabit, adeoque restringetur in eo casu ubi accidens faciens eam applicari non posse invenitur. Nam quod vice rationis est in lege, eo cessante lex cessat, sicuti ratione cessante, ex Reg. 49. Unde Interpretationis Restrictivae communis quoque ad seqq. caussas regula jam anticipato poterit dari, quod *infra*

Ex opinionibus leges quomodo restringantur.

(pp) *§. duorum autem 4. Institut. h. t. l. si nepotem 3. ff. de ritu nupt. l. uter ex fratribus. 23. & l. seq. ex fratrib. 24. ff. de condit. Instit. l. aequissimum 2. §. si quis ita. 6. ff. de bon. poss. sec. tab. l. celebrandis. 19. C. de nuptiis.*

infra clarius patescet. Nempe, cessante legis caussa omni, cujuscunque generis, Lex cessare, vel restringi debet. Speciatim ergo quod *ad opinabilem restrictionem*, consectaria hinc ut etiam addamus (I.) **Est ergo JCti considerare casum oblatum cui lex est applicanda, an opinio legi caussam dans cesset**, per aliquod accidens ei casui inhærens: **idque si fiat, legem** pronunciare locum non habere, adeoque **restringere. (II.) Ubi vero opiniones plures concurrunt, eæque probabiles, JCtus non nisi cessantibus omnibus legem cessare faciat.** videsis Reg. 50.

Reg. 61.

Reg. 62.

De appetitu, & affectionibus legislatoris, caussis legum, & unde constent.

1 XIII. Hactenus hæc de voluntate rationabili, seu demonstrativa, seu probabili, & verosimili mere, nunc dicta sufficiant. Sequuntur examinandæ caussæ reliquæ: appetitus nimirum, vis, & consuetudo. *Appetitus* est animæ facultas, qua antequam ratio accedat, a sensibus, & phantasia incitati, movemur ad volendum vel nolendum, quærendum aut operatione persequendum aliquid, vel fugiendum. Unde patet, esse
2 hoc principium agendi homini cum bestiis commune. Nam & eas sensus & phantasia æque movent. Adeoque non est prudentis huic principio motus semper obsequi, sed ratione illud temperare. Quod ubi fit voluntas rationabilis & humana, proprieque sic dicta demum evadit, secus si sit, affectus inordinatus κατ' ἐξοχὴν id nomen habens manet, unde *affectuosa Inter-*
3 *pretatio* superius definita nobis est. Cujus jam cum superioribus, & omnibus adeo caussis legum, communia. *Tria principia indagandi* consideremus. Quod antequam fiat, sciendum ad appetitum affectus qvosq; pertinere, & ex appetitu vel suo modo originem ducere, vel originem appetitui, seu desiderio humano dare.

dare. Ubi ergo legislator affectum aliquem sui animi erga ali- 4
qvid, legis caussam asserit: JCti erit, perpensis Reg. 23. 24. 25.
primo considerare, an ille affectus, vel appetitus sit cum rati-
ocinatione, vel perfecta, vel imperfecta conjunctus. Tunc e-
nim vel ad rationem, vel ad opinionem referetur: inde deci-
dendus, secundum Reg. 27. & 57. Si hoc non contingat, con- 5
sequens erit, & (I.) conveniens Interpreti sedu-
lo naturam legis, & circumstantias perlu- Reg. 63.
strare, & inquirere, an alia sit diversa opinio,
vel ratio, vel hisce conformis appetitus, qui
legi potuerit caussam dare, & facere, ut legis-
lator prætenderet hunc affectum præ illo,
& illum inventum assignare præ hocce legi
debebit. Ita enim demum legem imperfectiorem non faci-
et interpretando. (II.) Si talem nullam invenerit, 6 Reg. 64.
& appetitus seu affectus non sit plane con-
tra rationem, eundem ceu caussam retine-
bit. Nam ubi nec de meliore caussa alia, nec de falsitate præ-
sentis adest suspicio, ea quæ præsens est merito retinetur. (III.) Reg. 65.
Si tamen contra rationem plane fuerit appe- 7
titus ille, vel non possit esse caussa legis, id
est syllogismum cum legis terminis nequeat constituere, etiam
ex reliquis binis, nondum memoratis caussis ali-
qua erit quærenda. Semper enim præsumitur pro
prudentia majoris legislatoris, seu pro minori ejus impruden-

tia. Unde quam diu ſpes melioris cauſſæ adeſt, non acceptan-
da pejor erit. Qvamvis omnino verum ſit & certum, ejus-
modi caſum admodum raro eventurum, ut aliquis Legislator
appetitum irrationabilem legi adſcribat, imprimis meliori & ho-
8 neſtiori cauſſa motus. In teſtimoniis aliorum fortaſſis id eve-
niet facilius, de quibus ea quæ ſuperius dicta habemus, huc
referri parili fundamento poſſunt. De natura, & ſignis, unde
erui debeant affectus, pauca dicemus, cum non tanti ſit pretii
hæc cauſſa, atque ratio & opinio. Et principio, firmiter te-
nendum. Quod ad *Cauſſalis Interpretationis* exercitium in uni-
verſum omne pertinet: non præſumi pro hiſce cauſſis, Appe-
titu nempe, & Conſuetudine, quatenus ſine ratione ſunt: uti
neqve pro vi, niſi in defectu rationis, opinionisque. Vide ſis
Regg. 27. & 57. Deinde æquabiliter pro omnibus
Reg. 66. tribus illis principiis JCtum præſumere, in
lege quæ ſit ratione & opinione deſtituta,
ubi pro earum una, ceſſantibus reliquis, neceſſario præſu-
mi oportet. Sunt enim principia extra prudentiam poſita:
reſpectu autem prudentiæ, & ratiocinationis ſolius cauſſæ
9 legis aliæ aliis perfectiores judicantur. Jam de inveni-
endo Appetitu Legislatoris diſpiciamus. Qui cum ſit
ex motu ſenſuum, & phantaſiæ, videndum erit ex
hiſtoricis, quænam talia in Legislatore eſſe potuerint, quæ
ſpe, memoria, vel præſentia ſua ad aliquem affectum impellere
eundem potuerint. Affectuum quoque cauſſæ, & naturæ probe
erunt & exacte cognoſcendæ, cui rei Rhetorica Ariſtotelis (qq)
non parum inſervire poterunt, ut, quomodo, erga quos, quibus
de cauſſis affectum aliquem concipiamus, & deponamus, item ad
quæ ſuſcipienda, per hunc vel illum affectum plerumque incite-
10 mur, eo rectius intelligamus. Quam & ipſam adeo doctrinam
ordina-

(qq) *lib. 2. cap. 2. & ſeqq.*

ordinatiorem & auctiorem longe, *altero excerpto Rhetorico* nostro, dedimus ad iteratum ejusdem *Morhofii* (qui unus eruditæ caveæ magnæ instar mihi esse potest) applausum. Polyhist. lib. 1. c. XV. p. 154. & 164. Et quoniam affectus magna ex parte in sanguinis 11
aliquo motu consistunt: temperamenta quoque, & eorum proprietates, ex Physicis, & alia affectuum & propensionum animi signa ex *Semeiotica Morali* nostra, vel aliunde, si quid hisce rectius quis inveniat, huic usui addiscere non parum proderit. Dein singularia sedula admodum cura omnia erunt colligenda in Legislatore, & iis quæ lege continentur, una cum adhærentibus utrobique circumstantiis: ut anne aliqua affectum ejusmodi luculenter probantia adsint, nobis innotescat. Ita Tacitus, (rr) il- 12
le prudentiam adjuvantium Historicorum facile princeps, eleganter mortem Agrippæ non ab Augusti odio, sed a Tiberii metu hisce verbis colligit. *Multa sine dubio sævaque Augustus de moribus adolescentis questus, ut exilium ejus Senatus consulto sanciretur perfecerat: cæterum in nullius umquam suorum necem duravit, neque mortem nepoti pro securitate privigni inlatam credibile erat. Proprius vero, Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis suspecti & invisi juvenis cædem maturavisse.* Hæc auctor famo- 13
sissimus, quem tot commentariis nondum oppressum, tot axiomatibus excerptis nondum exhaustum aliquando (ita spero, divina benevolentia permittet,) solide enucleabimus, & *quantum, & qua mentis conformatione* legenti *ad prudentiam, qualis illa in corruptis rerum publicarum* formis conceditur, & ad solidam illam & veram postea indagandam, ut & ad scientiam utrique necessariam conferat, plene, & ad oculum designare aggrediemur. Imo *specimine aliquot capitum elaborato*, addita censura plerorumque omnium in simili argumento versatorum, neque non *dissertatione universali*, omnem hac ratione circa historiam versandi methodum delineante, jam prelo dudum paratum habemus. Sed 14
unde digressa est revertatur nostra oratio. (IV.) JCti itaq; Reg. 67.
est

(rr) *Annal. 1. cap. 6.*

eſt hac ratione, cognita natura & ſignis appetitus rationabilis, & affectuum, & ponderatis circumſtantiis, ſi quæ eorum adeſſe ſigna & argumenta viderit, deficiente alia cauſ-
15 ſa, eos legi aſſignare. De concurſu hujus cauſſæ cum aliis porro nunc agendum. Et vero quod cum ratione, & opinione rationi conſentanea ſtare nequeat, obſcurum haud amplius, exiſtit. Eæ enim ſi adſint ſecundum illas lex dijudicatur, ut perfectiores, & ad voluntatem res recidit. Plures tamen affectus concurrere non prohibentur ad eandem legem cauſſis inſtruendam. Poſſunt enim plures affectus ad idem nos movere, & iidem affectus ad multa incitare. (V.) Ubi ergo affectus plures æquali bonitate concurrunt, omnes admittentur. Sin aliquæ contra rationem plane ſint, excludentur, aliis ſolis retentis.

Reg. 68. Reg. 69.

16 Quod ſi aliquæ ſint cum ratione conjunctæ, res ad voluntatem recidet, & locum habebit denuo Reg. 27. & 57. Cum aliis cauſſis ſi conjungantur, quoniam æque perfectas illas ex Reg. 65. diximus, ubi ipſarum quoque naturam expoſuerimus, quid agendum ſit patebit.

§. 9. hoc C.

Ex iis lex quo pacto reſtringatur. Reg. 70.

XIV. Reſtringendi hinc orientes Regulas jam contemplabimur. Concludimus ergo ex dictis. (I.) Si ſolus affectus aliquis cauſſa legis intelligatur, ceſſante eo ob accidens aliquod in dato caſu, JCtum legem ceſſare dicere, ſeu reſtringere debere. Cum enim alia cauſſa non adeſt, hæc vicem rationis ex bene-

placito

placito legislatoris, cui omnem ſuam eſſentiam leges poſitivæ debent, fungi cogitur. Obſervandum autem hic, cum plerique affectus, per quos appetitus ſeſe exerit, non in genera, ſed in ſpecies, & in individua operentur: oriri ex affectibus plerumque leges ſpeciales, aut ſingulares, ſive ad ſingulas perſonas aut res potius, qvam genera rerum & perſonarum pertinentes, quæ *privilegia* vocantur, imo *ad privatorum leges potius, quam* ad *publicas*, hæc *applicatoria interpretatio frequentanda* veniet. Qvandoquidem privati privata licite magis, & facile pro affectu, quam publicæ perſonæ publica diſponent. v. gr. Paterfamilias teſtamento ſuo, affectum erga liberos (quandoq; alios etiam præ aliis, nedum univerſos,) ſequens, intelligetur facile. Unde *l. Utilitatem.* 10. *ff. de Confirm. tutore*, & ſimilium jurium aliquorum propterea licet naturam hinc interpretari, & reſtrictionem facere, & intelligere illa Doctorum: a Legislatore in favorem conceſſa non debent in damnum eorum quib9 conceſſa ſunt malitioſa interpretatione detorqveri, In quod & effatis (ſſ) & exemplis (tt) leges ipſæ Romanæ conſentiunt (uu) Ceſſat enim hic cauſſa ob quã ſunt data, ob amorem enim conceduntur in ſignum benevolentiæ: id quod ceſſat, ubi damnum emergit ex privilegio. Ita pariter ſcribunt.

Reg. 71. (margin, beside "in favorem")

Reg. 72. (margin, beside "Ita pariter ſcri-")

(ſſ) *l. nulla juris ratio. 25. ff. de ll. l. quod favore, 6. C. h. t. l. plures apochis. 19. C. de fide inſtrum. cap. ob gratiam 6. de R. J. in ſexto.*

(tt) *l. contra juris civilis, 28. de pactis. l. cum hi. 8. §. cum transaction. 6. ff. de tranſact. 1. cum venditor. 2. ff. de l. commiſſoria. l. Carbon. edict. 3. §. dum autem. 5. inf. ff. ad Carbon. edict. l. non eo minus. 14. C. de procurat. l. plures apochis, 19. C. de fide inſtrum. l. generaliter. 5. in fin. C. de ſec. nuptiis.*

(uu) Dd. *ad leges citatas. imprimis. l. 25. ff. & l. 6. C. de ll.* Dynus, *&c. ad c. 61. de R. J. in ſexto. Thomas de* Tomaſettis. *Reg.* 143. Vigel. *Method. J. Civ. part.* 1. *c. 2. n. 5. Reg.* 8. Donell. *1. comment. 13.* Forſter. *lib. 2. cap. 3. n. 19.* Pheder. *part.* 1. *m. 2. n. 128. Jo Petr.* Monett. *de option. cap. 3. n. 142.* Surd. *deciſ. 195. n. 5.* Mantica *de tac. & ambig. convent. lib. 2. tit. 12. n. 27.*

bunt. Onera personæ imposita non debere extendi. Unde sequitur, pœnas in exemplum a principe datas, non debere ad alios transferri. Sunt enim odia hæc personalia. Liceret ejusmodi plura per omnia affectuum genera adducere, nisi in generalibus nobis subsistere decretum foret. Ex his igitur fundamentis multas leges, à Justiniano, sine condigna caussa in favorem mulierum latas, cognoscere & interpretari possemus, etiamsi eum γυναικοκρατέμδρον fuisse ex Historiis nescire-

Reg.73. mus. Verum quid (II.) si plures affectus ejusdem legis caussæ adferentur? Ubi sunt æqualis bonitatis, ibi non nisi cessantibus cun-

Reg.74. ctis restringetur. Ubi vero irrationales seu rationi repugnantes intervenerint, cessantibus rationi non reluctantibus, lex quoque cessabit. Nam in diversis caussis pro op ima præsumitur, & rationi plane repugnantes non attenduntur.

Consuetudo quomodo caussa legis.

1 XV. Ad *consuetudinem* nos vertimus. Quæ est perfectio facultatis operatricis, orta ex crebra actione, & faciens ut jam aliter atque hactenus egimus, agere sine difficultate non possimus. Unde liquet aliquam reliquarum caussarum necessario hic præcesisse intelligi. Quippe qua moti, priores illas actiones per quas consuetudo introducta est, perfecimus. Iis vero vel cessantibus, relinquitur aliqua propensio, seu promptitudo, ad easdem actiones cessante caussa repetendas, quæ est illa consuetudo. Ita
2 ex consuetudine domi latere dicitur, qui cum primo metu, aliave de caussa egredi ædibus vetaretur, postea ob diuturnam illam mansionem, jam non cupit exire, sed lubens domi residet. Ita si legislator ex affectu, V.Gr. erga uxorem, primo inductus, in omni

omni casu jura favorabilia fœminis condere: dein cessante eodem, ex consuetudine ita agere perget, hæc consuetudo erit hujus legis caussa. Nam quamdiu affectus ille durat, & si jam ita perfecta esset facultas operatrix, nihilominus patet affectum adhuc esse caussam actionis illius. Et similiter de caussis reliquis. *Consuetudinaria* proinde *Interpretatio* ad analogiam superiorum præcepta sua consequetur. Nempe quod ad inveniendam, &
assignandam hancce caussam (I.) Consuetudinem itaque Reg. 75.
profitenti legislatori tunc creditur, si caus- 3
sam aliam, meliorem imprimis, adesse liqvido non constat, nec de voluntate ejus, detegendi veram caussam, dubitatur. Contra si Reg. 76.
melior ratio, vel alia caussa appareat, & cur Legislator occultare eandem voluerit, colligi possit, ea merito præfertur. Quod impri- Reg. 77.
mis notandum si consuetudo rationi repugnet,
vel caussa legis esse nequeat. Verum hæc omnia 4
raro eventura esse, ex natura legum, & prudentis patet. Nam prudens consuetudinem ejusmodi casibus non facile profitebitur. Interim cum hæc sint generalia, ad omnia jura applicanda: quæcunque poterunt evenire, licet numquam evenerint hactenus, & raro eventura sint, debent complecti. Hæc de confessione Le- 5
gislatoris. Paria de aliorum attestatione judicamus, inspectis testium requisitis iterum & perpensis. Quod si ipsi colligere debeamus, an consuetudo Legi ansam dederit, imprimis id quod sæpe fecit Legislator attendemus. Hoc enim est signum apertissimum consuetudinis. Dein an sine omni alia caussa id fecerit, cir-

T cum-

Reg. 78. cumſpiciemus. Et ita (II.) **ex natura & ſignis conſuetudinis, JCtus deficiente omni alia cauſ-
6 ſa, conſuetudinem legi aſſignabit.** De copulatione conſuetudinis cum aliis cauſſis, res clara eſt, quod ea non detur. Nam aut ceſſabunt, ut jam ante diximus, priores cauſſæ: aut illis manentibus, ipſæ, & non conſuetudo legi cauſſam dabunt. Inter ſe vero ſi conveniant, idem quod de affectibus judicandum.

Quomodo leges ex illa reſtringi poſſint.

XVI. De reſtrictione ex conſuetudine, vix attinet hic verba facere. Rariſſime enim continget, prudentem ex conſuetudine, ſine omni alia ratione adjuncta, quidquam agere. Eſt enim id incuriæ, & negligentiæ, a prudente alieniſſimæ. Sufficiat ergo

Reg. 79. in hoc eventu,(I.) **Ceſſante conſuetudine Legislatoris, legem penitus ceſſare,** & in cæteris rem eodem atque in affectibus determinatum, modo ſeſe habere.

Neceſſitas cauſſa legum aliquando.

1 XVII. De vi, ſeu neceſſitate ultima ſit inter cauſſas legis conſideratio. Eſt autem *vis* principium extra Legislatorem poſitum, cogens eundem, ad legem talem faciendam, ſive faciens, ut non poſſit non eam facere. Patet hinc, proprie illam non
2 eſſe cauſſam legis, cum faciat legem non oriri ex conſenſu. Invitus enim & coactus agens, non videtur conſentire. Unde nec prudentia locum hic habet. Quippe quæ cum electione conjun-
3 ctas actiones ſolas moderatur. Interim tamen uſu venire aliquando videmus, ut Legislator etiam maxime invitus, aliquam legem condere cogatur, accidente aliquo ita imperante. Poteſt tamen fieri, ut cum neceſſitate alia aliqua cauſſa ſit conjuncta: V. Gr. ratio, vel opinio, ſi nempe agens eam habeat, & ſecundum eam cogat. Ita poterit aliquis cogere legislatorem, ad condendam legem, quam alias ipſe numquam in animum induxiſſet ſuum,

um, quæ tamen ipsa rationem suam habeat, sive naturalem, sive
in opinione bona cogentis. Tunc vero, an ex ipsa illa ratione, 4
aut opinione, ex qua valet lex censebitur? Respondeo non debe-
re hic negligi consensum, neque videri voluisse Legislatorem ea
ad quæ est coactus, adeoque nec eorum rationes, & propterea ne-
que JCti erit hanc ei affingere voluntatem, ultra quam consen-
sum est professus. Quod si non fuerit pura necessitas, ex qua sunt
actiones mixtæ, dabitur aliqua electio, & concurret aliquod judi-
cium, de bonitate ejus, quod electum est, ex una dictarum caussa-
rum profectum. Quare eo res recidet. In mera vero necessitate, 5
quid agendum videamus. Et vero indagatio ejus procedet pa-
rem in modum cum eo, quem de consuetudine diximus: repeti-
ta simul regula 67. Nam & semper dubitandum est hic de confes-
sione Legislatoris, & testimonio aliorum, an occultandi veram,
sive prætendendi falsam caussam, ulla habuerint incitamenta.
Quæ eo magis præsumuntur, ubi melior caussa adest. Adeoque ut
Violenta quoque *interpretatio mentalis*, præcepta sua consequatur.
(I.) si caussa adest melior, & prætextus ar- Reg. 80.
gumenta, JCtus meliori illi inhærebit. Sin Reg. 81.
secus, legislatori credet, vel aliis de necessi-
tate affirmantibus. Sed hæc omnia rarissime occurrunt, 6
& legem a sua natura recedere faciunt. Quare brevissimi & hic
sumus: imprimis cum ex superioribus hæc intelligenti cuivis
possint decidi. Si colligi necessitas debeat a JCto, id fiet ex eo
præcipue signo, si invitum videat agere legum conditorem, &
contra solitas caussas agendi, & rationes, vel mores seu affectus,
& consuetudines. Tunc enim colligetur satis probabiliter, caus- 7
sam externam adesse. Hac ergo ratione (II.) **ex natura, &** Reg. 82.
signis necessitatis per diligentem circum-

ſtantiarum inveſtigationem, omnibus aliis causſis deficientibus, de vi argumentum capiet interpres. Poterunt vero & (III.) plures concurrere necesſitates ad eandem legem cauſſa donandam, quæ ſimul erunt JCto admittendæ. Cum

Reg. 83.

8 aliis vero cauſſis concurrere nullo modo neceſſitas pura poteſt: cum hæc electionem excludat, illæ recipiant. Ita non poterit aliquis coactus & ſponte ſimul feciſſe. Videſis plura de invitis, & voluntariis, ac mixtis actionibus, demonſtrantem ſuo loco Ariſtotelem, (vv) quem hic deſcribere nolumus.

Ex ea ut fiat reſtrictio.

XIIX. Cum & raro ex neceſſitate leges oriri, & ex ſuperius allatis cauſſis hanc deduci poſſe, jam prædixerimus: de reſtrictione quoque breviter nos expediemus. Unde hoc ſolum addimus. (I.) Ceſſante necesſitate legi omnem cauſſam dante, ceſſare legem. (xx) (II.) Ubi enim una ſola hæc eſt cauſſa, cur legis termini cohæreant, ibi ea ceſſante & lex ceſſabit. Sic ubi plures necesſitates ad eandem legem introducendam conveniunt, non niſi omnibus ceſſantibus lex reſtringitur.

Reg. 84.

Reg. 85.

Generalia de legum cauſſis: inq; iis quæ obſervanda cautela, quæ propria JCto,

XIX. Hactenus ergo ſingulæ cauſſæ quomodo indagentur, quomodo legem, vel ſingulæ vel plures, ejusdem aut diverſi generis concurrentes cauſſentur, plene, credo, perſpeximus. Quæ dum animo nobiſcum ſingula recolimus, non poſſumus non facta ex ſpeciebus ſingulis & univerſis inter ſe collatio-

(vv) *lib. 3. Nicom. c. 1. & ſeqq M. M. 1. c. 13. & ſeqq. & 2. Eudem. c. 6. & ſeqq.*
(xx) Alc. *de V. S. lib. 1. n. f. 125.* Dd. *ad l. quapropter neceſſitatem* 162. *ff. de R. J.*

latione, resultantes nunc demum ulteriores generalissimas *Mentalis* sive *intellectualis omnis Interpretationis* aliquas *regulas*, superioribus addendas, annotare, ac speciebus Interpretationum utcunque instructis, etiam insuper præceptum porro adhuc præter anticipata jam antea unum atque alterum, in genere ad omnes pertinens inde deducere. Principio itaque dicimus 2

qvi defectus & error oriri possit.

(V.) in assignandis caussis legum imprimis caute debere progredi JCtum. Reg. 86.

Ubi enim error maxime vitiat interpretationem, ibi maxima adhibenda cautela. Jam vero hic idipsum contingit, dum per errorem commissum vel lex fit quæ non est, vel fit in casu ubi non est, vel ubi erat desinit. Deinde illud quo- 3
que ex dictis colligo (VI) præ omnibus caussarum indagationibus maxime esse propriam JCto caussæ specialis Politicæ indagationem. Reg. 87.

Quæ enim caussa legibus positivis propria est, ea JCto, qua JCto maxime convenit: atqui hæc talis est, & leges proprie positivas facit. Ergo. Porro neque hoc negligendum est, quod 4
qvædam caussæ legum non totam legem exhauriunt, seu totius legis sunt caussæ. Quod tum imprimis accidit, (VII.) Reg. 88.
cum specialis aliqua determinatio additur, legi caussam habenti generalem, id vero ubi fit, determinatio illa caussam sequitur, & ea cessante cessat, quamdiu specialis caussa determinationis alia nulla comparet. (α) Ita V.G. con- 5
stat ratio, cur dentur curatores minorennibus: nempe quoniam nondum plena ipsis est, & perfecte sufficiens ad bonorum

(α) v. Harmenopuli *promptuar. p. m.* 4.

adminiſtrationem prudentia. Qvare vero ad viceſimum quin-
tum usque annum, ea porrigatur ætas, & non in viceſimo-
quarto ſubſiſtat, vel ad viceſimumſextum ſit extenſa, ex illa
6 ratione non liquet. Quippe cum naturalia jura & ſcientifica, u-
niverſaliter omnia determinent: prudentiæ legiſlatorum hæc
actionibus humanis applicanti incumbit, ad tollendam ambi-
guitatem omnem, & litium occaſionem, certos fines, & accu-
ratos apponere, qui etſi plerumqve ſint arbitrarii, tamen ex
7 cauſſa generali vim ſuam ſortiuntur. Ulterius quæri non ab-
ſurde poterit: annon fieri poſſit, ut lex plane cauſſam non ha-
beat, neque aſſignari ſibi patiatur: ſive an omni neceſſe ſit le-
gi cauſſam adſcribere. Et vero omnem legem ſuam habere
cauſſam certum eſt. (yy) Neque enim ſine cauſſa quisquam
agit, multo minus prudens, qvalem voluimus legiſlatorem.
8 Quod autem interdum contingit, cauſſam legis non apparere
JCto, id qvousque ſeſe extendat conſiderandum eſt: ut qvando
excuſandus, quando arguendus ſit JCtus, & quænam hic arti,
quæve artifici ad ſcribenda ſit imperfectio, appareat. Univer-
ſalia autem, quatenus ſunt finita, cum ſint cognoſcibilia, eo-
rum inſcitia, uti jam ante retulimus, JCto merito imputabi-
9 tur. In ſingularibus vero errari contingit ſæpiſſime, & infini-
hoc c. §. 9. tis modis, quemadmodum ea ipſa poſſunt eſſe infinita. Ita
ſi ſingulare aliquod adeo ſit alienum a civili ſcientia, ut quomo-
do ſub aliquo ejus ſubjecto ſubſumi debeat, ex alia demum ſit
probandum, jam olim JCtum quodammodo poſſe excuſari con-
10 ceſſimus. Ita & in ſpeciali Politica ratione uſu venire poteſt, ut
ita ſint latentes circumſtantiæ, ex quibus finem conjectare debe-
mus, ut vix idipſum fieri poſſit, imo plane interdum non poſ-
ſit. Id quod crebrius erit, ſi unius præcipue partis, verbi cauſ-
ſa imperantis; bonum per id contra aliam quæratur: ut in Oli-
garchia divitum, in Democratia pauperum. Tunc enim ſtu-
dio

(yy) *vid.* Galeſium *de exercitat. Jurisperit. lib.* 1. *n.* 140. *& seqq. ibique citatum D. Thomam. &c.*

dio aliquando hæc occultantur, etsi raro id obtineri possit. v. *Feld.* disp. 2. ad Inst. §. 10. in f. monentem ea de re. Cujus tamen exemplum allatum, facile ratione sua Politica instruas, in deterenda nobilitate civium suorum, ad prærogativam Principum augendam *sita*. Sic & in opinione, & reliquis caussis la- 12
tere possunt singularia, ex quibus indicia earundem erant pe- Reg. 89.
tenda. Ubi ergo ita latent singularia, ut nulla curiositate ac diligentia possint indagari, omnino excusatus erit JCtus, caussam ex iis petendam non inveniens. Ultra enim id quod potest, nemo obligatur. Raram autem esse necessario debere ejus- 14
modi occultationem, imprimis in melioribus rebus publicis liquet. Quippe ubi ad communem finem omnes debent per leges duci, ibi omnino finis ille constabit, & erit notus, adeoque omnino diligentius consideranti, quomodo lex ad eundem conducat patebit. Quod si evidenter non conducat, vel plane non conducat, jam nominetenus saltim lex erit. Cum ad finem ducere legem omnem, ex definitione constet, adeoque hæc erit JCto parum attendenda. Quod si ponatur, lex quæ prosit, ignoretur autem 15
ejus caussa, siquidem ex reg. ult. 89. excusatus erit JCtus, etiam ob restrictionem omissam excusabitur, neque inde orientis injusti caussa existet. Tandem videmus errare etiam posse inter- 16
pretem in caussis assignandis. Verbi gratia si latent veræ caussæ signa, & apparent alterius quæ revera non erat caussa legis. Tunc enim cogetur interpres pro his præsumere. Porro quo- 17
niam diximus ex natura & signis opinionis, affectus, consuetudinis, & necessitatis quæ videntur circumstantiis inesse, debe- Reg. 90.
re eas legibus assignari (IIX.) si plurium caussarum signa invenientur, pro pluribus & probabilio-

lioribus ſignis etiam cauſſæ plures asſigna-
18 buntur. Hinc eſt quod dicunt Doctores (zz) *in dubio ſtandum pro pluribus conjecturis, ac præſumptionibus.* Item *qui allegat veroſimile, allegat textum legis. Et magis veroſimile vincit minus veroſimile*, & ſimilia. Jam autem evenire aliqvando poteſt, ut indicia veræ cauſſæ lateant magis, & pateant alterius, unde ſecundum hanc regulam procedens JCtus noſter aberrabit falſam cauſſam aſſignando. Sed cum hæc non ſit ejus culpa,
19 ex Reg. 89. neque ei adſcribetur. Imo cum ejusmodi leges parum poſſint facere ad rempublicam, & propterea a ſua perfectione & natura multum recedant, error quoque iſte erit exigui
20 momenti. Atque huc pertinent illa iterum ſuperius laudati Caſp. *Scioppii* loco eodem Element. Stoicor. c. 147. ſcripta hiſce verbis: Poſtquam inter officia Stoicorum, & præter officia, atque neutra diſtinxiſſet, ad Legum Romanarum interpretes digreſſionem ſuam ſuperius cœptam allegari, ſic continuantis. *Et Neutra, hoc eſt quæ neq; officia ſunt, neque præter officia magnam partem lege definiuntur, ad prohibendam litium occaſionem, quod JCtos probe meminiſſe velim. Cum etiam in longe plurimis JCti illi veteres, vel* κατὰ περίςασιν, *vel* κατὰ συμπεριφορὰν, *vel denique* κατ' οἰκονομίαν *reſponderint: nimium eorum* περιεργειαν, *ſtudiumque prorſus ſupervacuum eſſe oportet, qui & Neutrorum rationes, quæ nullæ eſſe poſſunt, niſi (ut dixi) præcidere occaſionem litium, quæ oriri poſſent, niſi etiam de illis aliquid legibus ſancitum foret, (quæ præcipua cauſſa eſt, cur diverſorum populorum civilia & municipalia jura & inſtituta tantopere inter ſe diſcrepent) tanta cum cura penetrantur, & quando neque loci aut temporis rationem, quam veteres ſecuti, neque conſilium eorum, neque quorum hominum voluntatibus, obſecuti*

(zz) Bald. *ad l. ſive poſſidetis. C. de probat.* Tiraquell. *præfat. in l. ſi unquam. Fr.* Becc. *conſ.* 101. *Cephal.* 287. Menoch. *conſ.* 113. *n.* 13. Rim. *Jun. conſ.* 301. Vaſq. *de ſucceſſ progreſſ. lib.* 1. § 6. *n.* 12. *Stephan.* Gratian. *diſcept. forenſ. tom.* 5. *c.* 878. *n.* 16. Everh. *loco a veroſimili.*

obsecuti fuerint, divinare possunt, hic tamen se ipsi in reperiendis idoneis legum rationibus exercent.

XX. Priusquam finiamus, pauca etiam de Restrictione in genere, sive de caussæ cujuscunque generis facienda recté restrictiva ad singularia applicatione, perinde atque de ipsa caussa vidimus omnis generis singillatim. Unde nunc universaliora quæpiam colligendi facultas suppetet ulterior. Et vero cum, ut in omni alia ullius momenti operatione *partes prudentiæ* quidem universæ, attamen non æque semper singulæ sed aliæ præ aliis plerumq;, pro varietate objecti aut operationem afficientium aliorum, veniunt attentius & scrupulosius observandæ: Ita hic quoque sese res habet. Quando præ aliis prudentiæ partibus (I) Est in restrictione summa adhibenda cautela; ne fiat ubi non debebat, aut ubi debebat non fiat. Alterutrum enim si contingat, aut fit lex ubi non debebat, aut desinit, ubi stare eandem conveniebat. Hoc ut caveatur, & debitum in modum fiat operatio, generale hoc ex dictis colligimus. Nempe (II.) Ubicunque caussæ legum cessant, ibi & ipsas debere cessare. Ubi non omnino cessant, leges debere manere, etsi sint duræ, & injustæ. Quodcunque enim non potest tolli lege manente, id JCtus non tanget ex Reg. 13. Debet præterea in restringendo esse rarus JCtus, & parcus. Nam quod facit cessare legem, debet esse contigens raro, cum lex sit contingens utplurimum. Restrictio facit cessare legem. Ergo ordinarie & regulariter non adhibetur restrictio, sed raro. Potest etiam errare Legislator in restringendo, sicut in assignanda caussa. Si enim lateat circumstantia caussam legis faciens cessare, ita ut nullo possit modo indagari vel a studiosissimo, non poterit quoque

De Restrictione in genere: quæ cautela, & regulæ notandæ, quisve error possit contingere.

Reg. 91.

Reg. 92.

Reg. 93.

Reg. 94.

reſtringere: verum id non ſua, ſed circumſtantiæ culpa accidit, & ipſe nihilominus dicit, quod diceret Legislator, ſi eſſet præſens. Nam & ille, hoc poſito, circunſtantiam illam non videret, adeoque errorem eundem erraret. Unde **JCto circumſtantia quæ legis cauſſam ceſſare facit**, adeo **occultata**, ut per prudentiam nullam obſervari ac depræhendi queat, **non reſtringenti, nihil imputabitur.** Quod idem de falſa ratione ſola comparente, quippe quæ revera nulla eſt, dictum eſto. (α)

Reg. 95.

Æquitatis natura ex dictis dilucidatur, & quod perfectus JCtus ſit æqvus, demonſtratur

XXI. Atque hæc de reſtrictione, quæ æquitatis cauſſa eſt cujus jam hinc naturam plene & perfecte cognoſcere licebit, & intelligere quæ ſuper ipſa a Philoſopho (aaa) ſunt tradita. A quo definitur ἐπανόρθωμα νόμου, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου. (*Correctio legis quatenus deficit, propter univerſalitatem.*) Id quod jam obſcurum amplius eſſe non poteſt. Nam quod lex ut plurimum adhibendum de omni dicit, idipſum ubi non adhiberi debeat, per æquitatem determinatur, adeoque univerſalitas illa legis emendatur. Dicitur præterea æqvum, & ab omnibus, & hoc loco a Philoſopho, melius juſto, ſeu jure ſtricto: quod ita ad differentiam, vulgo vocatur, & in eo deficit, quod generale nimis eſt, adeoque per æquitatem reſtringendum. Patet ergo & hujus veritas ex dictis. Quod enim emendat aliud, id ſane eo eſt melius. Jam vero per æquitatem jus ſtrictum emendatur. Ergo. Denique, & inde colligimus, JCtum perfectum debere eſſe æquum & bonum. Debet enim in reſtringendo, adeoque in inveniendo & definiendo æquo, exercitatus eſſe. Æqvus autem eſt, ὁ τοιούτων προαιρετικὸς καὶ πρακτικὸς (*qui ad æqui-*

tatem

(aaa) 5. *Nicomach.* 14. & 4. *Eudem.* 8. *adde* Feldenum *de Interpr part.* 2. *l.* 3. *præf.* §. 6. *p.* 962.

(α) *Quo ſenſu accipio illud* Unverfährtii *c. VI.* §. 104. *Si* pro forma quid obſervandum, rationem nec attendi, nec ceſſante illa reſtringi.

tatem spectantia proponit sibi, & agit,) pergente eodem Philosopho. Unde cum perfectus JCtus perfecte restringere leges debeat, ideſt ſemper ubicunque opus eſt, neque pati, ut quidquam ſe impediat in hocce; habitus vero ille ita agendi ſit æquitas; neceſſario inde conficitur, *perfectiſſimum Jurisconſultum maxime æquum* fore.

Additio X.
Collatio cum Feldenianis.

HÆc qualicunque ſucceſſu delineata mihi Elementa Interpretationis Mentalis & Reſtrictivæ, ab hiſce XXX. & amplius annis, atque nunc aliquantulum etiam aucta, & emendata, *ſi conferas cum Feldenianis*, quæ huc pertinentia continentur part. II. Lib. II. III. & IV. toto: depræhendes, qualiter Vir Illuſtris ille,

1. Non tam dogmatice, quam *empirice procedant*, loco præceptorum interpretandi, ex ſuis definitionibus, & principiis reliquis demonſtratorum, ac qua methodo applicanda ſint itidem per partes prudentiæ ordinatorum, exhibens inſtitutæ ſibi praxeos *exempla mera*. Id vero minime Philoſophicum eſſe patet, ſed potius plebejum. Nam vel Mechanici hac ratione ſuos inſtituunt. v. g. faber murarius, aut ferrarius, ſartor, aut ſutor, jubens famulum ſuum tamdiu ſuas intueri operationes, ad artem pertinentes, donec impreſſione memoriæ ac imaginationi facta, ipſemet primo male, ſenſim melius illas imitari adſueſcat. Id qvod tamen abſit, ut ita qvisqvam interpretetur, quaſi mechanicæ ruditatis totum huncce illuſtris Viri laborem eſſe contendam. Nihil vero minus. Et qui non occæcato plane intellectus oculo hæc intuetur, omnino cum ingenio artem ac induſtriam depræhendet admirandam, licet univerſalia præcepta, ſeorſim ordinate diſpoſita, non ea, qua oportebat ratione, hic exhibeantur.

2. Ipſa quoque *illius praxis*, quod ad eſſentialia & fundamentalia, eqvidem *noſtris præceptis nusquam repugnat*, aut contrariatur: adeoque *illorum declarationi*, atque *confirmationi queat* utique plurimum *inſervire*. Attamen, ut verum ingenue dicam, *confuſione* ſua perturbatiſſima, citra ullam diſtinctionem cauſſarum, & hinc differentiam interpretationum facta, vereor ne *applicationem* illorum omnino redditurus ſit pleramque tam difficilem, ut *impoſſibilis inſtar*, plane deſeratur.

3. Si *noſtra paucula* illa *præcepta & regulas* interpretandi obſerves, & quæ *de prudentia*, *illas applicandi*, maxime qvod ad ordinem faciendæ applicationis optimum, & hunc quidem, quatenus ad mentalem, & reſtrictivam pertinet interpretandi rationem, *infra* dicemus. Cap. XI. licebit hæc longe *plenius atque planius* animo concipere facilitate & diſtinctione, ni fallor, quantum obſcuris declarandis inſerviens hujus artis natura permittit, oppido clariſſima, ſolidiſſimaque.

Nempe ut 1. *legibus* probe *cognitis*.

2. collatione facta 1. cum *Scientia juris Naturæ* omnium præcipue ſectanda.

2. *Hiſtoria* publica Politices, rationis *ſtatus* (Reip. Romanæ videlicet. ad ductum A. N. part. 2. l. 4. pag. 1062. & ſeqq. in Jure Romano)

3. *Hiſtoria privata opinionum* JCtos Conditores Legum Romanarum occupantium, ut eſt *affectuum* ipſos & Imperatores agitantium,
conſuetudinum, ac
neceſſitatum eos urgentium, inquiſitio in legum cauſſas, & ex iis *interpretatio hæc abſolvatur.*

Addi-

Additio XI.

Specialior Feldenianorum collatio ex part. II. Lib. II. Cap. II. & seq.

SPeciatim ipsa illa caussarum Cap. II. deductio, & earundem re- 1
capitulatio elegantissima cap. III. §. 6. & seqq. facta, si considere-
retur aliquanto curiosius, apparebit omnino quam manifestissime, *confundi Naturales* hic *atque Politicas rationes*, imo & *dialecticas quandoque*, *ac* demum *caussas nonnullas alias:* quam accuratissime, ad bonæ Interpretationis accurationem, secernendas.
Quod ipsum *nostra Juris naturalis scientia, huc applicata, facile* 2
sit observatu. Quicquid enim, cum illius demonstrationibus non ex asse congruet, illud ad aliam rationis aut caussæ speciem pertinebit, suis ex naturæ proprietatibus atque indiciis agnoscendam.
Ante constitutionem autem *talis scientiæ Juris Naturæ* de- 3
monstratæ, fateor *possibile* vix fuisse, idem satis articulate dignoscere, atque secernere, distinctimque alios edocere. Quoniam definitiones adhuc plurimæ aliæ, demonstrationesque, in quas hæ quæ proponuntur sese resolvunt, & sine illis nequeunt sibi
constare, non poterant omnes huc transferri. Unde *quam-* 4
diu circa quoddam argumentum jus naturale non est conspicuum, atque *demonstratum, de perfectissima interpretatione mentali*, quod ad optimam ejus partem *tantisper est spes deponenda*,
vel differenda, donec illud elaboretur. Sed ad rem. 5

Cap. III. §. 6. recte se habet ex Jure Nat. nostri part. 1. cap. II. Sect. 1. §. ult.

7. *Obligatio* illa deberet jam specialius contrahi ad commercia, & hinc *commercialis* cognominari, adeoque commercio demum definito intelligi. Nam per se obligatio etiam est servi erga dominum, & hominum erga Deum, & multiplex alia, de qua hic non est sermo, neque tamen id monetur, aut distincte concipitur. Et *multæ* aliæ *definitiones*, antequam

hoc intelligi potuiſſet, *neceſſariæ*, brevitatis ergo *prætermittuntur.* Unde obſcuritas multa manet, ex pleniori Juris Naturalis univerſalioris notitia declarationem demum acceptura. ut &

8. dictæ ſibi commutationis ſpontaneæ invitæque, &c. *voces in obſcuro* poſitas, *indefinite* itidem relinqvuntur. Nulla vero notio ad ſcientiam faciens indefinita relinquenda, niſi quæ prima ſit & indefinibilis. Sic &

9. *Societatis definitio, & aliæ omiſſæ*, ſimili de cauſſa.

10. Simpliciter ita poſitum hoc erit *falſum*, niſi de recta & bona voluntate ſola capias. Quam ut Deus, & hinc Chriſtus ſolam agnoſcunt, ita & is recte potuit ita loqui. Nobis, niſi philoſophice nos intelligere ſic voluntatem reſtrictam præmonuerimus. manebit objectio multiplex. v. gr. ſcortatoris, impatientis, delicati voluntas, an quia noſtræ conſona ideo implebitur?

11. Expreſſe ad Ariſtotelem provocatur, ulterius definientem & demonſtrantem. Vides ergo *hic non potuiſſe cuncta excerpi neceſſaria* ſcientiæ.

12. Hæ *ſpecies Societatum imperfectiſſime* quoque hic exhibentur, ut conferenti cum noſtris ad oculum patebit.

13. *Recta omnia*, noſcenti Jus Naturale atque Ethica, ut omnes hic poſitos terminos diſtincte concipiat: ſecus inerudite atque plebeje cognoſcet, non demonſtrative ac ſcientifice iſta omnia.

14. *Mens* iterum *recta*, ſed *expreſſiones* multæ *in obſcuro* rem relinqvunt. Jus ſine genere definitur, & laxe nimis, ac notiones non definitæ plurimæ relinquuntur.

15. Plane *politica ſcientia præſupponitur*, & *citra neceſſitatem* inde principium ab aſſimilatione, qua hic recte caruiſſemus, petitur. Suffeciſſet enim æqualitatem requiſitam dixiſſe citra comparationem Politicæ.

17. *Spe-*

17. *Specialiora rectissime* se habere incipiunt, & solertissime, naturali ac essentiale discrimen accidentali per Ulpianum memorato soli substituitur. Interim definitiones hic speciales a J. Naturæ abeuntes, cum naturalibus fuerant comparandæ, ad plenissimam notitiam interpretationi necessariam.

18. Omnino *eleganter* secernit a naturalibus jura positiva, & in opinione mera posita JCtorum veterum, adeoque recessum a jure Naturæ factum.

NB. Jum. 22. cap. II. bis nominari, posterioremque iterum patet, ultra quam necesse est multiplicare terminos non definitos.

19. Repete ad § 17. dicta.

20. *Confunduntur Jura Naturalia & Politica.* Jus naturale optimum enim omnia pacta, vel nutu inita privatorum, cœteroqui bene se habentia, nec essentialibus suis destituta, (quæ in J. Naturali nostro enumerantur) etiam sine ulla lege publica positiva, habet rata. Imo *pacto semper standum*, consuetudine in opt. Rep. firmatum erit publica. Quicquid ergo huic rei contrarium a Jure Civili Romano statuitur, id mere positivum est, & Politica ratione nititur ea, quod noluerint rudes initio cives, ex fæce Romuli coaliti, tam præcise obligari, stricteque, semper, ex quolibet promisso; sed cum caussa demum contractus alia manifesta, vel rituum certorum accessione, ut in stipulationibus, perque scripturam. Naturaliter vero pacta nuda æque obligabant, ac adjecta contractui. Quod adeo nobis *Christianis, nec nutu decipere*, nedum voce non solenniter in stipulationem deducta debentibus, multo præplacuit merito, ut ex omni pacto daretur actio, nec fidem fallere datam ullo modo liceat. Unde naturalis illa obligatio c. II. § 25. irrestricta nunc manet, ac ad agendum æque ac excipiendum nunc valet.

21. *Si pacta valent* omnia, nonne multo *magis contractus innominati* valebunt nunc, ut suo loco dicemus, jure pactorum. Est restringenda illa exorbitantia a jure naturali, & conscientiæ contrario, ut requiratur implementum ad validitatem,

tatem, in positivo hic jure politico ceu diximus, & vitiosæ reip. plebeji moris mali fundata.

22. *eleganter* docetur, & *elegantius* in §. 27. item allegata ex C. II. sed quæ præsupponunt iterum Ethices & juris Naturæ pluscula, ulterius definienda, & demonstranda. Ut & §. 28. c. II.

23. Hoc *a jure naturæ* iterum & deficientibus essentialibus pactorum *dependens, a Politico quomodo mutari contingat, fuisset exponendum*, ad demonstrationem illius *naturaliter licitæ deceptionis* permissæ in ff. Nempe non potest in corrupta rep. omnis coerceri injustitia. Unde & cur intra dimidium læsio, vel dolosa non rescindatur continuo & semper, hic erit deducendum, & alia multa hic desiderata.

24. Hic iterum *positiva naturalibus accuratius secernenda* fuissent: ut quasi contractus naturaliter aut arbitrarie efficaces quatenus essent, constaret interpreti ad conscientiam cuncta solide interpretaturo. Sic *mere positiva* porro ex suis opinionibus aut caussis consuetudinum vel inclinationum plebis aut Legislatorum Romanorum observatis, ubi rationes cessant, *dijudicanda* venient *subtilissime* rem censenti. Qualia *multa* hic & circa contractus (maxime in specie v. gr. stipulationum solennia, quodque actori quis stipulari neqveat &c.) ut & implicitam dominii tralationem, & traditionum formas &c. intervenire patet, ad absolvendam omnem obligationum naturam, plenius & specialius, quam hic fuit factum. Quin & alia mere positiva multa, quatenus in consuetudine, rituve aliquo antiqvo caussam suam habent, expiscari conabitur JCtus, æque, ac rationem testium septem numero, & sexus virilis in testando &c. Multo vero *plura* etiam *ad actionum interpretationem* mentalem, *ex Tr. nostro duplici desuper edito*, facta invicem collatione simili elucescent. Qvin imo plenaria & *methodica Institutionum Juris Civilis cum Jure Naturali* universo congruentia & discrepantia, *ex illius reconcinnati* nobis, *hujus* vero *ad prelum paratí*

rati editione luculentiſſima conſtabit; Si collatione facta naturalia Imperatoriis, Imperatoria naturalibus congrua, per notas marginales utrobique adſcribantur.

CAPUT V.

DE ALTERO LEGUM VITIO nativo & INEVITABILI, quod eſt INSUFFICIENTIA earundem, & quomodo huic auxilium ex INTERPRETATIONE EXTENSIVA ſit petendum: quæ qualis ſit, & quomodo ex legum cauſſis fiat, explicatur.

SUMMARIA.

1. *Continuatio.*
2. *Inſufficientia legis vitium nativum & inſeparabile, quomodo legem lædat, vel qua labe adſpergat.*
3. *Quod eidem auxilium ex interpretatione extenſiva ferendum, & quænam ea ſit.*
4. *Generalia ſuperius propoſita denuo ex hoc principio demonſtrantur, & aliqua de extenſiva interpretatione univerſim adduntur.*
5. *Ex ratione Naturali, vel Civili, una, aut pluribus, quibus modis lex debeat extendi.*
6. *Ex opinione, quibus modis lex extendatur.*
7. *Item ex appetitu, & affectibus Legislatoris.*
8. *Ex conſuetudine ejusdem.*
9. *Ex neceſſitate.*
10. *Generalia de extenſione, & circa eam neceſſaria cautela, & contingentibus erroribus, & difficultate majore, quam in Reſtrictione.*
11. *Æquitas, quod etiam in extenſione attendatur, idque & ex mente Ariſtotelis, cujus textu fuſe enodato, ex ipſa rei veritate ſit deciſio.*

X I. Huc-

I.

Continuatio.

HUcusque de primo legum perpetuo & haud evitabili vitio prolixi ſatis fuimus, ut & de remedio ejus, videlicet Interpretatione reſtrictiva: de cujus natura, ac definitione quid alii ſenſerint, (a) quasve regulas vel inutiles, vel parum fundatas præſcripſerint, jam non recenſebimus, contraria tamen maxime & noſtris repugnantia, ad majorem dictorum evidentiam *in Appendice* perſtringemus. Nunc ad alterum æque nativum legibus vitium, atque inſeparabile, noſtra ſe convertet oratio, ut & ejus naturam, & quam præſtare poterit JCtus medelam indicemus.

Inſufficientia legis vitium nativum & inſeparabile, quomodo legem lædat vel qua labe adſpergat.

1 II. Eſt autem & illud jam ſuperius nobis propoſitum, *inſufficientia* videlicet *legum*, in eo conſiſtens, quod actionibus omnibus ad finem civitatis aliquid vel emolumenti, vel impedimenti afferentibus, prædicata ſua non ſunt aſſignata: ſive ut vulgariter loquar, quando de caſibus præcipuis aliquot, leges nullæ ſunt perlatæ. De hac legis imbecillitate non abs re fortaſſis fuerit ſtatim ab initio illud decidere dubium: an videlicet ſit inevitabilis, & præcaveri a Legislatore nulla prudentia poſſit. Etenim ſuperius nondum ſatis fuſe hæc quæſtio ventilata eſt, imo in præſentem locum dilata. Jam vero non ſine fundamento aliquo & veri luculenta ſpecie videri poſſit, cum leges omnes univerſales eſſe voluerimus, univerſalia vero ſint finita, ex mero Legislatoris vitio
3 fieri, ſi actiones omnes iisdem haud compræhendantur. Verum enim vero ut quam expeditiſſime hunc nodum ſolvamus: univerſale illud dupliciter dici de lege poteſt, vel reſpectu habito ad integram propoſitionem legis, ut nempe in eadem prædica-

(a) Bartol. Bald. Alexand. Jaſon. Salicet. *& alii* Dd. *quamplurimi ad l. adigere & alias adductas ſupr. litt. ee. & poſt antiquiores Everhar. loco a rat. leg. ſtricta.* Forſter. *de interpret. Jur. lib. 2. c. 3.* Coraſ. *de Jure Civ. in artem redig. par. 4. cap. 5. & ſeqq.* Donell. *1. comm.* 13. Hunnius *de Author. & Interpret. Juris lib. 2. cap. 3. & ſeqq. Steph. de* Pheder. *par. 1. memb. 3. Paul.* Pariſ. *vol. 1. conſ.* 102. Hahn. *ad paratitl. ff. de ll. &c.*

dicatum toti ſubjecto & omni inſit, vel vero ſolius ſubjecti intu-
itu, ut id ipſum de multis dicatur. Quarum poſterior univer-
ſalitas, ſi ſit nimia, & legis ſubjectum nimis multa compræhen- cap.6. §.9.
dat, non leve inde legi vitium oritur, uti poſtea fuſius probare
conveniet. Nunc locus Ariſtotelis (b) ſufficit, ubi ſequentem 4
in modum diſſerit. μάλιστα μὲν οὖν προσήκει, τοὺς ὀρθῶς κειμένους νόμους, ὅ-
σα ἐνδέχεται πάντα διορίζειν αὐτοὺς, καὶ ὅτι ἐλάχιστα καταλείπειν ἐπὶ τοῖς κρίνουσι.
(*Maxime igitur conveniens eſt, ut recte latæ leges, quantum ejus
fieri poteſt, omnia definiant, & quam minimum relinquant judi-
cantibus* definiendum: & paucis interjectis, δεῖ ὡς ἐλαχίστων ποιεῖν
κύριον τὸν κριτὴν (*oportet in quam pauciſſimis relinquere dominum ju-
dicem.*) Quorum ratio ex allatis jam olim a nobis poteſt colligi.
Nam ſi legis eſt præcipua virtus dirigere, perfectio ejus erit o- 5
ptime dirigere: hoc autem fiet, ſi quam in pauciſſimis directio-
nem relinquat judici, & omnia, quousque poteſt, ſola dirigat.
Hoc vero impediet nimia illa univerſalitas ſubjecti, faciens mul-
ta de ſubſumptione ſingularium intricata litigia, & certamina,
a judicibus deinde diſcernenda. Neceſſe ergo omnino erit, le-
ges recte conformaturo, deſcendere ad ſpecies actionum infi-
mas iisque ſua prædicata, per quæ ad finem communem red- 6
dantur idoneæ, apponere. Non ergo dicet legislator: injuſtum
faciens, ex vitio agens, vel ex iracundia lædens aliquem, luet
pœnas. Ita enim quantis diſceptationibus feneſtræ aperientur.
Qvis ſe injuſte, vel ex vitio egiſſe, aut ex iracundia læſiſſe fate-
bitur? Potius ergo transeundo delicta orientia ex iracundia
ſingula, eorumque gradus, conſtituet pœnas debitæ proportio- 7
nis. Sic & contractus, negotiaque alia recenſens, qvæ ſint
officia partium, & qvæ contra juſtitiam ubique fiant, adſignabit
præmiis pœnisque, cum prohibitionibus, & imperio, adjun-
ctis. Ita enim per legem decidentur, quæ judicis arbitrio antea 8
indigebant. Hæ autem actionum humanarum ſpecies (id quod
inſpicienti eas quotidianus uſus infinitis exemplis probabit,)
tantas recipiunt varietates, tantis obnoxiæ ſunt mutationibus,

(b) 1. *Rhetor.* 2.

 oriuntur

oriuntur modo novæ, modo intereunt veteres, vel in alium finem diriguntur, aut mille circumstantiis variantur, ut mente eas compræhendere, nedum legibus, nulla ratione sit possibile. Cum hasce consentiente *Neratio* (c) finitas esse, ut memoria teneri qveant, utiqve velimus, illas vero infinitas prorsus esse
9 videamus. Unde ipsi Legislatores Romani (d) qvi tamen tanta nos legum copia obruerunt, nondum omnes casus decidi potuisse, sæpius conqueruntur. Neque id mirum: cum tot millia librorum, quæ veteres JCti antea ediderant, tot rescriptorum, edictorum, constitutionum, & responsorum myriades nondum suffecerint. Videmus ergo actiones humanas infinitas esse, adeoque intellectu non adeo commode com-
10 præhendi, legibusve determinari posse. Atque ita habemus secundum legum vitium, non tam Legislatoris, vel legum, qvam ipsius materiæ vitio obveniens. Id quomodo vitiet legem, & corrumpat, pariter apertum est. Facit enim certos casus legibus non compræhendi, seu actiones aliqvas sine modis suis atque sufficientibus ad finem directionibus relinqui.

Quod eidem auxilium ex interpretatione extensiva ferendum, & quænam ea sit.

1 III. Qva ratione jam vitium illud tolletur? An legislatione? Sane ea hoc fiet commodissime: neq; dubium est, ubi illa licet uti, & ipsius legislatoris voluntatem habere, eam præferendam (e). Sed nobis qvid JCto hac in parte conveniat demonstrandum est. Illius vero non est leges condere. Nihil ergo ei restabit, qvam ex legibus latis voluntatem Legislatoris etiam in hoc casu indagare. Id vero fiet, si caussas, qvibus inductus Legislator, similia, sive eandem rationem habentia decreverit, in-
2 vestiget. Nactus itaqve casum aliquem legibus non compræhensum, perlustratis iisdẽ, seligo casus alios, & imprimis similes meo, vel analogos certe, (ex iis enim verosimile est, me maximam voluntatis convenientiam consequi posse,) & inquiro caussas, quibus

(c) *l. in omni parte 2. ff. de Jur. & facti ignor.*
(d) *l. neque leges. 10. & l. non possunt. 12. ff. de ll. & adeas* Dd. Donell. *1. com.* 13.
(e) *l. tanta. 2. §. sed quia divina* 18. *C. de V. I. E.*

bus motus legislator, attribuenda hæc vel illa prædicata iisdem censuerit. Postmodo quænam harum caussarum etiam in nostro 3
casu locum habeat, & proportionem quoque inter eum & prædicatum alquod dictarum legum constituat, quæro, quam si invenio idipsum prædicatum, quod per hanc rationem alius casus habet, meo quoque casui attribui voluisse Legislatorem colligo, & illam legem in hoc meo casu locum habere propter caussæ identitatem concludo. Quod quomodo in singulis caussarum superius enu- 4
meratarum procedat, ulterius erit constituendum. Interim nunc constat, quæ interpretatio hic locum habeat. Extensio nimirum legis ad casus non compræhensos, sive extensiva interpretatio, quam alii *Intensivam, Ampliativam, prorogantem, progressionem, transgressionem, productionem, tractionem, porrectionem, suppletionem, repletionem, adeptionem, serptionem, ratiocinationem, collectionem*, & nescio quo non præterea nomine vocitantes (f) variis modis definitam reliquerunt (g) Nobis EXTENSIO ea vo- 5
cabitur, nomine usitatissimo, & rem maxime exprimente. Quippe cum legem ad ea, ad quæ proprie non erat lata, ex caussa voluntatis legislatoriæ extendat. Definieturque, Interpretatio tollens in legibus vitium insufficientiæ, per caussas earundem, trahendo sive appli- ad c. præc. §. 4.
cando legem ad casum expresse ea non compræhensum, ob caussæ identitatem.

 IV. Ex-

(f) *v. imprimis* Barthol. Cœpoll. *cap.* 1. *de interpr. jur. extensiva.*
(g) *vid. præter modo laudandos ad* § 5. *l.* Bald. *in l. si fumosis C. de nuptiis.* & *illum citantem Petr.* de Ravenna *singular.* 398. Forster. *de interpr. lib.* 2. *c.* 2. Everhard. *de ration. legislarga. Stephan de* Pheder. *part.* 1. *membr.* 1. *Constantin.* Rogerius *de interpret. juris parte* 5. & *seqq.* Coras. *de Jure Civili in artem redigendo. part.* 4. *cap.* 7. & *seqq.* Hunn. *de auth.* & *interpret. jur. part.* 2. *c.* 13. & *seqq.* & Cœpolla & Mattheus Matthesilanus *peculiaribus tract.*

Generalia ſuperius propoſita, denuo ex hoc principio demonſtrantur, & aliqua de extenſiva interpretatione univerſim adduntur. cap. 2. § 14.

IV. Exinde conficimus denuo Reg. 18. Cum enim omni legi id accidere poſſit, ut ad ſimiles caſus extendatur, ſi caſus oriatur ei ſimilis, quem ipſa compræhendit, conſequens eſt omnium legum cauſſas ut quærat extenſivam interpretationem exerciturus. Patet etiam hinc denuo, quod jam olim ſtatuebamus: non tam ſingulis legibus, quam toti earundem ſyſtemati & corpori ineſſe illud vitium. Neque enim hæc vel illa lex proprie poteſt dici vitioſa, ex eo quod caſus ille non ſit compræhenſus: ſed toti complexui illi & compagi legum deeſt aliquid, quo licet modo per interpretem ſupplendum. Equidem regeri poſſet: debuiſſe legis illius quæ extenditur ſubjectum concipi univerſalius, ut & hoc noſtrum compræhenderet. Sed ita fortaſſis illa univerſalitas, ceu innuebamus modo, obſcuritatem peperiſſet. Quod ſi vel maxime non contigiſſet, nec ullum imbecillitatis genus aliud, ſubjecto legis univerſalius formato in præſenti forte caſu: quia tamen in aliis id, & quidem plerisque, veluti diximus, univerſalitatem eam, quæ nos ab hacce legum imbecillitate prorſus immunes redditura ſit, tuituro, ſit omnino metuendum, liquet id vitium inevitabile poſiti vis juribus eſſe de ſua Natura. Licet aliquanto etiam culpa legislatorum, æque ac alia omnia, poſſit induci, vel augeri. Jam ut ad præcepta extendendi accedamus, obſerventur hic duæ illæ partes noſtræ definitionis: ex quibus potiſſimum omnes reliquæ regulæ huc pertinentes demonſtrabuntur. Prima eſt, quod ex cauſſa legis fieri diximus extenſionem. Si ergo (I.) Omnis extenſio fit ex cauſſæ identitate, Quæcunque extenſio fit ſine cauſſæ paritate, ea eſt reſpuenda. (h) Altera eſt, quod

Reg. 96.

(h) *v. Philipp.* Francum. *tract. de petitoriis n.* 17. 10. *Baptiſt. de* Villalobos. *Opinion. commun. litt. E. n.* 150. Everhard. *loco a ratione legis ceſſante, & reliquos modo nominatos.* Gabriel *lib. 6. concluſ. in limitat. Regulæ* Lex diſponens in uno correlator. habet locum in alio, *Ubi citatur gl. & magno numero laudantur* Ddres.

quod deficiente demum lege eam fieri voluimus. Ubi enim lex adest, extensione non indigemus. Et ubi voluntas Legislatoris est expressa, inepta est de ea conjectura, & contra Reg. 4. Si ergo (II.) Omnis extensio in defectu legis demum fit, ubi lex adest, merito ea reprobatur. Anteqvam ad specialia transeamus, addo aliam ad universam hanc materiam pertinentem regulam. Nimirum qvod (III.) Ex unaquavis caussa eousque debet extendi lex, quousque Legislator ex ea videbatur operaturus. Hoc enim est dicere idem qvod diceret Legislator, & non facere legem contra ipsius voluntatem, secundum præceptum Regul. 15.

Reg. 97.

Reg. 98.

V. Jam *ad singulas caussarum* modo inventarum *species* progredimur, neglecta iterum natura, & fortuna. Unde *totuplex Extensiva*, *quotuplex Restrictiva*, *superiori capite* dicta fuit *Interpretatio*, renascetur, similiter denominandis speciebus. *Prima* itaque sese offert *ratio legis*, *proprie ita dicta*, quæ *triplex* fuit probata. *Naturalis*, *Civilis generalis*, & *specialis* sive *statistica*. Harum & *communis natura ex Mentali superioris capitis interpretatione* deducenda, & *specialis singularum*, *ex speciebus* ejusdem, facile patet, attente superiora repetentibus, & ad modo datam Extensivæ interpretationis definitionem applicantibus. Qua industria Lectoris de hac arte solliciti præsupposita, brevitatis ergo, in universum prçcepta conjuncturus nunc sumatim de his tribus dico. (I.) Ubicunq; eadem ratio, ibi eadem est lex, nisi contraria legislatoriis voluntas pateat: per regulam proximam 98. Et in hoc tum leges Roma-

Ex ratione Naturali vel Civili, una, aut pluribus, quibus modis lex debeat extendi.

næ

næ exemplis, (i) & testimoniis (k) nobis adstipulantur: tum Doctores (l) omnes nobiscum una sentiunt. Imo ipsa veritas manifesta

festa

(i) *Instit.. de legit. patron. tutel. §. 1. ibi. pari ratione. Instit. Quibus modis jus patriæ pot. l. hæc autem* 20. §. 1. *ff. de adopt. l. si quis. 7. §. servi. 2. ff. de Jurisd. l. quædam sunt personæ. 9. §. nummularios. 2. ff. de edendo. l. nautæ. 5. §. 1. ff. Nautæ caup. & stabul. l. item veniunt. 20. §. ait Senatus. 7. ff. de hæred. pet. l. sed et si. 25. §. de eo. 5. h. t. l. et si pater f. 9. §. Hoc SCtum. 2. ff. ad SCt. Maced. l. si cum venditor. 66. §. 1. ff. de evict. l. regula. 9. §. & licet 5. ff. de Jur. & fact. ignor. l. oratio. 16. ff. de sponsal. l. si quis tutor. 60. §. quamvis. 5. de Ritu nupt. l. libertum. 64. §. 1. h. t. l. L. Julia. 4. ff. de fundo dot. l. posthumi. 3. de inj. rupt. & irr. l. 1. pr. de bon. poss. ex test. mil. l. 1. §. 13. & l. 2. §. 23. & seq. de SC. Tertull. l. si postulaverit. 22. §. eum qvi. 2. ff. de adulter. l. cap. quinto. 25. §. 1. h. t. l. sed sciend. 3. ff. ad. Pompej. de parricid. l. moris est. 9. §. sin tamen. 3. ff. de pœnis. l. f. C. de const. pecun. l. f. ad l. Falcid. & c. ubi vel expresse vel tacite ratio ad extensionem adhibetur.*

(k) *l. nam ut ait. 13. ff. de ll. l. illud quæsitum. 32. pr. ff. ad l. Aqvil. l. Gall. 29. §. & quid. 5. ff. de lib. & post. l. fin. C. ad L. falcid.*

(l) gl. & Dd. *ad ll. citatas, item ad l. tale pact. §. f. de pact. & ad l. si cum except. 14. § post annum gl. quoniam & rei, & c.* Bal. *in l. volunt. in fi. & ibi* Cynus. *C. de fideic.* Jas. & Dd. *com. in l. Titius. §. Lucius ff. de lib. & posth* Abb. *in c. nihil de elect. adde Th. de* Thomaset. *reg. 299* Curt. *sen. cons. 70. col. pen.* Dec. *cons. 50. & 301.* Alexand. *cons 36. n. 11. & seqq. lib. 6.* Paris. *cons. 50. num. 52. lib. 3.* Surd. *cons. 301. n. 19. & decis. 52. n. 10.* Honded. *cons. 4. num. 72. lib. 1.* Menoch. *cons. 484. n. 7. & seqq.* Calder. *cons. 147.* Donell. *1. comm. 13.* Colleg. Argentorat. *ad ff. de ll. th. 10.* Alfons. Modit. *in §. lex est. Inst. de J. N. & Civ. dubitat. 92. n. fin.* Portol. *de consortib. & fideicomm. legali. cap. 5. n. 14.* Molina *de Hispan. primogen. lib. 1. cap. 4. n. 24.* Cæsar. Argel. *de contradictore legitimo. q. 10. n. 115.* Mantica *de conject. ult. volunt. lib. 6. tit. 14. num. 21.* Ugolm. *de off. & potest. Episc. cap. 13. §. 27. n. 1. vers. quid igitur, & c. 49. §. 4. n. 2.* Petra *de fideicomm. qu. 5. n. 41 & seqq. Vinc.* Fuscar. *de fideicom. substit. qu. 460. n. 4. & seqq.* Knipschild. *de fideicom. c. 7. n. 100.* Galesius *de exercit. Jurisperit. lib. 1. num. 65. & seqq.* Gammar. *de extens. passim.* Alciat. *de V. S. lib. 2. Francisc.* Gallus *observat. lib. 6. cap. 21.* Forster. *de interpret. Jur. lib. 2. c. 3.* Coras. *de jur. civili in art. redig. lib. 4. cap. 8.* Phederic. *part. 1. m. 1.* Hunn. *part. 2. cap. 14. & seqq.* Vigel. *Meth. J. C. l. 2. c. 1. pr. ibique laudati* Turzan. *opinion. comm. 176. n. 2. & seq. & reg. 13. & 106.*

festa a nostra stat parte. Etenim quodcunque ipsum τὸ esse dat legibus, illud quousque se extendit, eousque & leges possunt extendi. Atque ratio cum voluntate legislatoris conjuncta, dat ipsum esse legibus, id quod probatum supra dedimus. Ergo id quod etiam ad rationum rationes, & ita consequenter porrigitur. Contraria vero voluntas hic iisdem modis quibus caussæ prioris voluntatis colliguntur: ex confessione nempe Legislatoris, & aliorum, & argumentis atque indiciis. (II.) Ubi ergo Legis- Reg. 100.
lator à ratione legis adscripta se abiisse testatur. Vel legem contra ipsam condendo, vel alio modo voluntatem indicando, ibi & ipse recedet JCtus, ex Reg. 98. Sic (III.) si ex aliorum testimoniis, sed locupletibus, & fide dignis, qualia jam antea ubique ea voluimus esse, pateat legislatorem aliud in aliis volu- Reg. 101.
isse, vel ex caussis contrariis processisse, ex ratione extensio definit. Quod si ex natura reliquarum caussarum id colligi debeat, apprime consideratis hic nobis esse convenit, ne sine fundamento, *cerebrina* uti ajunt Ddres *æquitate* mentem legislatoris pervertamus. Probe ergo quæ signa contrariæ voluntatis habeamus, est observandum, & ex circumstantiis, non quibusvis, ratio est deserta a Legislatore censenda. Ubi tamen contraria voluntas manifesta est, etiam ex ratione inhibenda extensio multo magis ex quavis alia caussa, ex reg. 15. & 98. Generalibus etiam superioribus addimus hoc. Quod (IV.) una- Reg. 102.
quæque extensio, ex caussa qualibet ces-

Franc. Vivius ab Aquila *comm. oper. lib. 1. n. 2. & seq.* Villalobos *D. 194. &c. infiniti.*

ſare debeat, ſi per eam lex vitio aliquo eſſentiali inquinetur: qualia quæ ſint, ex ſequenti capite patebit. Neque enim pro voluntate vitioſa, id eſt imprudentia legislatoris, ſed pro ſumma ejus prudentia ſemper eſt præſumendum. Reg. 7. In ſpecie ergo, Ex Ratione naturali ceſſat extenſio, ſi ea vel ſpeciali, vel generali politicæ incipiat enormiter adverſari. Cum enim hæ finem proprium Civitatis, cui leges ſuas ſcripſit legislator, intendant: haud facile eundem vel tollens, vel graviter impediens aliquid ſanciri ab eo poterit. Neque ejusmodi quidquam factum eſſe ab eodem eſt præſumendum, ex Reg. 7. & 98. Et quamvis rationem naturalem conſtet eum ſecutum fuiſſe in aliqua lege, quæ alicubi diſſentiat a ratione civili utravis, non erit tamen ea huc extendenda: ſed in iis retinenda, & cohibenda terminis, ne ad everſionem reipublicæ extendatur. De Politica ratione viciſſim quæritur: an & ea non ſit contra naturalem extendenda. Et vero (V.) niſi ſpecialiter pateat Legislatorem id voluiſſe, nec Civilis, nec ulla alia cauſſa, contra rationem naturalem extendetur. Patet autem voluiſſe eum, ſi finem habuit propoſitum diverſum ab optimo, & attenderit conſervationem reipublicæ injuſtæ. Et quoniam ratio naturalis dicit id qvod eſt juris naturæ, quod eſt honeſtum per ſe, imo qvod convenit pietati, & apud nos Chriſtianos, qvod veræ religioni: hinc ſequitur, absque expreſſa notitia & clara voluntatis legislatoris, non extendi contra jus naturæ: neque etiam

Reg. 103. Reg. 104. Reg. 105. Reg. 106.

con-

contra honeſtatem naturalem: (m) neque contra pietatem, aut religionem, (n) ullo modo debere. Quod ſi tamen expreſſe illud voluiſſe legislatorem conſtet, omnino JCto qua JCto id faciendum. Neque in hoc peccat, cum ipſi leges ex injuſtis juſtas facere, adeoqve mutare, & refigere non liceat. Reg. 10. & 15. Interim conſtat alibi demonſtrandum, quod hæ leges omnes per ſe ſint inanes, neqve obligatoriæ, cum neqve viro bono contra jus naturæ & honeſtatem imperanti alicui, neque probo contra pietatem, multo minus Chriſtiano contra religionem quid jubenti, obtemperare fas ſit: imo quivis horum mortem potius atrociſſimam oppetere, quam horum quidquam exequi debeat. (VI.) Contra ſpecialem porro rationem politicam, Generalis extendi non debet. Nam contra id quod illi reipublicæ prodeſt, cui leges ſcribuntur, nil ſtatuere legislator præſumitur. Hoc vero conſiſtit in ſpeciali ratione. (VII.) Specialem tamen politicam rationem extendi contra generalem nil prohibet. Nam ſuapte natura ei ut exceptio repugnat, & ei præſtat in hac republica. Quod (IIX.) ſi plures rationes ſint ejusdem legis proditæ, quam diu una earum durat, durat extenſio. Quæ enim ſingula ſola dant τὸ eſſe legi, ex iis ſingulis fieri poteſt extenſio. Id autem hæ faciunt ratio-

Reg. 107. Reg. 108. Reg. 109. Reg. 110. Reg. 111.

(m) *l. in his quæ contra. 15. ff. de ll.* Phederic. *de interpr. jur. part. 1. memb. 3. n. 59. & n. ultimo.* (n) *l. sunt personæ. 43. ff. de religios.*

(o) *v.* Vigel. *Method. l. Civ. part. 1. lib. 1. cap. 3. exc. 3 Meth. I. Pont. l. 1, c. 2, ex 3.* Curt. *Jun. conſ. 138. n. 5. qui comm. hanc dicit cum Jo. Bapt. a* Villalobos,

Reg. III. nes a Legislatore approbatæ. Ergo, Qvod (IX.) si tamen ipse Legislator ex conjunctis se valere demum velle legem ostenderit, etiam hic, sicut alibi, voluntati ejusdem interpres se submittet, ex Reg. 14. & 98.

Ex opinione, quibus modis lex extendatur.

VI. Hæc de ratione legis dicta sufficiant: consequens erit opiniones caussas legum contemplari, ut *opinativa Extensio*, ex iisdem facienda, suis quoqve præceptis instruatur. Sunt autem eæ vel veræ penitus, & convenient cum ratione, adeoque tota huc recidet consideratio: vel verò erunt analogæ vero, id est, in parte sui aliqua cum vero coincidentes, & Leges opinione mera Legislatoria nitentes (I.) extendentur eousque quo cum ratione coincidunt, vel ei non repugnant: nisi expresse ulterius fieri velle Legislatorem signa aut testimonia sufficientia, (quæ hic debent esse non imaginaria,) evincant. V. G. Sit lex fraudatorem annonæ capite plectens, quod ad rem frumentariam, quod ad cætera victus præsidia mulctans qvadruplo addita ratione Dialectica, jam Aristoteli notata: (p) ob cujus interitum magis dolemus, id est melius, & per consequens, eo privans civitatem gravius puniendus. Hæc equidem ratio hic procedit, quoniam indigentia in Civitate major est frumentorum quam vini, cui & aqua & alia decocta poterunt substitui. At si extendere hanc legem velis ad alia: exempli caussa, ad sapientiæ doctores, & nugivendos, eosque

Reg. 113.

comm. opinion. p. 292. (p) *lib. 3. Topicor. cap. 2.*

eosque ita comparare inter ſe tenentes, fortaſſis majore dolore horum quam illorum defectu plerique in Civitate ferent, adeoque hos abigenti, quam illos divexanti major pœna fuerit dictanda. Qvod injuſtum foret, & ridiculum. Ad rationem itaque hic reſpiciendum, cum eatenus ſaltim opinio legi revera, & eſſentialiter cauſſam det, quatenus cum ratione congruit. Quare (II.) Reg. 114.
Si falſa plane ſit, vel impertinens, & erronea opinio, (id qvod rarius prudens legislator fieri concedet) nulla fiet extenſio. Nam aut lex neque impedit, neque juvat reipublicæ conſervationem, aut vero eandem impedit. Nam tertium, ſcilicet ut juvet, non datur hoc loco, cum id ex ratione fiat. Si primum uſu veniat, lex erit ſuperflua, & ſuper re indifferenti, adeoque JCti cura indigna lata: ſi poſterius, non poterit ultra de imprudentia Legislatoris, atque ea expreſſa eſt, præſumi. Ita §. ſed hæc 5. *Inſt.* de exhæred. liberorum, ex rationis ſimilis in procreatione muneris muliebris cum maſculino petita, ſane cum nec ad jura faciat quidquam; nec adeo vera ſit forte, ſi phyſice examinetur, quod ad generationem, quod ad geſtationem in utero & alia vero etiam aliqua prærogativam quoque ſit fœminis vendicatura, extendi omnino à JCto rationabili non debebit. Quin potius rationem hac expreſſa etiam meliorem cum *Feldeno* diſp. 2. ad Inſtit. §. 14. aſſignare molietur ex reg. ſuperiori 56. Porro (III.) Si plures o- Reg. 115.
piniones conveniant, eodem fundamento juxta reg. 111. ex ſingulis lex ſecundum proportionem cum ratione extendetur, falſis neglectis. Quod ſi legem non niſi ex omnibus Reg. 116.
junctis valere Legislator voluerit, pro una o-

mnes habebuntur, & deficiente una deficere omnes existimabuntur.

Item ex appetitu, & affectibus Legislatoris.

VII. Ad affectus & appetitum dilabimur, unde *Affectuosa extensio* facienda. Qui rursus, ut expositum ante est, vel cum ratione aut opinione conjunguntur, & ex iis æstimantur: vel vero saltim inde participant aliquantulum, & pro ea parte dijudicantur, sicut ex Analogia rationis opiniones. Unde regula (I.)

Reg. 117. **Leges ex affectu participante aliquid à ratione, vel opinione, ortæ, pro ea parte extenduntur juxta ipsas.** Quod si plane ex mero affectu oriantur, plerumque oriuntur inde jura singularia, seu privilegia, dicta quasi privatæ leges, cum affectuum plerique in singularia ferantur, ut sunt amor, ira, gratia, misericordia, & similes. Quamvis neque inficiemur, ob rationem singularia jura indulgeri posse. Hæc ergo (II.) **jura singularia personis singulis seu partibus civitatis concessa, extra personas illas,** partesve Civitatis quibus concessa sunt, **non extenduntur.** (q) vide superius dicta. Quod (III.) si

Reg. 118.

contra

(q) *l. quia tale. 13. solut. matrim. l. cum patronus. 28. ff. de legat. 2. l. 1. §. & datur. 43. de aqu. quotid. l. exception. ff. de exception. l. 1. §. 1. ff. de jur. immun. l. in omnibus caussis* 86. *ff. de R. I. & l. privilegia* 196. *h. t. l. leges 3. C. de ll. l. maximarum. 19. C. de excusat. muner. 10. c. privilegium. 7. de R. I. in 6. & ad hosce textus* Dd. Bartol. *in l. Titia §. usuras, ff. de leg. 2.* Abb. *ad cap. ordinem. de rescriptis.* Barb. *in l. quia tale ff. solut. matrim. Joh.* Crot. *in l. omnes populi, ff. de J. & I. n. 129. Jo.* Igneus *in l. necessarios, §. non alias, ff. ad SC. Syllan. n. 389. Ægidius* Bossius *Crimin. tr. de Princip. num. 311. Anton. de* Buti *in cap. sane. de privilegiis*, Natta. *cons. 242. num. 1. T. 1.* Bellon. *cons. 51. n. 3. T. 1. Jac. Phil.* Port. *cons. 184. num. 4. T. 4.* Schrader. *cons. 1. n. 521. & cons. 14. n. 43. T. 1. Tiber.* Decian. *resp. 24. num. 19. vol. 2.*

contra rationem ſit affectus, ex quo lex orta eſt (id quod iterum raro fieri poterit) denuo nulla extenſio locum habebit. Reg. 119. Cum ceu dictum, pro imprudentia legislatoris, ulterius quam ea eſt clare expreſſa, non præſumatur, nec ſi in uno male egit, in aliis idem facturus exiſtimetur. Sic (III.) ubi plures affectus legi eidem præbuerint originem, niſi ſimul junctos eos Legislator voluerit, ſinguli eodem modo legis extenſionem producent. Reg. 120.

VIII. Ex his de conſuetudine & *Conſuetudinaria* interpretatione illi ſuperſtruenda conſtabit. Ex conſuetudine ejusdem. Nam (I.) conſuetudo, vel cum alia cauſſa erit juncta, & ex eadem dijudicanda veniet: vel rationi erit conſentanea, & ex analogia illa æſtimationem ſui conſequetur: Reg. 121. Reg. 122. vel vero (II.) rationi erit contraria, & extenſionem non admittet, idque eodem temperamento, ſive una ſive plures legi fuerint aſſignatæ, obſervando.

IX. De neceſſitate quoque & vi, illaque nitente *Violenta extenſione* res clara eſt. Ex neceſſitate. Quippe parem in modum ea ulterius ad

ſimilia

Card. Tuſch. *litt. P. concl.* 746 Tiraquell. *de retractat.* §. 26. *gl.* 1. *n.* 61. & *de jure primog. q.* 37. *n.* 1. *Anton.* Corſett. *ſingul. in verb. extenſ. num.* 3. Suar. *de legibus. lib.* 8 *cap.* 10. & 11. *Petr. Joh.* de Salas *de ll. diſp.* 17. *ſect.* 6. & 8. *Mar.* Antonin. *variar. lib.* 1. *reſol.* 109. *n.* 6. Cardoſ. *in praxi judicum & advocator. verbo privileg. n.* 4. Ludwell. *exercit. ad inſtit. diſp.* 8. *th.* 6. *litt. D. Chriſtoph.* Hentſcher. *de privilegiis* Manincor. *maxim. Jur. litt. I.* 55. & *P.* 89. Gail. *de arreſt. imper. q.* 2. *obſerv. pract. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 14 &c.

similia non extendetur, sed (I.) ubi eadem erit necessitas, eadem lex vigebit, non ultra. (r) Et sic si plures concurrant. Quod (II.) si necessitate cessante lex manserit, jam ex alia caussa ea retenta fuerit necesse est, ac propterea ex illa extensionis fundamenta accipiet. Interim quoniam hæ posteriores caussæ raro locum habent in legibus, breviores merito in explicandis iisdem esse debuimus.

Reg.123. Reg.124. Reg.125.

Generalia de extensione, & circa eam necessaria cautela, & contingentibus erroribus, & difficultate majore, quam in Restrictione.

X. Atque hæc de singulis caussarum speciebus satisfacere nobis debent. Nunc *generalia aliqua* ex hisce colligemus superioribus addenda, quando nunc demum ex specierum collectione spectatarum inter se collatione nobis innotescunt. Primo itaque videmus, quam (IV.) necessaria sit JCto cautela sedula in hac interpretatione partibus prudentiæ reliquis, alias omnino hic ut in qualibet alia interpretatione, imo alicujus momenti operatione omnino quam exactissime præstandis singulis, & universis. Æque enim hic atque in restrictione, etsi permutatis vicibus, errores gravissimi contingunt. Etenim si omittatur extensio, desinit lex ubi esse debebat, si adhibetur in dispari caussa, fit lex ubi fieri non debebat. Oportet itaque Regulas dictas recte novisse, & ad singularia applicare. Quamvis neque hic omnis error adeo exacte removeri semper possit. Nam in singularibus aliquando latere poterit aliqua circumstantia, quæ nulla prudentia indagari queat: & tamen dissimilem casum faciat, tollens caussæ paritatem. Ibi ergo extendens JCtus, legem ubi non debebat faciet. Sed

Reg.126.

(r) *l. quæ propter necessitatem* 162. *ff. de R. I. v.* Giphan. *de R. I. c. in argumentum,* 78. *de R. I. in* 6. *& hic. Dd.*

Sed & hic nullum JCti, nec Legislatoris, sed materiæ vitium esse
apparet; prouti circa Regul. 95. præmonuimus. Hoc quoque
ex hactenus commemoratis reddi potest perspicuum: cur nempe
à casu ad casum facilior sit, ceu Ddres (f) ajunt, Reg. 127.
quam à persona ad personam extensio.
Scilicet in personis multæ circumstantiæ facilius latent, imprimis
eæ quæ ex intentione animi, cujus difficillima & maxime anceps
est probatio, descendunt. Dein quædam jura ex Reg. 118. ita per-
sonæ cohærent, ut extra eam locum non inveniant. Porro &
hoc conspicuum est conferenti Extensivam cum restrictiva in-
terpretatione, quod facilior sit restrictio exten- Reg. 128.
sione. Nam in illa, caussa legis inventa, quæcunque ea sit,
an casui dato insit nec ne, solummodo lustramus, & si non insit,
sed cesset, continuo legem cessare asserimus. In hac vero caussam
indagatam videntibus in casu proposito locum utique habere,
nondum tamen extendere concessum est: sed antea circumspi-
cere non perfunctoria curiositate oportet, an contraria Legisla-
toris voluntas probari, vel ob exoriens legis vitium, & impru-
dentiæ argumentum præsumi queat. Quæ ipsa consideratio sæ-
penumero non adeo in proclivi est. Denique collatis inter se invi-
cem iis quæ de singulis caussarum speciebus, & ex illis oriente
extensione diximus, facili negotio inde concludimus universalem
hanc Regulam. [V.] Omnem videlicet Extensio- Reg. 129.
nem legum ex sola legis ratione potissimum

(f) Decius *in l. illam. n. 11. C. de collat. & cons* 211, *n. 5. cons.* 218. *n. 9. cons.* 291. *circa fin. cons.* 377. *n. 3. cons.* 697. *num.* 15. *Tiber.* Decian. *resp.* 60. *n.* 45. *lib. 3.* Jason. *cons.* 128. & 220 *lib. 2.* Socin. *jun. cons.* 176. & 185. *lib. 2. Rolan.* à Valle *cons. 94. n. 20. lib. 2.* Aret. *cons.* 74. *n.* 3. Paris. *cons.* 63. *n. 12. & cons.* 66. *n.* 5. *lib.* 3. *&c.* Menoch. *cons.* 315. *n.* 6. *& seqq. cons.* 326. *n. 18.* Knipschild *de fideicomm. cap. 7. n. 106.* Forster. *de success. ab intest. lib. 3. c. 23. n.* 20. *&c.*

dependere, ex eaque terminos ſuos, quos ultra citraque ſubſiſtere nequeat, adipiſci. Cæteræ quippe cauſſæ vel rationi repugnant, & extenſionem nullam pariunt, ex regg. 114. 119. & 122. vel vero ei ſubalternantur, ſeu de ipſa participant, & omnem inde ſui menſuram accipiunt, ex reg. 113. 117. 121. & 125. vel denique nullam cum ea communionem, vel repugnantiam habent, & in-

v. §. 7. h. c. differentes, & nomen vix tuentes leges, adeoque JCto parum attendendas generant. Ut ita ſolam rationem in extenſionibus legum faciendis reſpexiſſe propemodum ſufficiat. Dico propemodum, patet enim ex dictis, quandoque opiniones, & reliquas cauſſas etiam ſine ratione attendi debere.

Æquitas, quod etiam in extenſione attendatur, idque & ex mente Ariſtotelis, cujus textu fuſe enodato, ex ipſa rei veritate fit deciſio.

XI. Coronidis loco antequam ab hac materia abeamus, adjungere lubet quæſtionem non inelegantem, &, ni fallor, hactenus nemini ante deciſam, quæ & huic loco non inopportuna, & intelligendis dictis, & nobis, & Ariſtoteli (t) ubi de æquitate præcipue agit, multum erit accommodata. Nimirum quæro: an ex illa juris extenſiva interpretatione perinde, ac de reſtrictiva docuimus, æquitatis habitus reſultet; ſive an extendendo voluntarie & prompte, & juri inde orto ſe ſubmittendo æqvi dicamur. Et ſane, quidquid hactenus alii ſenſerint, ſi rem ipſam ſerio intuemur, non aliter habere ſe videtur. Quin & Tullius hic conſentit,

C. præc. §. f. (u) ubi ait *Valeat æquitas, quæ paribus in cauſſis paria jura deſiderat:* & verba Philoſophi ſuperius adſcripta, hunc ſenſum optime tueri poſſunt. Nam & hoc vitium, quod inſufficientiam dicimus, exinde oritur, quod univerſales leges, & finitæ eſſe debent, actiones vero hominum ſunt infinitæ: & eodem pacto hic atque ibi, *quando loquitur lex univerſaliter, accidunt vero aliqua præter illud univerſale, tunc recte agit* (interpres extendens) *qui in eo quod omiſit Legiſlator, & in quo peccavit, ſimpliciter loquens, corrigit omiſſum, ita ut Legiſlator loqueretur, ſiquidem præſens ibi eſſet, &* quem-

(t) *5. Nicom. 14. & 4. Eudem. 8.*
(u) *in Topicis, apud* Donell. 1. *comm.* 14.

quemadmodum si scivisset. (illum casum qui ortus est) *legem super eo tulisset.* (x) Unde quamvis hanc interpretationem una compræhendere debuerit, manebit tamen æquitas *correctio legum quatenus deficiunt propter universalitatem.* Egregie vero etiam quadrant sequentia. τοῦτο γὰρ αἴτιον, καὶ τοῦ μὴ πάντα κατὰ νόμον εἶναι, ὅτι περὶ ἐνίων ἀδύνατον θέσθαι νόμον, ὥστε ψηφίσματος δεῖ. τοῦ γὰρ ἀορίστου ἀόριστος καὶ ὁ κανών ἐστιν, ὥσπερ καὶ τῆς λεσβίας οἰκοδομῆς ὁ μολύβδινος κανών. πρὸς γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ λίθου μετακινεῖται, καὶ οὐ μένει ὁ κανών. καὶ τὸ ψήφισμα πρὸς τὰ πράγματα. (*Hæc enim caussa est cur non omnia secundum legem sint,*) lege sint compræhensa, rectius habet Dionys. Lambinus, & interpretatio Basileensis Anonymi Eudemiorũ) *quod de quibusdam lex ferri non potest. Plebiscito igitur opus est. Rei enim infinitæ infinita quoque regula est, ut & structuræ Lesbiæ regula plumbea est. Nam ad lapidis figuram inflectitur, & non manet eadem regula. Sic & plebiscitum ad res.* (novas orientes, vel mutationem patientes mutatur.) Sed scrupulum injecturum videtur illud quod subnectit. ὁ γὰρ τῶν τοιούτων προαιρετικὸς καὶ πρακτικός, καὶ ὁ μὴ ἀκριβοδίκαιος ἐπὶ τὸ χεῖρον, ἀλλ' ἐλαττωτικὸς ὑπερέχων τὸν νόμον βοηθόν, ἐπιεικής ἐστι. (*Nam qui proponit sibi consulto, & agit talia, & non est summi & accurati juris sectator.*) non est juris interpres in sua caussa durior Lambinus & Basileensis recte, (*in pejorem partem, sed diminui jus suum patitur, etiamsi legem habeat auxiliantem, is est æqvus,*) quo & pertinent illa ex Magnis moralibus, (y) ὁ ἐλαττωτικὸς τῶν δικαίων τῶν κατὰ νόμον. (*qui jus suum imminui patitur quod per legem habebat.*) Hæc enim omnia ad restrictivam interpretationem solam videntur pertinere, quæ a jure summo aliquid diminuit. Verum æque de jure suo diminui patitur, qui extensionem legis inopinatam, ubi lex non erat lata, tolerat, atque qui restrictionem ejusdem suffert. Et hunc quoque sensum admittunt sequentia. ἃ γὰρ ὁ νομοθέτης ἐξαδυνατεῖ καθ' ἕκαστα ἀκριβῶς διορίζειν, ἀλλὰ καθόλου λέγει, ὁ ἐν τούτοις παραχωρῶν, καὶ

(x) *v. gl. fin. l. tale pactum §. fin. ff. de pact.* Angel. *conf. 249. col. 1. in fin. Jason. in l. Titius. §. Luci 9. col. 2. 3. 4. ff. de lib. & posth. & conf. 41. col. fin. vers. 2. vol. 3. Rom. conf.* 439. *col. 1. in f. v.* 4. Decis. Neapolit. *69. n. 20. &c. citatos a* Gabrielio. *communium conclus. lib. 6. concl.* 10. *&c.* (y) *lib. 2. cap. 1.*

πάνθ' αἱρούμενος ἃ ὁ νομοθέτης ἠβούλετο μὲν καὶ καθ' ἕκαστα διορίζεται, οὐκ ἐδυνήθη δέ, ὁ τοιοῦτος ἐπιεικής ἐστι. (*Nam quæ Legislator non potuit ſingulatim accurate definire, ſed univerſaliter dicit, in iis quisquis ſuo jure cedit, illud ſumens & recipiens quod Legislator voluit quidem ſingillatim definire, ſed non potuit, is eſt æquus.*) Quæ omnia quam egregie conſonent videmus. Sed nos quidem qvid Ariſtoteles ſenſerit, non nimium nunc ſolliciti, (neque enim hic ejus agemus interpretem:) contenti erimus rem ipſam decidiſſe. Minime itaque differre diximus illum habitum, quo quis inſtructus jus quod ex reſtrictione oritur, vel quod ex extenſione prodit, lubens & promptus atque haud gravate recipit, nec accuratione nimia in pejus, ideſt iniquum legem cupit interpretari. Ipſos qvoqve habitus Interpretationum huc pertinentium, in aliquam multis imo plerisque ſuis operationibus parum differre videmus, cum & in cauſſæ indagatione conveniant, & applicatio parum diſtet, & eadem incommoda ex neglectu alterutrius, etſi contrariis modis, ſcaturiant atque promanent. Quod itaque & circa extenſionem ſit æquitas, & ſecundum æquitatem ſit extenſio facienda, & hinc JCtus perfectus æquus eſſe debeat, demonſtratum habemus. Ut ita optime ſibi conſtet illud, & legibus Romanis, & earum Doctoribus familiare dictum. (z) *Ubi eadem æquitas, ibi idem jus eſſe debere*, quamvis idipſum de exceptionum quoque extenſione poſſit intelligi, de qva in Appendice nonnulla ſubjungendi dabitur occaſio. Nunc illud etiam notamus: illuſtrem *Feldenum* plane ſimiliter *Ariſtotelem* ſuum hic intelligere atque interpretari Tr. de Interpr. part. 2. lib. 3. præf. §. 6. p. 962. & 963.

(z) *v. l. ſi cum venditor. 66. §. 1. ff. de evict. & gl. ad §. 1. Inſtitut. de legit. patr. tutela. & ad §. ſi igitur gl. f. Quod cum eo qui in al. pot. item ad l. fin. C. de conſt. pecun. & ad l. licet. C. de excuſ. tutor.*

Additio XII.

De Concursu Extensionis & Restrictionis.

ILlud etiam admonitione non indignum hic videtur, nec inutile futurum: quod & prima auditione docentis id universim, & multo magis in praxi occurrens, primo intuitu admirabilitate sua perplexum reddere Interpretem facile possit. Quandoque nimirum *contingere, ut eadem Interpretatio,* certo respectu, *sit extensio,* certo vero *etiam restrictio legis ejusdem,* vixque pateat utro nomine magis sit digna. Id quod in compositis propositionibus adeo cunctis, ut & iis, quæ à Logicis exponibiles vocantur, & revera non sunt simplices, sed compositæ propositiones, ob crypsin, sive occultationem oratione minus Logica factam, instar simplicium sese incautorum judicio sistentes. Ita cum conditione, limitatione, exceptione, restrictione, exclusione præcipiens aut vetans lex, conditionis illius, aut limitationis, exceptionis, restrictionis, vel exclusionis ratione cessante, ultra illam extendi, ipsa vero illa limitatio &c. cessans restringi recte dicitur. Quod iis, qui resolvere tales propositiones, & Logica oratione, semotis occultationibus, concipere norunt, solis licebit plene intelligere, ac qualiter legis quamque partem afficiat vel exceptio, vel extensio, pronunciare. Vide quæ de Resolutoria sive Analytica Interpretatione dicuntur *cap.* VI. §.7.

Caput VI.

De Reliquis Juris Defectibus, qui evitari à sedulo Legislatore possunt, prout singulis perfectionis partibus opponuntur,

tur, ſive ſint emendabiles JCto, ſive inemendabiles: deque illorum medelis, INTERPRETATIONE videlicet triplici IMMEDIATA METHODICA, cujus pars SUMMARIA, ANALYTICA, cujus pars HETEROGENIA multiplex, & CASUALI.

SUMMARIA.

1. *Continuatio.*
2. *Juris vitia in numero legum poſita.*
3. *Alia ex neglecta partium diſtinctione orta.*
4. *Ex confuſione orta alia, & eorum emendatio, per interpretationem* Methodicam: *& quæ ea ſit, ac quibus præceptis obſervatis facienda.* Summaria *quomodo pars ejusdem.*
5. *Diſſonantia legum.*
6. *Legum ſingularum defectus: & primo facientes legem non eſſe propoſitionem.*
7. *Quinam faciant legem eſſe plusquam propoſitionem, deque remediis eorum,* Analytica *nempe, &* Heterogeneis *Interpretationibus, & quæ illæ ſint.*
8. *De facientibus legem propoſitionem imperfectam.*
9. *De nimia ſubjectorum univerſalitate: deque interpretatione* Caſuali *hic adhibenda.*
10. *Legis defectus ex conſenſu.*
11. *Directionis vitia qualia ſint, & quod ex imprudentia oriantur.*
12. *De fine legum ab optimo recedente.*
13. *De vitiis mediorum, quod ad facultatem vivendi ſecundum leges.*
14. *De vitiis mediorum cobibentium, ſive cogentium voluntatem.*
15. *De indicatione legum, ſeu promulgatione duplici: per ſcripturam, & per conſuetudinem.*

I. Abſol-

I.

ABsolvimus vitia duo legum primaria, & nativa: eorum- 1 Continuatio.
que tollendorum præcepta in regulis Restrictivæ & Ex-
tensivæ interpretationis ordine convenienti exposuimus.
Quæ quidem adeo hactenus difficilia visa fuere, ut pau-
cissimi confusas aliquas de iis quæstiones, & assertiones proferre
ausi sint: quas tamen magna ex parte inanes, & falsas in *Appen-*
dice conspiciemus. Alii (a) non minoris ingenii & famæ viri, 2
quo aliqvod excusationis velum pudori suo obtenderent, dum in
aliis minus intricatis materiis occupati, hasce omnium communi
consensu principes, & fundamenta cæterarum continentes silen-
tio prætermitterent: non doceri eas per præcepta posse, persua-
dere nobis annisi sunt, adeoque exemplis contentos nos esse vo-
luere. Inter quos etiam offendo Franciscum Duarenum, (b) de 3
extensione, in qua tamen prolixiores pleriq; quam in restrictione
sese exhibuere, hisce verbis differentem. *Id enim judicandum*
est ex lege esse, quod etsi nec scriptum, nec forte cogitatum est à Legis-
latore: verisimile tamen est eum, si consuleretur, dicturum esse. In-
stit. de legit. patron. tutel. *Quemadmodum autem id fiat, facile non est*
in universum definire: sed exempla varia, quæ legentibus passim obvia
sunt in Pandectis, vice præceptionum homini non hebeti esse possunt.
Ita se fumus ille JCtus expedivit Puto tamen nos satisfecisse aliquo- 4
modo judicibus æquis atq; doctis quibusq;, universim ista pertra-
ctando, regulisq; suis distinctis ordinando. Id quod eo magis cuiq;
patebit, si *exempla* illa omnia *in* ipso *Jure Romano*, ejusque fusissi-
mis Interpretibus, secundum exposita nostra principia examina-
re, & veritatem illorum exinde deducere, ac falsitatis fun-
damenta depræhendere se posse experiatur. Imo si juxta ea- 5
dem salebrosam *de fictione juris doctrinam* (c) examinaverit.
Quippe

(a) Rom. *in l. si vero §. de viro, ff. solut. matr.* Alciat. *de V. S. lib.* 1. *n.* 50. Althus. *dicæol lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 13. Offred. *in summ. de V. S. n.* 7. *&* 8.

(b) *In comment. ff. de ll. & SCT. c.* 9.

(c) *de qua vid. præter alios.* Hopper. *de arte Juris lib,* 2. Giphan. *comm. de R. I.*

Quippe quæ hinc omnem explanationem ſuam acceptura eſt. Dum enim lex fingit hoc vel illud eſſe, V. Gr. poſtliminio reverſum a civitate non abfuiſſe, dicit eandem juris rationem eum obtinere, acſi non abfuiſſet.
6 Qvin & patent *fundamenta citationis ex argumento legis*: *quæ* ad modum omnibus de Jure ſcribentibus familiaris eſt. Qvoties enim ex cauſſa vel ratione legis, non ex ipſa lege aliquid deductum volunt, arg. l. id probari dicunt. Qua de re vide cum primis Joannis *Merceri* Opinionum & obſervat. lib. 1. c. V. totum hac de re agens, at non ultra dialecticas ratiunculas, omni demonſtrationis mentione vel
7 ſola intermiſſa, juvenes ablegantem. Imo ipſa ratio legis argumento legis citatur. Unde & *ratiocinationem*, cum *Cicerone*, extenſivam interpretationem, item *collectionem*, cum aliis modo
8 laudatus ille *Franciſcus* amat appellare. Etſi non diffitear, aliam
hoc c. §. 7. quoque dari ab hac diverſam ita citandi rationem, cujus ipſius fundamenta quoque *mox* detegemus. Interim nunc de binis illis inevitabilibus vitiis legum expediti, reliqua quoque quæ etſi
9 præcaveri poſſunt, interdum tamen ægerrime evitantur, recenſebimus. Ea namque eſt rerum humanarum varietas, & inconſtantia, ea intellectus noſtri imbecillitas, ut labe nulla aſpergi interdum non poſſit. Unde Imperator (d) *In nullo aberrare, ſeu in omnibus irrepræhenſibilem, & inemendabilem eſſe, divinæ*
10 *utique ſolius, non autem humanæ conſtantiæ eſt, ſeu roboris.* Quibus ita poſitis, cum nullo modo aliquid magnopere huc faciens nobis negligere decretum ſit, ſecundum partes perfectionis ſupradictas, omnes inde pullulantes imperfectiones oppoſitas enumerare conabimur: exordio a jure in genere facto, in legi-
11 bus ſingulatim ſumptis earumque partibus deſinentes. Exponemus autem omnia illa breviſſime, & ſummam ſaltim rei indicantes; imprimis eorum defectuum, qui legis eſſentiam læ-

dentes

lib. 1. cap. 10. Angel. Mattheac. *de via & rat. jur. lib. 1. c. 20.* Everhard. *loco à vi fictionis & ibi citatos.*

(d) *l. de lit. nobis* 3. *§. ſi quid autem* 13. *C. de V. J. E.*

dentes, fine ejus mutatione tolli nequeunt, adeoque faltim ne per interpretationem inducantur a JCto, funt confiderandæ. Il- 13
lis vero quæ emendationem a JCto recipiunt, fpeciem interpretationis, ac modum pariter, qua poterimus accuratione adjungemus.

II. Ut a communioribus, ceu promifimus, exordiamur, agmen ducant ea, quæ *juri*, five *legum complexioni* infunt. Quorum *primum in numero* confiftit vitium, qui & *defectu*, & *exceffu* peccare poteft. *Defectu* vel peccat ex culpa materiæ, five actionum, quas omnes dirigi non poffe in fpecie, jam dedimus demonftratum: vel vero ex culpa legislatoris. Id quod fit, vel dum *univerfaliter* ille *nimis leges* concipit, adeoque paucis legibus omnia complecti cupit, qui error cum in fingularum propofitionum fubjectis præcipue confiftat, in convenientiorem locum, quo de iis agetur, eft differendus: vel vero dum ex negligentia, & incuria, actiones plures, quam par erat, fine affignatione prædicatorum, five fine directione relinquit. Et hæc labes eo erit major, quo illæ actiones magis ad finem pertinent, focietati, cui leges feruntur, comunem, adeoq; illarum omiffio fumi boni adminiculum majus demit, quoq; magis in eadem frequentantur. Quam autẽ proclivis fit in hunc errorem Legislatori lapfus, copia illa nimia actionum, per fe fugiens, imo fuperans vim intellectus, obfcurum effe non patitur. Nihilominus cum plane eadem, five ex culpâ legum, five condentis eas, orta infufficientia, jus deformet: eadem quoque interpretatio extenfiva utrivis ex æquo medebitur. Paucitati *legum è contrario copia* opponitur, quæ videri poterat legibus ineffe non poffe, utpote quas innata laborare infufficientia pofuimus. Cæterum in difcretis partibus difcreta hæc vitia hærent, & dum defunt neceffaria, fuperflua abundant. Quod fit, quando actiones aut non amplius exiftentes, aut non exftituræ, aut per fe indifferentes, & ad finem nihil quidquam facientes, operofa directione onerantur, iis è contra quæ dirigi attinebat, omiffis & neglectis. Quem errorem ex imprudentia legislatoris oriri apertum

Juris vitia in numero legum pofita.

C. præced. §. 6.

hoc C. §. 9.

eſt: cumque ſine abrogatione vel mutatione non corrigatur, neque JCtum ei ſufficere liquet: quippe quem juris partibus manentibus citra mutationem imbecillitates earum vel ſingularum, vel univerſarum, tollere debere ſtatuimus. Reg. 10. Et quamvis ſingulis legibus vitium illud inutilitatis inhæreat, totum tamen inde corpus, dum partes ſuperfluas nanciſcitur, deturpari, manifeſtum eſt. De *repetitione* vero *legum* earundem multoties facta: cum ea non niſi ſcriptum jus turbare poſſit, ſuus erit *in ſequentibus* proprius dicendi accommodatior locus. v. c. IIX.

Alia ex neglecta partium diſtinctione orta.

III. *Partium juris diſtinctio* ſequitur: quæ vel *majorum* eſt, vel *minorum*. *Hæc* turbatur, ſi *leges plures* vel earum partes, *ſeorſim* ab invicem *collocandæ conjungantur*, & connectantur: ſive erga ſe mutuo rationem aliquam ſeu proportionem Syllogiſticam habeant, ſive non. Hic caſus, cum legem propoſitionem non amplius faciat, denuo ubi de propoſitionis defectibus in lege diſpiciemus, repetetur. Majores claſſes vel partes legum ſi confundantur, ſeligi illæ, & ſeparatim a JCto proponi poterunt: cum hac ratione legis eſſentiæ nihil depereat, & collocationis ſaltim, ſeu ordinis ratio vitietur. Unde cum hæc res *methodum requirat*, per quem corrigatur, proximus de ea ſermo etiam illius emendationem complectetur. hoc C. §. 7.

Ex confuſione orta alia, & eorum, emendatio, per interpretationem Methodicam: & quæ ea ſit, ac quibus præceptis obſervatis facienda.

IV. *Confuſionem vitium* eſſe *legum*, & *ante* probavimus, & doctiſſimi quique fatentur: deque ea in jure Romano interpretes affatim *queruntur*, quos inter & *Rittershuſius* (e) in Novellis eam imprimis agnoſcit, & *alii* alibi ac in univerſum omnes, quotquot in artis formam illud redigere conantur, plus nimis, experiuntur. (f) Hanc tollit methodi introductio, quam Methodicam interpretationem propterea nuncupabimus, 1 c. III. §. 16.

(e) *præfat. in Novell. cap. 5.*

(f) *v. Angel.* Mattheac. *de via & rat. jur. lib. 1. cap. 27. 28. ibique* Toloſanum Connanum, Budæum, & Donell. *in principio commentariorum*. &c.

bimus, definiemusque, Interpretationem quæ confusionis in jure vitium emendat, in ordinem scientiæ simillimum idipsum redigendo. Patet autem (I.) JCti esse ordinem hunc in jus eo destitutum inducere. Nam quæcumque imbecillitas legum tolli potest sine mutatione, eam JCtus inducet. Atque hæc potest. Sicut enim in Decalogo quodcunque præceptum præmittas, nullum exinde minus obligabit: sic in jure Romano, aut qvovis alio, quamlibet legem præposueris, nulla propterea lex esse desinet, vel imperfectior inde fiet: interim si concinno omnes ordine collocentur, totum systema pulchrum, & laudabile reddetur.

Summaria quomodo pars ejusdem.

3 Reg. 130.

Quod vero & hæc juris conformatio temere cuivis non sit committenda, ne sub specie ordinis alia atque alia confusio oboriatur, per se constat. 4

Nos de JCto, hoc est apte & concinne, atque prout debet, idipsum agente, sermonem instituimus. *Quem in modum* autem *jura positiva debeant ordinari* quæritur. 5

Et nondum eundem satis constare JCtis, vel inde licet colligere, quod tot systemata, compendia, œconomiæ, methodi, partitiones, & aliæ ordinationes Juris Romani, toto inter se cœlo diversæ, indies majori numero vulgantur. Methodus autem optima est una sola. Dixímus 6

eam esse scientiæ similem. Ex Analyticorum igitur parte ea, quæ de ratione docendi, & componendi scientiam jam inventam tractat, erit addiscenda. Philosophus enim postquam habet hujus vel illius singularis caussam, quærit an ea & pluribus insit & ita ad universalissima per definitiones subjectorum & prædicatorum investigatas ascendit, ac tandem in principiis sistitur, quæ vel sunt proprie ita dicta, & ulterius probari nequeunt, sed intelligentiæ habitu dijudicantur: vel ita certo respectu nominantur, qvatenus in ea scientia, in qua tunc Philosophus versatur,

nequeunt demonſtrari, ſed in alia probationem ſuam accipiunt, & hypotheſes dicuntur. Ubi ad hæc univerſalia deventum eſt ab iis rurſus dividendo ad maxime ſpecialia per gradus deſcendit, & ex ſuis principiis, unicuique gradui peculiariter inhærentia demonſtrat, V. Gr. primo qvæ corpori, dein quæ viventi, dein quæ animali, tandem quæ rationali inſint, & ſic de cæteris: idque agit, donec ad infimas ſpecies, unde proceſſerat, revertatur. Ita enim & ipſe nullam a ſe ſcientiæ partem omiſſam certius cognoſcet, & ordine optimo & compendioſiſſimo
8 quæ cuique per ſe, vel per aliud demum inſint exponet. Jam in poſitivo jure id facturus alia nonnulla præterea obſervare debet. Nempe quod hic multa ex ſpeciali politica ratione oriantur, quæ ſub ſcientiam non cadit, ſed prudentia eſt, & propria tamen JCto Reg. 87. Item quod multa ex aliis cauſſis, quam ex ratione, ſint derivanda, neque ex una ratione, ſed
9 ea duplici naturali nempe, & politica, leges deducantur, adeoque ad diverſas ſcientias pertineant. Ex his itaque debet intelligere JCtus, quod ſcientificum plane ordinem, in jure poſitivo Civili, aliove quodqvod illud ſit, ſervare nequeat. Adeoq; qvod qvam ſimillimum eidem conformans, ſuo officio
10 Reg. 131. ſatisfaciat. Primo itaque Legum rationes, quatenus dantur, aſſignatas habens, quæret ſemper annon univerſalius ſubjectum, quam lex habet, conſtituere poſſit. (Id quod *Summiſtas* ex parte aliqua tentaſſe videmus,) & an in id ſubjectũ conſentiat Legislator quod ex ſupra propoſitis indagabit. Hoc ſi procedet, donec ad principium aliquod deveniat, habebit quoad illam partem ſcien-
11 Reg. 132. tiam legum ſuarum. (II.) Ubi vero receſſiſſe à ratione Legislatorem, ex ſupra propoſitis Regulis, cognoverit, cauſſam illam quatenus rationi

con-

conformis eſt, & ſubjecta, ſive quatenus
materiæ illarum legum cum prioribus conveniunt,
vel iisdem compræhenduntur, ordinabit ad inſtar ſcientiæ, ab univerſalioribus
ad ſpecialiſſima deſcendens. Ita enim ſcientiæ quam ſimillimum corpus conficietur, & jus poſitivum dici
poterit in artis formam, quatenus ejus capax eſt, deductum. Quod 12
vero hoc jus in artem redactum priori illi auctoritate prævalere
debeat, non affirmaverim. Quinimo ſaltim indicis vicem præſtare hanc diſpoſitionem novam, & memoriæ atque ſubſumptioni facilitatem parere, in propatulo eſt: de cætero vero non niſi
quatenus exactiſſime priori illi juri congruit, poteſtatem ullam
obtinere. Quo circa illud etiam hic monendum eſt quam maxi- 13
me. Neceſſarias hinc methodicæ Interpretationi definitiones
non magis, quam diviſiones, abire a mente Legiſlatoris debere:
ſed easdem, ſive concordent rationi optimæ, ac veritati philoſophicæ, ſive minus, qualescunque in mente Legiſlatoris vel implicite conceptas, nedum legibus expreſſas diſerte invenerit, retineri omnino debere, ni mutatum jus ac diverſum loco interpretationis dare velit. Vide quæ hanc in ſententiam *præfatio Inſtitutionum Juris Juſtinianei reconcinnatarum* noſtra habet. Poſſit ve- 14
ro & hujus Interpretationis ſpecies, certe pars recte ſtatui,
ſummaria Juris Interpretatio, ſive illa qua univerſalior propoſitio legis pro ſpecialiori, vel ſingulari plane ſubſtituitur. Quoties nempe vel caſus ſingularis alicujus interpretatio, vel deciſio loco legis proponitur. In quod *in jure civili Romano perfrequens* eſſe, vel leviter illud intuenti patet. Unde peculiaris ille ſummiſtarum labor, de quo in JCto Romano germanico delineatione nonnihil iterum

15 dicetur ſpeciatim. Nunc generatim illud præmonuiſſe ſufficiat, Quod ea ſummarum ſive univerſalium propoſitionum formatio pro ſpecialioribus, aut individuis locum habebit *dupliciter*. Nempe *primo* quidem *quoties ſubjectum* ponitur in hypotheſi, aut caſu ſingulari vel certe *ſpecialius* coarctatum citra neceſſitatem, & mentem Legislatoris toties remotis illis limitantibus, aut ſubſtituta univerſali notione Lex ampliabitur. *Deinde* vero *quoties prædicatum fuerit* juſto conceptum *ſpecialius*, idem fieri queat. 16 Horum *prius frequentiſſime*, *poſterius raro*, *utrumque vix uſu venire* depræhendetur, eodem tamen ſi continget modo interpretandi ſublevandum manebit.

Diſſonantia legum.

V. Tantum de Methodo: conſequens eſt *de communione finis* dicere Nam de ea imperfectione Juris, quæ ex ſocietatum imperfectione reſultat, nihil hic adduci opus eſt, cum præcipuè ex civili, adeoque perfectiſſimo jure nos Juriſconſulti noſtri contemplationem recte inſtituere, jam olim aſſeruerimus. (cap. 3. §. 4.) Cum ergo, ceu expoſitum habemus, ſumma & neceſſaria ſit juris virtus, harmonia illa, & concentus, ſeu in unum finem & communem inſtituta omnium mediorum directio: non poterit non fœda eſſe illa diſſonantia, qua leges an diverſa & contraria ſibi invicem nituntur. Idipſum vero cum vel vere, vel apparenter, & præcipue in jure ſcripto, vel ex ſcripturæ, vel orationis, vel ex ipſius legis natura contingat: peculiarem conſiderationem merito à nobis exiget ad hæc omnia univerſim, poſtquam ſingula prius eorundem ſingillatim ſatis habuerimus perſpecta, congrue pleneq; inſtituendam. (cap. 10.)

Legum ſingularũ defectus, & primo facientes legem non eſſe propoſitionem.

VI. *A vitiis* quæ integro legum ſyſtemati accidunt, ad ea *quæ legum ſingulis inſunt*, noſtra ſe convertet contemplatio: eodem ordine, quo in perfectione factum eſt, progreſſura. Voluimus autem ante omnia *legem eſſe propoſitionem*. Quot ergo modis hinc *recedetur*, tot habebimus defectuum capita. Id autem *dupliciter* evenire cernimus. Vel enim id quod pro lege venditatur, *minus* eſt *quam propoſitio*, vel vero *plus eſt*. Sin *minus* eſt, vel ſolum

lum unus adest terminus, vel vero abest proportio ꝰ inesse vel non inesse, vulgo *copula* vocari sueta. Si terminus deficit, vel *subjectum abest*, vel *prædicatum*. Quicquid horum trium sit, cum tota propositionis natura subvertatur, lex esse desinit: adeoque nisi per extensivam interpretationem, prædicata alia lege jam compræhensa possint assignari, nulla hic medela a JCto est expectanda, qui leges perficere sine mutatione, non vero facere debet. Quod vero & hic, & omnes alii essentiam legum afficientes errores a prudente Legislatore rarissime comm ttantur, per se clarum est. Interim hic omnia quæ contingere possunt recensere debuimus. Officium Philosophicum expleturi, ad mentem etiam *Aristotelis* 3 Polit. V. Τῷ δὲ περὶ ἑκάστην μέθοδον φιλοσοφοῦντι, καὶ μὴ μόνον ἀποβλέποντι πρὸς τὸ πράττειν, οἰκεῖόν ἐστι, τὸ μὴ παρορᾶν, μηδέ τι καταλείπειν ἀλλὰ δηλοῦν τὴν περὶ ἕκαστον ἀλήθειαν. i. e. *Nam in quaque methodo philosophanti, nec ad meram praxin respicienti, convenit nihil quidquam præterire aut omittere, sed manifestare suam de unoquoque veritatem.*

VII. Perspectis terminis intra debitum modum subsistentibus: progredientes etiam ultra eundem, erunt lustrandi. Ita enim qua ratione lex plusquam propositio sit, cognoscemus. Accidit autem id ipsum, si plures adsint termini, quam qui ad unam propositionem requiruntur. Et manifestum est debere hoc vitium tolli resolutione terminorum, seu segregatione & distinctione, atque secretione terminorum abundantium. Unde hoc interpretandi genus Analyticum, sive resolutorium dicemus: definientes interpretationem qua mediante lex terminos plures justo compræhendens, iisdem ab invicem separatis, resolvitur, & extricatur. Observanda hic præcepta ab Aristotele in prioribus Analyticorum (g) proposita: quæ hic repetere cum

1 Qui nam faciant legem esse plusquam propositionem, deque remediis eorum, Analytica nempe, & Heterogeneis Interpretationibus, & quæ illæ sint.

3

(g) 1. *Prior. cap.* 31. & *seqq.*

nolumus, cũ propria illius loci sit ista doctrina, adeoq; jam ejus notitia a nobis præsupponatur, quęq; inibi habētur applicari saltim ad leges debeant. Eorũ aliqua *Feldenus* exhibet de Interpr. part. 2. l. 1. c.
4 III. a p 807. ad 818. Sed quib9 etiam plura longe, atq; accuratiora fuerint ad summam artis superaddenda. Quemadmodum id ad *Verulamii de augmentis scientiarum lib. V.* addito *Typo Logicarum accessionum* ostendemus. Nunc hujus Analyseos accuratæ sectatoribus saltim non possumus non commendare usum Logices Hamburgensis: (ita inscriptæ, quoniam Auctor ejus beatus, Præceptor meus, Joach. *Jungius*, hoc in studio incomparabilis plane, illam usibus Scholæ Hamburgensis præcipue, ex mente non sua solius, sed Dominorum Scholarcharum etiam, a sua sæpenumero multum abeunte, conceptam, pro mere sua nolebat agnoscere.)
5 Quippe cujus ope ad resolvendos quoscunque textus intricatos eo magis adjuvabuntur, quo magis aliquas nulli ante Logicorum ad præcepta revocatas argumentationum species, frequentissime tamen occurrentes, ea sola exhibet. Quibus destituti, quoties tales omissæ aliis Logicis argumentationes occurrent, æque parum expedire se poterunt, ac *artis cogitandi* Gallicæ *Anonymus Auctor* in eo argumento, quod facillime resolvet, qui viderit in Logica Hamburgensi simiam vescentem nuce, (uti joculari sermone beatus ipse Jungius in simili casu ajebat: ad exemplum ejusmodi argumenti suum respiciens, quod dederat) v. Joh. *Vagetii* præfationem Logicæ Jungianæ §. 14. & seqq.
6 Nobis nunc pauca summe necessaria huc pertinentia, & speciatim huic præsenti nostræ de Legibus interpretandis doctrinæ strictiori adaptata, specialius cõmonefecisse suffecerit. Quotiens itaq; lex plures in unum connexos habens terminos, propositionis modum excedit: ii termini vel habent rationem aliquam τȣ̃ inesse communem cum terminis legem constituentibus, vel nõn habent, sed pertinent vel ad aliquam aliam forte præcedentem, vel sequentem legem: vel plane sunt diversi, nullam cum legibus cognationem habentes, id quod cum sit valde a ratione legislatoria

toria alienum, non poterit non rarum esse. Hoc ergo si fiat, 7
(I.) Termini ad legem nullo modo pertinen- Reg. 133.
tes segregandi solummodo sunt JCto, ab ea-
que secernendi, nec ultra curandi. Nam JCti
leges est curatio, non alia. (II.) Termini ad alias leges Reg. 134.
pertinentes, a JCto ad eas ad quas perti-
nent sunt referendi, & a lege ubi alieni sunt,
removendi. Quod si cum lege communem existentiæ 8
suæ aliquam rationem habent termini adjuncti, vel erunt ratio le-
gis, vel eandem & inesse vel non inesse rationem obtinebunt. Ter-
minus rationem communem & inesse vel non inesse habens cum
lege, vel eam habet cum subjecto eandem, vel cum prædicato. U-
troque modo, (III.) tot orientur propositiones, Reg. 135.
seu leges, quot erunt vel subjecta, vel præ-
dicata, habentia communem rationem. (IV.)
Si utrumque tam subjectum quam prædi- Reg. 136
catum ita componatur, numerus orietur
propositionum, quam termini in se invicem
ducti producent. Si terminus superfluus est ipsa ratio 9
& inesse, vel consequentes ex ratione & inesse format propositio-
nes, tot erunt syllogismi sive ratiocinationes, quot termini illi
rationes facientes, sive propositionem aliam tanquam medium
caussantes, & (V.) erit JCti, contractos illos, & Reg. 137.
stipatos syllogismos secundum logica præ-

cepta resolvere. Quo facto, singulæ propositiones, sint-ne leges nec ne, nullo negotio ex dictis, & dicendis, dijudicabitur.
10 Atque hinc oritur *altera* illa, quam *supra* innuebamus, *ex argu-*
h.c.§.2. *mento legis* Doctoribus frequentata *citandi ratio*. Quoties enim in ejusmodi syllogismo, vel syllogismorum cumulo, aliqua omittitur propositio, id quod sæpissime usu venit, solet ea ipsa argumento legis citari, utpote per analysin demum, sive resolutionē argu-
11 mentorum invenienda. Quin adeo vel integræ etiam argumentationes subintelligendæ, ex prioribusque repetitione, atque collatione facta, supplendæ, omittentur. Quas proinde supplere qui noverit, ac insuper extensiva etiam interpretatione adjuvare: Næ is in legibus ea viderit, quæ pauci, aut nulli adeo, naturalis, quantumvis acuti judicii ope, sint visuri. *v. addit. c. V. supra*, de Extensivæ & Restrictivæ concursu. At vero Logicæ resolutionis gnarus, sæpenumero quoque argumento Legum ea citabit, quæ ignarus horum artificiorum in iisdem nec legere magis aut intelligere, quam Accursius Græca norit. Qua de re *inferius* etiam exempla forte aliqua dare continget, ubi de applicatione horum
12 præceptorum ulteriori practica dispicietur. Interim jam ex hisce latere non potest, quantus nascatur JCto labor, si leges in sermocinationes prolixas conformentur, quæ plures propositiones, imo argumentationes sæpenumero maxime a legum natura diversas continent, & ex aliis multum discrepantibus scientiis peti-
13 tas. Id quod fieri sæpe potest, ad probandas propositiones le-
cap. 4.§.9. gales, earumque rationes, ceu superius jam monuimus. Hoc ergo quoties occurrit, (occurrit autem in Jure Romano sæpissime)
Reg. 138. (VI.) tantum ex illis scientiis aliis necessario perfecto JCto erit degustandum, ut hisce exponendis, & discernendis sufficiat:
cap. 2.§.5. secus enim si sit, interpretari omnes illius juris partes nequibit.
14 Hinc *Forstero* tot, ac tam variæ, jam *superius* indicatæ *interpreta-*

tiones

tiones ortæ. *Theologica* nempe, *Medica, Phyſica, Ethica, Politica,* & quæ aliæ ſcientiæ dari poſſunt. Nos has omnes Interpretationes Heterogenias una voce dicemus, definientes eas interpretationes, ex aliarum à Jure diverſarum ſcientiarum cognitione petitas, quibus mediantibus aliena juri admixta explicantur, & intelliguntur. Tot itaque hæ eſſe poſſunt, quot ſcien- 15
tiæ. Neque enim ulla tam aliena eſt, quin juri queat immiſceri. Sunt autem hæ a JCti habitu diverſæ, & per accidens ei neceſſariæ. Quoniam ex diverſis ſcientiis petitæ, culpa legislatoris immi- C. II. §. I.
ſcentur pluritaria magis, quam neceſſitate plerumque. Niſi quod 16
ex Hiſtoria quandoque non poteſt non plurimum eſſe repetitu neceſſarium; non tam Legislatori, præſupponenti ea, & in uſus convertenti; quam JCto, explicare illa, & indagini rationum, maxime ſpecialium Politicarum, & cauſſarum, ab univerſali ratione abeuntium reliquarum, adhibere oppido neceſſum habenti. Unde *Feldenus* etiam peculiaribus eam interpretandi rationem capitibus adjuvare molitur part. I. lib. IIX. integro, & part. 2. Lib. I. & II. v. *Cubacchium* in fine Brocardicorum ſuorum, Hiſtoriçes notitiam JCto ſummopere commendantem. Id quod adeo de Juris ſtudio conſulentes plerique omnes non facere non potuere. Notabilis etiam locus huc pertinens legi me- 17
retur in *Diario Eruditorum Pariſino* Anni 76. p. m. 228. Gallicæ in Batavis proditæ editionis, ubi *magnum* illud *ſecretum Cujacii* fuiſſe docet, quod æmulus ejusdem *Janus à Coſta* in Decretales commentando ſit imitatus.

IIX. Quod ſi jam *lex* vel ſit *propoſitio*, vel in eandem reſoluta, ſtatim inſpicienda eſt, & examinanda, *an ſit perfecta*. Duplici autem ex fonte perfectionem propoſitionis in antecedentibus arceſſebamus, ex univerſalitate videlicet, & contingentia utpluri-

De facientibus legem propoſitionem imperfectam.

cap. 4. §. 2. mum. Cum vero postea probaverimus, omnem legem debere esse, & universalem, & plerumque contingentem, jam plusquam apertum est, sive particularis, sive contingens in utramque partem, aut raro (nam necessarias leges non dari, quomodo propter corruptelas vocum contingat, certum fecimus) cap. 3. §. 5. & 9. existat propositio, eam legem amplius non esse, adeoque hic legum interpretis munus in totum cessare.

De nimia subjectorum universalitate deque interpretatione Casuali hic adhibenda.

IX. A propositione integra, ad partes ejus transimus: Subjectum nempe, & prædicatum. Hoc directionis media, illud dirigendas actiones plerumque continere diximus. Addidimus etiam *peccari in subjecto constituendo*, si illud nimis universale ponatur, id est tale, quod de multis admodum dicatur. Hac enim ratione de iis quæ subsumi debent lis oritur, adeoque nondum satis lex dirigit, multa arbitrio judicis dirigenda relinquens. cap. 5. §. 2. Huic vero Methodica illa interpretatio succurrit, cujus esse diximus, simillimam scientiæ formam in jus introducere. Scientiæ vero non in summis principiis subsistunt, siquidem perfectæ sunt, (hoc enim si faciant, στοιχεῖα Aristoteli, id est elementa dicuntur,) sed a summis generibus ad imas species contemplando descendunt. Erit ergo hic methodicam interpretationem facientis officium, subjecta nimis universalia dividere, donec ad ultimas species deveniatur, ut omnia de quibus prædicatum legis dicatur, plenius patescant. Præterea oritur alia ex universalitate legum vitiositas. Cum enim ea sit natura universalium conceptuum, quod a sensibus magis sunt remota, & difficulter animo & imaginationi repræsentantur; eorum præprimis, qui animum abstrahere ab individuis quæ sensui sunt exposita minus assueverunt: etiam hinc oritur illis nova applicandi legem ad actiones, easque subsumendi sub lege difficultas. Quam solvi contrario remedio necesse est, sumendo nempe individua, sive casus cum suis circumstantiis, subjecto legi usquequaqve congruentes, iisque prædicatum legis applicando, quo inde qvid in

in similibus agendum sit liqueat. Hæc interpretatio propterea Casualis non absurde vocabitur: diceturque esse interpretatio, tollens obscuritatem legis, ex nimia subjecti universalitate ortam, conformando casum singularem, eidem subjecto penitus respondentem. De hac interpretandi ratione parum est, quod moneamus: hoc tantum est attendendum unice, ut caveamus imprimis (I.) ne casum legi affingamus, qui circumstantiam aliquam comprædendat legem cessare facientem, in quo aliqua κρίσις, & circumspectio erit adhibenda. Et hic fuit labor præcipuus *Glossatorum juris Romani:* qui cuivis fere legi casum suum, etsi interdum male respondentem attribuerunt. Non est autem quod eandem hanc interpretationem cum restrictiva, vel extensiva existimemus, ex eo qvod & illæ casum respiciunt, cum hæ tres interpretandi species in summa differentia sint positæ: Restricturus enim legem, habet casum legis subjecto compræhensum, quem ex caussæ cessatione nihilominus excludit. Extensurus contra, lege non contentum eidem includit. Hæc vero interpretandi ratio casum legis subjecto exacte & per partes ac circumstantias omnes æqualem, & quadrantem effingit, eique prædicatum legis applicat. In hac itaque operatione casus illa formatio, tollit imbecillitatem, sive vitium, quod legis subjecto inest: in prioribus vero per eundem lex infirmabatur, per inquisitionem caussæ & applicationem demum salvanda. Ne nunc addam, in illis interpretationibus casum plerumqve afferri, non fingi: quod si casus fingatur, Reg. 139.

hanc præcedere interpretationem, & in eo saltim variari, quod circumstantia addatur in restrictione, legem faciens cessare.

Legis defectus ex consensu.

X. De legis qva propositio est vitiis, hæc erunt potissima: quæ etsi in scripta lege ferme sola locum habeant, quoniam tamen nec ex scriptura, nec ex oratione contingunt, sed ipsa terminorum ratio & virtus hic laborat, hoc loco prætereunda silentio non fuerunt. *De vitiis legii ex consensu* ortis nunc foret disserendum. Sed & hic studio parci sumus, quoniam ex consensu tota lex vel deficit, vel mutatur. Siquidem enim a principio adfuerit consensus facientium leges, sed defecerit, abrogatur lex: si nunquam adfuit, neque lex fuit, sed uti monuimus jam ante, in jussum herilem, vel Tyrannicum, vel aliud quid transiit: quorum interpres an JCti nomen mereatur, nunc non disputabimus.

Directionis vitia qualia sint, & quod ex imprudentia oriantur.

1 XI. De ipsis quæ *directioni* accidunt *defectibus*, magis ad rem faciet esse sollicitos: cum in iis tota legum vis ponatur, quæ plane concidit, si ipsa directio desit. Ita lex proprie non est illa propositio. Furtum natura turpe est. Pupillus non potest obligari naturaliter. Pacta sunt jurisgentium, vel alia ejusmodi. Per has enim, qua tales, nulla actio dirigitur, neque quid gen-
2 tium, vel naturæ juris sit, per leges potest decidi, sed ad Philosophos, & scientes pertinet super hæc ferre judicium: nec veritati ejusmodi propositionum quidquam demitur, vel additur, et-
3 iamsi mille Legislatores easdem affirment vel negent. Nisi quando voluntas Legislatoris etiam contra veri rationem exactam universalem, ex alia ratione vel caussa speciali meretur observari. v. gr. Licitum esse in contractibus se invicem ad cer-
4 tam summam defraudare, &c. Interim sciendum, posse tamen & hujus generis propositiones nonnunqvam dirigendi vim participare: si V. Gr. horum prædicatis porro prædicata alia ad finem aliquem conducentia sint assignata. Exempli gratia. Quæ sunt jurisgentium, ea ad hanc pertineant Jurisdictionem. Natura turpia committens in hanc pœnam incidat, & ita consequenter.

ter. Tunc ergo eatenus illis ſtandum propoſitionibus, quate- 5
nus directiones ſuper illas aliæ fundantur. Qua ratione quo-
que *definitiones parum philoſophice poſitas* diximus *valere.* Qua-
rum ſane tam illæ, quæ actiones dirigendas definiunt vim mul-
tam habebunt directricem v. gr. quid pro conjugio, contractu
&c. debeat haberi: quam prædicata & attributa ipſa v. gr. quid
pro dolo, culpave facto &c. ſit habendum. Reliqua v. gr. Ju-
ſtitiæ, jurisprudentiæ, aut ſimiles definitiones, etiam longius a
natura legum abeuntes ad philoſophum magis pertinebunt,
quam JCtum. Ulterius directionis virtutem prudentiam cum 6
dixerimus, jam probatione non indigebit, vitium ejus in im-
prudentia conſiſtere. Et ſane imprudentum leges quam ſint
exigui, imo nullius pretii, maxime ſi plane omnis abſit pruden-
tia, plusquam notorium eſt. Unde & furioſorum, pupillorum,
fœminarumque contractus, & pacta, leges privatas conſtituen-
tia, aut plane prohibitia, aut certe anguſtis limitibus cohibita, in
laudabiliter ordinatis rebuspublicis plerisque omnibus cernun-
tur. Hinc celeberrimus ille Gallorum JCtorum Franciſcus 7
Hotomannus in Anti-Triboniano ſuo (h) inter acerbiſſimas Ro-
mani juris repræhenſiones, poſt multas Tribonianum præcipue
tangentes criminationes, illam ſuperadducit, qua imprudentiæ
labem primis ejus juris auctoribus affingat graviſſimam: dum
Javolenum, non ultimum eorum quorum libri conſarcinandis
Digeſtis materiem præbuere, turbati habitum fuiſſe cerebri, ex
Plinio (i) probat. Sed ut & illi obiter reſpondeamus. Non pot- 8
erit per hoc, etiamſi quam maxime credatur, notabilis aliqua
Juri Romano macula inuri: cum non tam ob Javoleni pruden-
tiam verba illus legis vim nunc obtineant, quam ob concinna-
torum perſpectam ſine dubio hac in parte Juſtinianeo tempore
virtutem. Qvos conveniebat non minus ex Javoleni, quam
olim ex Ennii ſtercore Virgilius ſe factitare ajebat, aurum col-
lige-

(h) *cap.* 12.
(i) *lib.* 6. *cap.* 15.

ligere. Onnino enim, suffragante ipsi adducto Plinio: (k) Nullus liber est tam malus, quin aliquantulum boni minimum contineat. Sed in viam redeamus, rei naturam potius, qvam aliorum sententias considerantes. Imprudentiæ itaqve partes eodem ordine, qvo antea prudentiæ sistemus.

De fine legum ab optimo recedente.

XII. Principio *finis* sese offert, optimus a prudente eligendus. Ab hoc tot disceditur modis, qvot diversi ab ipso possunt constitui. *An* vero *leges proprie* dictæ maneant nihilominus, qvæ *ad alium quam optimum finem* ducunt, anceps videtur controversia. Negat id præter Platonem, (l) & Marsilium Ficinum, Cœlius qvoqve Rhodiginus, (m) cujus hæc sunt verba, *Legem esse (Pindari sententia) Deorum, hominumque reginam, rursumque esse legis finem Justitiam: legem principis opus: principem Dei cuncta exornantis spirantem imaginem. Quamobrem, ubicunque principum institutiones, aut Civitatum veræ non sunt, hoc est, ad optimum certa ratione non dirigunt, legis haudquaquam videri nuncupatiore, sacrove dignas titulo. Quinimo decreta dici verius, edictave, ac instituta. Siquidem lex vera est, lex bona est, æterna item, & mutationis prorsum nescia, imo & eadem ubique, si modo vera. Nam quæ ingeniorum afflatu, subinde locis temporibusque interpolata distinguitur, & Protei modo formam variat, neutique lex dicenda est. Legem ex Platonis scientia sic ferme possumus finire. Lex est gubernandi ratio, formulaque vera, finem ad optimum per commoda media nos deducens, transgredienti pœnam, parenti præmium præfigens. Quæ quia a summo est bono, & rursus in idem refluit, hinc veterum legumlatores earum inventionem divini muneris arbitrati.* Et quæ sequuntur, minus huc facientia. Et sane, si verum fateri velis, proprie illæ saltim legis nomen merentur, quæ vere conservant societatem, ad bonum optimum ducentes. Possunt tamen & reliquæ ex analogia quam

(k) *apud* Plin. Jun. *lib. 2. Epist. 12.*
(l) Plato *in Minoe, &* *Marsil.* Ficinus *in argum. ejusdem.*
(m) *lection. antiquar. lib. 18. cap. 19.*

quam habent cum iſtis, legum nomen obtinere, modo magis, modo minus eo dignæ. Et niſi hoc concedas, jam paucas leges in pleriſque hodiernarum rerumpublicarum invenies, utpote quæ multum ab illa perfectione receſſerunt. Interim utut iſta ſeſe habeant, cum citra legis mutationem, hocce eſſentiam ejus mutans vitium corrigi nequeat, nullum ejus à JCto levamen præſtolandum eſt. Ipſa vero hæc obſervatio, corruptelam vocum circa res practicas & juridicas, *ſuperius addit.* VI. notatam, quod exceptionum à regulis, & contingentiæ utplurimum, loco neceſſitatis Mathematicæ, cauſſa ſit, eo magis etiam confirmat.

XIII. Media ad facultatem ſecundum leges vitam ducendi pertinentia ſi deſint, prædicatum legis deerit: qui defectus jam ante eſt depræhenſus. Quod ſi adſit quidem, ſed imperfectione laboret: vel talis ea eſt, quæ inane totum illud faciat, vel quæ ſaltim quadamtenus lædat. Illud contingit, ſi ad finem nullum ducat prædicatum. Erit enim ita inane. Vel ſi dentur contraria prædicata, quod in Antinomiam abit, ubi de iis tractabitur, exponendum. Vel præterea ſi ſit impoſſibile præceptum. Hinc & legibus, & Doctoribus frequentiſſima aſſertio: quod impoſſibilium nulla ſit obligatio. Et his omnibus caſibus nullus eſt locus interpreti, legis eſſentia læſa, quæ ſine mutatione non reſtituitur. Idem accidit, ubi minus quidem legis virtus imminuitur, & in eo ſolo peccavit Legislator, quod non facilia, & expedita ſatis, aut efficacia media appoſuit. Nam & hic nulla niſi per mutationem legis correctio.

De vitiis mediorum quod ad facultatem vivendi ſecundum leges.

§. 6. hoc C.

c. X.

XIV. Perinde ſeſe in mediis cogentibus voluntatem res habet. Nam & hic incorrigibile JCto eſt vitium. Neque tamen parum lex vitiatur, ſi pœna ejus prohibitioni nulla ſit adnexa. (n) Unde Macrobius (o) *Inter leges,* ait, *illa imperfecta dicitur, in qva nulla deviantibus pœna ſancitur.* Idem eſt in præmiis, quæ æque neceſſaria demonſtravimus. Hic vero nullum niſi ab extenſiva

De vitiis mediorum cohibentium, ſive cogentium voluntatem.

(n) Duar. *comm. ff. de ll. c.* 4. Donell. 1. *comm. cap.* 5. *in fine.*
(o) *Comm. in ſomnium Scipionis prope finem.*

interpretatione ſubſidium. Quod ſi proportionem debitam remunerationis pœnæve non habeant, ſed vel exiguæ ſint, vel magnæ nimis: nulla hic interpretatio, ſed ſola correctio legem meliorabit.

De indicatione legum, ſeu promulgatione duplici: per ſcripturam & per conſuetudinem.

XV. Atque hæc de legum vitiis, quibus a perfectione ſua debita diſcedunt, dicta ſufficiant: quæ cum aliis animadverſa jam hinc inde, & ſparſim tradita ſunt, tum & Fabio quodammodo notata, ubi inquit (p) *Maxime vero commune eſt quærere, an ſit honeſta, vel utilis.* (lex nempe) *Juſtum, pium, religioſum, cæteraque his ſimilia, honeſto complectimur. Juſti tamen ſpecies non ſimpliciter excuti ſolent. Aut enim de re ipſa quæritur, ut digna ne pœna, vel præmio ſit, aut de modo præmii, pœnave qui tam major, quam minor culpari poteſt: Utilitas quoque interim natura diſcernitur, interim tempore. Quædam an obtineri poſſint, ambigi ſolet. Ne illud quidem ignorare oportet, leges aliquando totas, aliquando ex parte repræhendi ſolere.* Quæ omnia quam a vero minime abludant, ex iis, quæ toto hoc adduximus capite manifeſtum eſt. Indicandi ratio ſequitur: quam perfectiſſimam fore, ſi per actiones in conſuetudinem usque exercitatas fiat, dictum habemus. Imperfectiores ergo eſſe leges ſcriptas conſuetudinariis, inde conſpicuum eſt. Cum vero & hic JCti nulla ſit opera, utpote cujus non eſt leges promulgare, ſed promulgatas interpretari, non eſt quod hic nos detineamus. Quæ autem ſit conſuetudinarii juris, præ eo quod ſcriptum vulgo nuncupatur, præſtantia, ex iis quæ de utroque, & interpretatione ejus nunc ſubjiciemus, magis eluceſcet.

CAP.

(p) *lib. 2. Inſtit. Orat. c. 4.*

CAPUT VII.

De CONSUETUDINARIO JURE, ejusque INTERPRETATIONE EXTENSIVA, & RESTRICTIVA, atq; etiam in eo PRÆSTANTIA, quod alias interpretationes præterea non recipiat.

SUMMARIA.

1. *Continuatio, & ἀνακεφαλαίωσις vitiorum, quæ de legibus sunt demonstrata.*
2. *Legis consuetudinariæ definitio affertur: ex qua quod notoria esse debeat, & quæ ejus in rerumpublicarum diversis speciebus diversa vis sit, deducitur.*
3. *Quantum præstet Consuetudinaria lex scriptæ, repetitis omnibus hactenus recensitis vitiis ostenditur.*
4. *Quomodo, & restrictio, & extensio in Lege consuetudinaria ex caussis ejusdem locum habeant.*
5. *Facilitas interpretandi consuetudinem, & quomodo consuetudo cum scripta lege concurrat.*
6. *Quomodo hactenus enumerata legum vitia, iis quæ signis insint, adeoque interpres legibus quæ signis auxilietur.*

I.

ENumeravimus hactenus *imbecillitates legum*, uti credo, omnes, quæ ad summam non mediocrem excreverunt. Sunt enim, ut eas hic repetamus, *Contingentia*, *Insufficientia* legum, *abundantia* earundem, & tum in classibus legum, tum in singulis legibus ordinandis *confusio*, nec non legum inter se *contrarietas*. Item *si propositio lex esse desinat*, vel *cum aliis* terminis seu *propositionibus conjungatur*; aut vero si *particularis* sit, vel *contingat in utramque partem*, aut plane *raro* accidat. Præterea si *nimis universale* habeat *subjectum*, aut *ex consensu*

Continuatio, & ἀνακεφαλαίωσις vitiorum, quæ de legibus sunt demonstrata.

sensu imperfecto sit orta, aut *dirigendi vi destituatur*, vel *eandem minus habeat perfectam*, vel *ad finem ab optimo diversum* conducat, vel *impossibilia præcipiat*, aut certe *cum difficultate conjuncta*: vel vero *pœnas* aut *præmia non assignet*, vel *sine debita proportione* assignet. Quibus omnibus *ultima imbecillitas ex indicatione*, accedit per scripturam. Cum enim duplex sit indicandi leges, ceu sæpius diximus, ratio; per consuetudinem, & per scripturam: duplex hinc oritur juris differentia, ipsis legibus Romanis, (a) & earum Doctoribus communi calculo approbata; qvæ inter jus scriptum & non scriptum, seu consuetudinarium intercedens, diversas juris species format. De utraque ergo harum dicemus: & de Consuetudine qvidem prius, tanqvam perfectiore, & dignitate potiore.

Legis consuetudinariæ definitio affertur: ex qua qvod notoria esse debeat, & quæ ejus in rerumpublicarum diversis speciebus diversa vis sit, deducitur.

1 II. Est ergo, ne alias aliorum opiniones sectemur, (b) **Lex Consuetudinaria**, ex cujus complexu jus consuetudinarium oritur, **lex** (sive propositio, ex societatis consensu dirigens eandem ad communem aliquem finem,) **ita per crebras actiones in opinionem, & operativam facultatem civium introducta, ut jam sine difficultate aliter agere non possint.**

2 Hinc patet omnem consvetudinem esse notoriam, & incommode a Doctoribus (c) dividi eandem in notoriam & non notoriam. Cum

(a) §. 3. *constat autem. Instit. de Jur. Nat. G. & Civ. & l. jus Civile 6. §. 1. ff. de I. & S. ad e usque* Dd. & Commentatores.

(b) *c. consuet. dist. 1. ibique gl. & Dd. Dion.* Prusæus *oratione de consuetudine.* Cicero *lib. 2. de invent. apud* Duar. *ff. de ll. c. 11.* Donell. *1. comm. cap. 10. Mattheacius. de via & rat. jur. lib. 1. cap. 33. n. 4.* Coras. *de art. jur. part. 2. cap. 18. Bartol. ad l. de quibus 32. ff. de ll. n. 11.* Mynsing. *centur. 6. observat. 41. Petr.* Salazar. *de usu & consuetud.* Cohtmann. *vol. 1. resp. 13. n. 15. Colleg.* Argentorat. *ad ff. de ll. thes. 34.* Hunn. *de author. & interpret. jur. part. 1. cap 9. ibique citati complures.*

(c) Mascard. *de probation. vol. 1. concl. 428. n. 19. & seqq.*

Cum hæc consuetudo esse neqveat, nec fieri possit, ut id qvod adeo frequentatur, ut operandi facultatem perficiat, non sit notorium hoc ipso, de sua natura quidem, apud omnes, illa consuetudine utentes. Quamvis per accidens, ut alia cuncta, sic etiam hoc jus, imperfectiones omnigenas recipere, in hac hominum imbecillitate cum possit; etiam contingat ab incurioso, vel novo Magistratu, temporario, vel civibus iniquo, aliqvas consuetudines nihil ad eos pertinentes etiam ignorari. Qvod ad doctrinæ communis summam nihil faciet. Licet etiam hinc cognoscere: 3
qvomodo in singulis formis consuetudo introducatur, & vires suas exerat. Nempe potissimus ejus est in Democratia valor, ubi vel ex tacito populi consensu jus tale nascitur. Ibi enim penes populum est leges condendi potestas, adeoque ejus voluntas pro lege est. In Aristocratia vero aut Regno, sola populi 4
consuetudo neutiquam sufficit. Neque enim ibi si populus consensit, civitas consensisse videtur. Qvippe qvæ non nisi secundum omnes, vel certe secundum majorem partem aliquid fecisse existimatur. Potior autem pars ea est, qvæ in civitate plurimum potest, seu majestatis maximam partem habet. Quæ cum ibi penes Regem, vel Optimates sit: jam non obscurum est, iis dissentientibus, maximam civitatis partem consensisse in legem non esse putandam.

III. Qvantum vero præcellat consuetudinaria lex scriptam, meridiano sole clarius elucebit: si qvæ modo enumeravimus vitia legibus accidentia, maxima ex parte locum in ea nullum penitus invenire ostenderimus. Ut adeo subeat mirari, qva opinione moti summi Doctores scriptam ei legem non æqvare modo, sed & præferre contra ipsam legum Romanarum, & præcipuorum Interpretum auctoritatem sint conati. Principio enim, neque id immerito: *magnæ auctoritatis*, teste summo JCto Paulo (d) *hoc jus habetur, quod in tantum probatum est, ut non fuerit necesse scripto id comprehendere.* Cum quo facientem Doctorum tur-

Quantum præstet Consuetudinaria lex scriptæ, repetitis omnibus hactenus recensitis vitiis ostenditur.

(d) *l.* Immo. 36. *ff. de ll.*

bam, supervacuum foret & infinitum enumerare: cum res ipsa verum testetur. Si enim jam eam perfectionem operandi secundum legem cives sunt consecuti, ut aliter agere quam secundum legem illam non possint, adeoque ipsa lex notoria est, quorsum attinebit eam tamquam ignotam annotare. Conspicuum hinc est, quam sit commodior & perfectior illa indicandi ratio, quæ sine prævia doctrina, ex æquo omnibus quid sit agendum exemplis aliorum moventibus simul, nec leve calcar addentibus, indicat, atque commonstrat. Non ergo hic ulla imbecillitas, qvales plurimas legis virtutem sæpenumero omnem tollentes, ex scriptura oriri, postea videbimus. Procul hinc omnis interpretandi necessitas, obscuritate cessante; (siqvidem consuetudo sit absoluta, uti debet,) vel ipsam legis essentiam simul aliqva ex parte afficiente: quam complere, non conditarum legum interpretis, sed ipsius legum conditoris studium esse debet. Quin etiam eæ ipsæ hactenus longo ordine recensitæ imbecillitates, fere nunquam, aut rarissime legi consuetudinariæ poterunt inhærere. Qvippe non facile lex pœnas ac præmia vel nulla, vel sine proportione illi quidem Reip. adæquata, & si alia non utique consona perfectissimo naturali juri, ordinata habens, in consuetudinem abibit. Neque difficilia media, & multo minus impossibilia continens poterit frequentari. Directione vero, & omni circa eam prudentia destituta, nunquam recipietur. Et consensus, hic tantum abest ut deficere possit, ut prima hinc principia debeant oriri, & tanto is esse perfectior, quanto constantia ejus major ad generandam illam operatricis facultatis exactam promptitudinem exigitur. Neque vero universalitas subjecti hic metuenda, cum in singularibus actionibus subsistat. A contingentia quoque utplurimum, & universalitate, recedi hic nullo modo poterit. Et quamvis in individuis seu actionibus subsistatur, eæ ipsæ tamen imitationem universalem, & utplurimum faciendam præscribunt, adeoque æqve, imo rectius atque universalia subjecta nobis serviunt. Neque porro ulla alia earum,

qvæ

qvæ propositionis naturam lædere dicta sunt imbecillitatum, locum hic sibi vindicabit: cum uti diximus, in actionibus cum modo suo conjunctis consuetudo consistat. Contrarietas vero consuetudinum, vix cogitatione poterit in eodem subjecto effingi. Neque confusio hic, aut partium præpostera connexio, aut abundantia, tantopere timenda, quamvis hæc omnia, cum antedictis cunctis, in scriptis legibus facilius obveniant. Unde constat, quam ex evitabilibus vitiis, ea qvæ perimunt essentiam legis, inesse consuetudini plane neqveant, & ne cogitatione qvidem affingi eidem, sine difficultate possint: graviter vero lædentia, rariora multo sint atqve in scripto jure sese insinuatura. Adeoque solam finis imperfectionem hic freqventari concludimus, utpote qvem optimum humana imbecillitas ægerrime obtinet.

Quomodo, & restrictio, & extensio in Lege consuetudinaria ex caussis ejusdem locum habeant.

IV. Ex reliqvis, inevitabilia illa duo, *insufficientiam* videlicet, & *contingentiam* offendimus. Quæ uti in nullo *jure*, ita *neque in hoc evitari* possunt. Quippe ex ipso materiæ circa qvam leges versantur vitio non quidem nativo, attamen epidemico, & sicuti nunc sese mundus habet, ineluctabili obtingentes. Quæ cum ita sint, merito contra eos sentimus, qvi vel Restrictionem, vel Extensionem consuetudinis in dubium vocaverunt, parum pensi & veritatis argumenta manifesta, & summorum Doctorum consensum habentes: cum quibus nos consuetudinarias leges restrictione æque ac alias indigere, asserimus, & extensionem quoque parem in modum admittere, (e) sine hæsitati- Reg. 140. Reg. 141.

(e) Bald. *ad l. de quibus ff. de ll. Paul.* de Castro *cons.* 159. *col.* 2. Alex. *cons.* 68. *vol.* 2. *Lælius* Mancinus *genialium disquisit. centur.* 3. *cap.* 279. *& seq. Alf.* Modit. *in §. lex est. Instit. de jur. Nat. G. & Civ. dubit.* 56. *n.* 5. *Angel.* Mattheac. *de via & rat. juris lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 8. *& seqq. Colleg.* Argentorat. *de ll. th.* 41. *& c. v. l.* 1, *C. & sis longa consuet.* Anonymi *incerti Repetitio ad*

tatione aſſeveramus. Cujus etiam exemplum luculentum ipſe Juſtinianus (f) in extenſione pupillaris ſubſtitutionis dedit. Quibus ita poſitis, conſeqvetur neceſſario, ex cauſſis utramque fieri debere, atqve etiam ſic denuo comprobari veritatem Reg. 17. 18. 19. &c. videmus. Cauſſæ autem illæ, vel æque erunt atque lex ipſa notoriæ; quod ſi eveniat, jam ad perfectionem conſuetudinis addi vix quidquam poterit, & præter applicationem ejus ad caſus, nil operæ JCto relinquetur: Vel vero erunt, ſecun-
cap. 4. §. 4. dum tradita ſuperius præcepta indagandæ. Quæ & hic omnis
& ſeqq. generis occurrent, ſæpius tamen ratio, imprimis politica, vel generalis, vel ſpecialis, utpote ad legem faciendam aptiſſimæ: rarius, ut alibi, ita hic, opinio, imprimis erronea. Qvamvis, & hic verum ſit quandoq;, Communem errorem jus facere. Quo ſane non carebat illa Ægyptiorum lex, ne ante quatriduum ægri purgarentur. Rarius etiam ex affectu, & neceſſitate mera conſtabit publica conſvetudo, ſine alia ratione ulla ſuperaccedente.
Reg. 142. Omnino ergo & hic, **(I.) Ceſſante cauſſa, & imprimis ratione conſvetudinis, ceſſabit lex conſuetudinaria,**
Reg. 143. **& (II.) ex cauſſa, ac potiſſimum ex ratione extendetur,** qvousque eam admiſiſſe legislatorem erit veroſimile. Cumque contrariæ voluntatis certiſſimum ſit indicium, lex a legislatore lata, vel ſcripta, vel itidem conſuetudinaria, hinc apprime erit cautio neceſſaria,
Reg. 144. **(III.) Ne extenſio fiat conſuetudinis contra aliam conſuetudinem, vel legem ſcriptam, & in ſuo vigore perdurantem.** Cætera hic eadem cum ſuperius expoſitis obſervabuntur. V. Et

ad L. de quibus ff. de LL. n. 103. & 104. in Tomo primo Repetitionum Juris Civilis fol. m. 134.

(f) *in fine pr. & §. 1. Inſtit. de pupill. ſubſtit.*

V. Et hæc de Consuetudinaria lege hoc loco attulisse contenti erimus. Neqve enim nostri est propositi, quæcunqve de eadem dici possunt, huc in medium proferre. Illud interim affatim putamus hinc liquere: qvam sit longe facilior consuetudinarii juris interpretatio, atqve scripti. Ubi enim paucissimæ imbecillitates, ibi sane facilior earundem sublatio. Id autem hic esse uberrime perspectum habemus. Hæc quoque fortassis non inutilis fuerit, nec aliena plane observatio: quod Consuetudo possit cum scripta lege concurrere, ideft in scripturam redigi, etsi ea non indigeat. Neque hinc fit jus scriptum, quamdiu in usu etiam remanet, nihilque perdit essentiæ suæ & virtutis. Adeoque ejusmodi (IV.) jus consuetudinarium scriptum nullam ex scriptura interpretationem accipit necessario, sed qvaliter diximus, absque scriptura eadem est facienda. Nam quod absque interpretatione clarum est, ei interpretatio non affingenda. Reg. 9. Atqve jus consuetudinarium absque scripturæ interpretatione ex actibus clarum est. Ergo. Quinimo vice versa scriptura hæc ex consuetudine, ceu imperfectior a perfectiori, & signum ex signato interpretationem accipiet, unde tritum illud: *Optima legum interpres consuetudo.*(g) Qvod si tamen jus illud desueverit qvadamtenus, & propterea scriptis compræhendatur, ne intercidat: signum haud obscurum est, in jus scriptum illud eatenus degenerasse. Si vero consuetudo aliqva detur, cui sit in eadem republica (Nam extra suas societates, atque loca, non extendendæ leges, utpote illorum solorum quibus latæ sunt, leges existentes,) alia lex contraria scripta: Si qvidem consensum plenum ac debitum, id est potioris partis in civitate habeat consuetudo, erit abrogatum jus scriptum per consuetudinem. Sin secus, nondum lex erit illa consuetudo,

Facilitas interpretandi consuetudinem & quomodo consuetudo cum scripta lege concurrat.

Reg. 145.

(g) *l. fi. de Interpretatione. 37. ff. de ll. c. cum dilectus 8. extr. de consuet.*

ſuetudo, adeoque contra ſtatuta non vocanda in partes. (h) Et hoc fundamento innititur diviſio illa *Bartoli*, (i) qva *conſuetudinem aliam contra*, aliam *ſecundum*, aliam *præter leges eſſe* profitetur.

Quomodo hactenus enumerata legum vitia, iis qua ſignis inſint, adeoque interpres legibus qua ſignis auxilietur. C. 2. §. ult.

VI. Priusqvam ad ſigna legum, & iis neceſſaria interpretamenta nos conferamus: excuſſis omnibus, quæ legi quatenus legi inſunt vitiis, (nam nec in conſuetudine alia invenimus,) eorumque hactenus repertis interpretationibus: peropus erit, id qvod anteqvam iſtam ſpeculationem aggrediebamur, promiſimus, exſolvere, & quomodo ceu ſignis hæc legum vitia inſint, paucis oſtendere. Nam qva talibus interpretem iis aſſignatum dedimus. Proinde cum ſignum ſit ens, quod ad aliud, cujus eſt ſignum (id qvod ſignatum eo citare conſuevimus,) eam habet relationem, ut illud ipſum ſemper, aut ſaltem ordinario, ſive utplurimum vel antecedat, vel comitetur, vel ſeqvatur: Lex vero ſit ſignum ſeqvens voluntatem Legiſlatoris, de conformandis & dirigendis ad finem civitatis actionibus; perfectiſſima ſane erit in ea ſignandi facultas, ſi ſemper eandem voluntatem indicet. Jam vero cum omnem legem id utplurimum ſaltim facere docuerimus: oritur inde contingentia legis, & interpretatio ei reſpondens, qvam Reſtrictivam nominavimus. Inſuper ad perfectionem ſigni faceret, ſi de omnibus actionibus voluntatem legiſlatoris patefaceret. Cum vero & illud infinita actionum copia non patiatur: hinc inſufficientia, per Extenſivam interpretationem medicanda, neceſſaria eſt. Præterea cum & ſolum & totum, & diſtinctum deberet ſignatum exhiberi, leges vero interdum propoſitiones cum aliis permixtas, aut parum diſtincte ſingulas in actiones diviſas, prout eæ fuere in mente condentis, nobis exponant; hinc Caſualem, Analyticam, & Heterogenias interpretationes addidimus. Tandem tunc nec ordo in proferendis legibus ſemper is, qvem Legislator

(h) Harprecht. *ad inſt. de jure perſon.* §. *in ſervos.* 5. *num.* 32. Menoch. *conſil.* 1156. *num.* 66.

(i) *in l. de quibus. n.* 10. *ff. de ll.*

gislator in animo juxta ideam reipublicæ conceptam habuit, vel certe habere debuit, teneatur: Methodicam qvoqve interpretationem accivimus. Ex quibus omnibus probatum satis superq; autumo, qvomodo ea qvæ per interpretationem hactenus tolli diximus vitia, legibus, qvatenus signa sunt, inhæreant. Qvare non fuisset eqvidem accurationi Philosophicæ adversum, si statim ab initio ex hac legum essentiæ parte, primum sola illa deduxissemus, reliqva deinde inemendabilia subjungentes. Verum subtiliorem hanc contemplationem credentes, ne eos qvi ad usum hæc præcepta fortassis sunt adhibituri, statim ab initio deterreremus: primo in genere vitia legum pertransire, ac demum hoc in loco, per admonitionem minus inopportunam, nativa & vera fundamenta ac principia interpretationum commonstrare maluimus. Ita & acutioris philosophiæ sectatoribus, & aliis, ad praxim adhibenda quæ sunt sola desiderantibus, optime nos satisfacturos esse arbitrantes.

CAPUT IIX.

De JURIS SCRIPTI NATURA, & PERFECTIONE, necnon IMPERFECTIONE, ejusque partibus, tum ex ORATIONIS, tum ex ipsius SCRIPTURÆ natura petitis.

SUMMARIA.

1. *Continuatio, & propositio dicendorum.*
2. *De natura & perfectione Orationis, & Scripturæ in genere: unde colligitur scripti Juris definitio.*
3. *Orationis quod ad leges perfectio in specie resumitur, & in quibus consistat, docetur.*
4. *De Voce in genere, ejusque perfectione, seu proprietate communi.*

 5. De

5. *De vocibus Technicis, & earum proprietate.*
6. *De vitiis, vocis naturam tollentibus, hic non considerandis: deque vocibus peregrinis.*
7. *De vocibus antiqvis.*
8. *De vocibus novis, & novatis.*
9. *De vocibus plura significantibus, seu æquivocationibus. Deque homonymis casu, & synonymis, & Analogis, latis, ac strictis significationibus, item de homonymiis ex consilio loquentum ortis.*
10. *De voce non significante totum conceptum per omnes partes.*
11. *De vocibus coordinatis, quæ hoc loco sint tradenda, & primo de syntaxi, seu constructione.*
12. *De vitiis in proportione orationis, facientibus legem videri, quæ non est.*
13. *De iisdem facientibus apparere non esse legem quæ est.*
14. *De vitiis orationis, quatenus juri, seu toti legum complexui convenit.*
15. *Definitio perfectæ scripturæ, ad similitudinem perfectæ Orationis.*
16. *Recensentur vitia scripturæ, ad similitudinem vitiorum Orationis.*
17. *Quod sint ejusdem generis vitia, quæ orationi, & scripturæ legum accidunt, & eorum caussæ: deq; cautela in dignoscenda sede vitiorum legis, adhibenda.*

I.

Continuatio, & propositio dicendorum.

POstquam quæ juri, & legibus, qua talibus vitia accidunt, perlustravimus, neque ex indicandi ratione quæ per consuetudinem fit, alia prodire certi sumus: ordinis ratio exigit, ut ad significationem eam quæ per scripturam fit, progrediamur, & scriptum jus contemplemur. Quamvis enim videretur esse prudentis, optimum eligere promulgandi modum, adeoqve omnes leges facere consuetudinarias; cum tamen multa & materiæ, & eorum quibus leges scribuntur, & (quæ tandem est humana imbecillitas,) etiam legislatorum culpa eveniant, quæ impediunt absolutam illam perfectionem legum, quam habere ipsas, ceu diximus, necesse est, quo frequenter secundum eas, & indesinenter agatur: fieri vix potest, quin sæpissime ad scripturam sit recurrendum, ne leges pereant. Ne nunc addam, quod actiones nonnullæ legibus ordinandæ veniant, quæ non adeo sæpe exercentur, ut earum frequentatio consuetudinem inducere

ducere possit. Quo ita posito, omnino & quæ ex scriptura in legem redundent vitia, ad JCti considerationem pertinebunt: & quomodo eadem sine mutatione tolli possint, despicere ejusdem erit. Nisi ergo a vero aberrasse nos fatemur, cum JCti esse diximus legis vitia tollere, necesse est concedamus perfectissimi JCti officium esse, ut leges vitiosissimas iis possit liberare. Neque quidquam hic officit, quod in perfectissima societate positum jus nobis contemplandum sumpsimus. Neque enim inde colligi debet perfectissimum jus nobis esse propositum contemplari, cum ex illo neutiquam omnes interpretationum species simus inventuri, quippe quod imbecillitates non nisi inevitabiles continet: sed sciendum est, jus civile nos considerare, id est illud, quod alia omnia jura vel compræhendit, vel certe de iis participat, adeoque vitia etiam juris omnia, atque hinc species interpretationum recipit. Quin imo vel hoc ipso, quod imbecillitates legum, & earundem medelas JCti esse docuimus; imbecillitates eas in summo gradu, æque ac interpretationes ipsis medentes, ut consideremus, ea, quam instituimus philosophandi circa quodque objectum in summo suo gradu spectatum, ratio exiget. Porro neque illud obstare credendum est, quod JCtum legum qua legum interpretem voluimus: quo posito interpretatio orationis, seu scripturæ ad essentiam ejus non pertinet. Nam cum non JCtum solum, sed perfectum JCtum nobis formare sit animus, necessarium quoque erit non proprias solum, & essentiales ipsi interpretandi rationes, sed & accidentarias, necessarias tamen eidem, ad priores illas bene adhibendas, hoc loco contemplari: quemadmodum id postea latius, & clarius declaratum dabimus. Interim nunc pari qua in Jure fecimus ratione, hic in scripto jure procedentes, perfectionem ejus & imperfectionem per partes singulas exhibere conabimur. C. §. ult. 1.

II. Jus quid sit, in superioribus definivimus. Juris ergo scripti essentiam ut habeamus, nihil restat, nisi ut scripturæ naturam præterea addamus. Scripturam autem inter signa jam olim numera-

De natura & perfectione Orationis, & Scripturæ in genere; unde

colligitur scripti Juris definitio cap. 2. §. 2.

numeravimus, & recte. Tota enim ejus natura in eo posita est, ut aliquid significet. Sit ergo **Scriptura** quidem **signum Orationis per figuras, sive ductus linearum. Oratio** vero **signum mentis, sive conceptuum, in sonis articulatis consistens.** Utræque ergo in eo conveniunt, qvod sunt signa: discrepant, qvod hæc conceptuum, illa hujus index est. In qvo calculum suum nobis adjicit auctor antiqvus, libri de Interpretatione, vulgo Aristoteles creditus, & eleganter apud Celsum (a) Tubero, *Quorsum, inquiens, nomina, nisi ut demonstrarent voluntatem dicentis:* cumqve hisce sentientes alii complures etiam JCti. (b) Sine scriptura ergo oratio quidem est, non vero sine oratione scriptura. Nam qvæ rerum ipsarum species repræsentant figuræ, vel imagines, inter picturas, non scripturas merito numerantur. Cum itaqve ex signorum ordine sit, & scriptura, & oratio: facile inde conficitur, qvæcunqve signorum naturam perficiunt, lædüntve, etiam illas parem in modum afficere. Signum autem, ut ex parte jam aliqva diximus, est ens, ad aliud aliqvod (qvod signatum solet vocari) eam habens relationem, ut illud vel antecedat, vel comitetur, vel seqvatur, idqve vel semper, vel ut plurimum. Cui addimus nunc, ad plenam definitionem etiam illud requisitum, haudqvaquam prætermittendum: ut sit præter-

§. ult. cap. præced.

(a) *l. Labeo 7. §. fin. ff. de suppell. legat.*

(b) *gl. in l. Fulcinius 7. §. quid si latitare. verb. animus.* Donell. 1. *comm. 13.* Phederic. *de interpret. part. 1. membr. 1. num. 4.* Forster. *de interpret. jur. lib. 2. cap. 2. num. 2. Farinac. prax. crim. pag. 5. q. 126. num. 158.* Mantica *de conject. ult. voluntat. lib. 3. c. 4.* Alvarad. *de conjecturata mente defuncti lib. 1. cap. 1.* Masc. *de probat. concl. 1415. num. 24. & seq.* Hunn. *de author. & interpr. jus part. 2. cap. 2. Surd. de alim. tit. 2. q. 2. n. 1. & consil. 119. n. 61.* Flamin. *de resignat. Tom. 1. lib. 1. qu. 13. num. 29. Mar.* Antonin. *var. lib. 1. resol. 4. n. 9.* Perez. *lib. 8. ordin. tot. 9. p. m.* 216. Menoch. *cons. 1. n. 262. & de præsumpt. lib. 3. qu. 1. n. 39. & de arbitr. lib. 1. qu. 1. n. 85.* Port. *cons. 46. n. 18. &c.*

præterea signato evidentius, seu notius. Qvi fit, ut idem modo signum sit, modo signatũ, respectu nostri: dum vel cognoscitur facilius, vel difficilius. Perfecta proinde signa ea esse colligimus, quæ cum signato hanc habent cognationem perpetuam, ut posito illo solo & toto, sola ac tota semper, vel præcesserint, vel ponantur, vel seqvutura sint. Scriptura ergo perfecta erit, qvæ orationem ita designat: Oratio quæ conceptum. Vitiosæ utræqve existent, si vel nihil, vel multa, vel ex parte saltim, & non semper idem denotent. Quibus ita inventis, nullo negotio cernimus, *cap. 3. §. 3.* Jus scriptum esse complexionem legum, qualem ante finivimus, in orationem redactarum, & scriptura compræhensarum. Deprænhendimus etiam, jus illud perfectum fore: si ista oratio exactissime respondeat soli illi propositionum systemati, idque per omnes partes, plene, ac semper indicet, eodemque pacto scriptura rursus orationem illam designet. Primo itaque in oratione per partes hanc perfectionem eiqve oppositas imperfectiones intuebimur, idem postea consimiliter in scriptura præstituri.

Orationis quodad leges perfectio in specie resumitur, & in quibus consistat, docetur.

III. Orationem signum esse conceptuum, ex sonis articulatis, posuimus; perfectissimam quoque pronunciavimus eam, quæ conceptus hosce semper solos, & omni ex parte, (ubi subintellige comprehendi relationes quoque, & respectus ad invicem expressos) indicat. Debet ergo oratio usquequaque proportionata esse conceptibus quos indicat, & quo hæc proportionum similitudo erit major, eo absoluta magis existet oratio. Nudo ergo, & simplici conceptui sonus aliquis respondebit articulatus, qui vox dicitur. Propositioni sive complexioni terminorum sese continentium, vel de se invicem affirmatorum, aut negatorum, constructio quoq; vocum, & coordinatio æqualis dabitur, quæ enunciatio dicetur. Harum si plures colligantur invicem, referentes ratiocinationes ex propositionibus conflatas, seu discursus, oratio

ratio κατ᾽ ἐξοχὴν nuncupari aſſolet. Juri itaque perfectiſſime reſpondens oratio eſt, quæ complexionem illam propoſitionum (quales eſſe leges debere diximus) prout eæ in animo legislatoris ſunt quam optimæ conceptæ, ſimillima proportione enunciationum, per partes omnes imitata, perpetuo exprimit. Legi vero quam perfectiſſime ſua reſpondebit externa oratio, ſi propoſitiones ſingulæ, per voces pari proportione conjunctas ita referantur. Quare *tria* ſunt præcipua, *in quibus* ponitur iſta *orationis perfectio*. Si nempe & ipſæ *voces*, & earum conſtructiones ad exprimendam legem, ſive *enunciationes*, ac denique *ſermocinationes*, ſive ipſarum enunciationum complexiones debito modo conformantur. De ſingulis deinceps dicendum erit.

1 IV. Conceptus ſimplices per voces exprimi ſolent. *Vox* autem eſt orationis pars, ſive *ſonus articulatus, qvo poſito conceptus aliqvis ponitur*, ſive ſignificatur; & quidem vel abſolute qualis eſt *nomen*, vel cum tempore, qualis eſt *verbum*: vel vero adſignificat, ſive qualitatem, aut relationem aliquam, vel reſpectum, aut non abſimile quid addit nomini, vel verbo, cujusmodi ſunt *adverbia*, quæ qualitatem motus denotant qui eſt in conceptu verbi, item *conjunctiones*, reſpectum mutuum nominum verborumve indicantes, & quæ præterea ex *Ariſtotele*, (c) ejusque commentatoribus, & aliunde huc adducere tædioſum foret, & ſuper-

De Voce in genere, ejusque perfectione, ſeu proprietate communi.

2 vacaneum. Quandoquidem hic non docere Grammaticam ſcientificam, aut Rhetoricam, aut Logicam externam, ſive circa philoſophicum ſermonem occupatam, nobis propoſitum fuit unquam, aut etiamnum erit: ſed, circa illas artes univerſim ab aliis quam optime propoſita, vel qualiter adhuc elaboranda proponi opus habeant, ſummatim animo concepta, huic præſenti Legum atque jurium materiæ applicare, tanquam ex ipſis hauſta, vel ut
3 hauriantur plenius, præſuppoſita. *Differt* ergo plane atque *in totum a Feldeniano* hac in parte *noſtrum inſtitutum*. Etenim ut vel obiter ipſa Feldeniani Operis librorum & capitum, atque membro-

rum

(c) *Poeticor. cap. 20.*

rum illis, & articulorum assignatorum lemmata inspicienti, statim non apparere non potest; ipse hæc omnia, quæ nos præsupponimus elaborata dare, quam operosissima tot annorum cura molitus est. Cum e contrario in præceptis interpretationis Juridicæ deinde mirum in modum sit parcus. Quippe quæ conjunctim capta omnia nec centesimam operis partem conficere deprehendas. Nos vero in hisce toti sumus unice, illis aliunde addiscendis plane prætermissis. Quæ cum elaborata nunc dederit *illustris* 4
Feldenus tanta cura, vix est quod aliunde multum petere JCtus quisquam magnopere occupetur. Nisi quorundam etiam *supplementa*, vel data jam, vel in posterum danda, in aliquibus, per alios, aut nosmet etiam, uti suis locis oportunis deinceps significabimus, adjungere in ulteriorem earum artium perfectionem allubescat. Et quantum ad *nostra* quidem, *in Rhetoricis* ea consistent potissimum. *Logica pauciora* in *Typo accessionum Logicarum, commentario in sextum Baconis Verulamii de scientiarum augmentis librum* subnectemus. *Grammatica* nec attingemus: utpote post 5
Scaligerum, Vossium, Scioppiumque, ab illustri *Feldeno* (cujus hoc in argumento ante prorsus non cognitam mihi ullam, nedum tam operosam industriam, senectuti feræ adeo reservatam, oppido lubiit mirari, ac demirari) occupata eousque, ut neque versione, nec *notis* promissis, olim *Anonymi* libelli, *Grammaticæ generalis & Rationabilis*, in 8. Parisiis, 1660. primo, deinde Bruxellis, 1676. in 12. auctius etiam, ut habet titulus, editæ, amplius opus fore putans, consilium ejus moliminis omne prorsus contempserim hisce lectis, & abjecerim. Hæc ad comparationem promissam operis Feldeniani, hoc loco inserere debuimus. Nunc ad cœpta redi- 6
mus. *Virtus* ergo *vocis*, & essentia est *significare*, sive posita, ponere conceptum in animis audientium. Et hæc voci virtus inest, *non ex sua ipsius natura* pleraque omnis; qua si ea posita continuo necessum sit, ob illam positam, conceptum certum sisti in animo audientis: *sed ex* mero potius *hominum arbitrio*, quibus placuit hoc vel illo articulato sono hanc vel illam rem animo con-

7 ceptam exprimere. Quod adeo vel aliis etiam modis aliæ gentes fecere, v. gr. ligulis nodatis & flexis certa tortuosa varie ratione, *Quippis* dictis *Peruani*, *picturis Mexicani*, ductibus conceptus repræsentantes non sonos *Chinenses*, pigmentis Ænigmaticis *Ægyptii* &c. Præ quibus tamen omnibus per ductus litterarios repræsentandi soni elementares, & articulati, quantum habeant emolumenti, ac usus, longe commodissimi, non hic est deducendi locus. Ubi suffecerit monuisse nunc, sonos illos maximam partem arbitrarios, adeoque per gentes locorum situ invicem remo-
8 tas, etiam linguarum varietate discrepantes depræhendi. Neque vero aliter fieri potuit. Nam quod a quibusdam jactatur, voces ita potuisse & debuisse effingi, ut sono suo imitarentur exactissime quantum fieri possit, res quibus denotandis adhibentur, id vero in iis rebus, quæ cum sono sunt conjunctæ, catenus procedere poterit, quatenus ille sonus vel est articulatus, vel ad articulatum ea similitudine appropinquans, ut ipso audito utcunque
9 repræsentetur animo audientis. Nam qualitate soni aliqua sola communicata v. gr. celeritate, tarditate, svavitate, asperitate, ad proportionem rerum, similiter eis qualitatibus affectarum significandam, ipsarum rerum notionem non repræsentabunt distinctam. Utpote quarum innumerabiles ejusdem qualitatis, puta tarditatis, celeritatis, suavitatis, insuavitatis participes esse queant. In reliquis contra, ubi vel similitudo illa, vel omnis omnino sonus
10 abfuerit, neq; imitationi locus dabitur. Tales autem sunt res longe plurimæ, quibus hac ratione nomen assignandi fundamentũ non supererit. Quo enim quæso cogitationem, visum, & alia infinita sono efficaci exprimes? Ne nunc quantæ inde sint orituræ difficultates commemorem, quod res quamplurimæ inter se diversissimæ sonum eundem involvant, quæ sane si voce eadem omnes efferantur, nihil certi animis nostris repræsentabunt. Sed ut verbo defungamur, totam hanc rem exigui momenti esse liqvet.
11 Qvin potius arbitrariam esse vocum significationem hodiernarum pleramqve ex eo indubium est, qvod tantas diversitates,
&

&mutationes linguarum experimur: quæ nullo modo evenirent, si naturalem aliquam, & congenitam significandi vim vocabula quæqve obtinerent. Imo si vocum hæc foret indoles, ut illico ex ipsarum natura, simulac audirentur, res aliqua animis nostris sisteretur, jam non foret comparanda operose earum memoria, neque tantæ de significatione earundem lites nascerentur. Qvinimo etsi nunquam audita vox, illico mihi rem, cui imposita esset, significaret. Sed hæc mittimus. Ridendi 12
itaque potius qvam refutandi sunt, qvi *voces* dari *immutabiles* cum *Accursio* (d) autumant. Neque majori severitate puniendi, qvi naturalem vocibus vim stabilire argumentis nituntur. Inter qvos mirandus omnino D. *Vaconius a Vacuna* lib. 4. declaratione 127. qvi postqvam vocabula dixit alia esse rerum, alia hominum, *rerum* pergit, *vocabula a naturali, & propria qualitate nominantur: ut albæ res a naturali albedine, & nigræ a nigredine nuncupantur: nuncupanturque quoniam res (ob earum naturalem qualitatem) hujusmodi vocabulorum potior erant caussa. Idcirco & rerum vocabula dici possint Quædam vero non a naturali, sed ab aliqua accidentali qualitate vocantur, V. Gr. Fundus alius Sempronianus, alius Cornelianus &c.* Et paucis interjectis, cæptum sermonem ita prosequitur. *Cum naturalis rerum proprietas divina quadam providentia hic constituta immutabilis sit, §. sed naturalia Instit. de Jur. Nat. Gen. & Civ. & hæc ut supra dixi, est caussa eorum nominum, quæ rerum vocabula appellantur, ergo hujusmodi appellativa vocabula, ut illius effectus, immutabilia sunt. Suæ enim caussæ naturam profecto sequuntur.* Qvæ omnia mihi, liceat modo vera fateri, somnia & sine mente soni videntur.
Qvamvis utique non abnuam, in valde multis potuisse homines, 13
si voluissent, aut posse in posterum etiam, si velint, naturæ ductum magis sequi, & cum sono juncta sonis respondentibus, vel qvalitates sonorum participantia qualitatem eandem habentibus sonis efferre. Quod ut intellectui, sic memoriæ multum esset alla-

(d) *ad leg. 3. ff. de legat. 1.*

allaturum ſubſidii, commodique. Nec adeo contradixerim *Auguſtino* aſſerenti Dialect. c. V. *Hæc quaſi cunabula eſſe verborum, ut ſenſus rerum cum ſenſu ſonorum concordarent.* Quin adeo qvaliter id philoſophice ac rationabiliter maxime fieri debeat, aliqva etiam in *Typo Logices* externæ noſtræ ſumus commentati *ad Baconis Verulamii lib. VI. de augmentis ſcientiarum.*
14 At enim vero ſi quales nunc habeamus ligvas in orbe terrarum, qva vivas adhuc, & in uſu poſitas, qva intermortuas ſpectes: nullam oppido depræhendes huncce naturæ genium imitantem. Neque primogeniam adeo (ſi quidem illa talis, atque nunc eſt, fuerit ab initio) Hebræam excipere hinc datur; de cujus origine ac divinitate multa multi, præter quam probare detur, jactitant. v. *Toſtatum* in Gen. XIII. qu. 344. & *Poſſevin.* Bibliothecæ ſelectæ minime ſelectæ lib. I. cap. 14.
15 Et de ipſa hac noſtra quæſtione, ſuper nativa vocum origine, agitantes ſe mire multos, jam ex antiquiſſimis. Inter quos adeo *Plato* jam vexatus pleriſque, & *Nigidius* Grammaticus apud *Gellium* Noct. Att. l. 10. cap. 4. naturali vocum origini plus æqvo faventes. Adde *Sextum Empiricum* adverſus Mathematicos l. 1. c. VII. ubi ſtatim ſub initium circa qvæſtionem hanc, jam ſuo tempore affirmat datas ἑκατέρωθεν ἰσολογίας, *utrinque rationes æque validas.* Ex recentioribus videantur horum, & in *Ariſtotelis* creditum *de Interpretatione librum* commentatores in principio: tum ex *Platone*, *Philone*, *Hippocrate* probare ſatagens operoſe naturalem vocum originem
16 *Pontus Thyardæus*, tractatu de *recta nominum impoſitione.* Quæ tamen loca, ut & argumenta ipſis compræhenſa, vel ab illo adjuncta, nihil probant: niſi velle hoc rationem naturalem, ut res nominibus diverſis, pro ſua diverſitate, & ſimilibus, pro ſimilitudine denominentur. Qvin & exempla ipſius nihil aliud probant, qvam res ab aliis deſcendentes, & derivatas, vel ex aliis compoſitas, nomina qvoqve ex prioribus illis derivata, vel conjunctis conflata habere debere, & apud ſapientes habuiſſe.
17 Sed longe alia erat neceſſe afferre, ad inde efficiendum, qvod propoſue-

posuerat; nempe nomina essentiam rerum naturalium compræhendere. Primitiva nempe debebant adduci, hanc habentia vim. Cœtera de nomine Jesu &c. si ridicula dixeris, vera dixeris. v. *Scaliger* de caussis Linguæ Latinæ lib. 3. cap. 67. & exercitat. 266. & 293. & *Silhon* Gallico de Immortalitate animæ tractatu p. m. 112. editionis Parisinæ in 12mo Joh. *Brunsmannus* de propria verborum acceptione c. 2. §. 41. & seqq. *Schottel.* de Lingua Germ. in der 4. Lobrede §. 24. p. 58. & §. 40. p. 64. Ex JCtis vero *Limnæus* Juris publ. part. 1. c. XI. §. 73. ibiqve citatus *Connanus* 2. comm. 11. n. 4. & pro nativa vocum origine militantibus addictus Galiottus de doctrina promiscua capite primo toto. Quin 18
igitur manet potius, qvod ab initio diximus, *usum esse magistrum loquendi*, & sonis non solum propriam, sive certam, sed omnem omnino significandi potestatem largiri. Qva in re cum alios complures (e) tum *Servium* apud *Celsum* (f) consentientem habemus, dum ait: *non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debere.* Communis autem ille usus cum non per omne genus humanum sese extendat, sed certis suis terminis circumscriptus hinc inde varietur, exin linguarum tanta est diversitas. Unde cum absque hoc si foret, perfectissima vox, 19
sive uti vulgo appellatur, propria esset, qvæ certam vel notionem, vel notionis qvalitatem seu accidens, omnibus, & semper, integre, & sola indicaret: jam non datur VOX propria magis, qvam ea, quæ nunc omnibus lingua illa,

(e) Rot. Rom. Buroti. *decis. 87. n. 17. decis. 930. num. 11. &* Ottoboni *decis.* 44. *n.* 18. Bald. *in l. ult. vers. e contra vero. qu. 14. n. 35. C. de hæred. inst. Jo.* Nevizan. *Syl. nuptial. lib.* 1. *n.* 171. *ibique citati. Mattheus* de Afflict. *Constit. regn. Neapol.* 2. *Jo.* Montaigne *de Bigamia q.* 2. Bertrach. *pr. prælud. tract. de gabella. &c. Barth.* Cepolla *in rubr. de V. S. n.* 3. Pheder. *de interpr. part.* 1. *memb.* 3. *n.* 9. Parlador *rer. quotidian. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 6. Borcholt. *ad instit. de legat. §. si quis in nomine. quibus adde citatos infr. ad c.* 9. §. 4. *f.*

(f) *l. labe* 67. *§. f. ff. de suppell. legat.*

ſive communione orationis utentibus, unum aliquod ſolum & integre denotat.

De vocibus Technicis & earum proprietate.

V. Cum vero præter illam ſermonis communionem, quæ inter gentes univerſas eſt, de rebus inter ipſas quotidie occurrentibus, alia quoqve exiſtat inter certas particulares ſocietates, quæ in commune ſibi bonum aliquod collaborant, vel ſtudium aliquod peculiare exercent, in quo ſæpiſſime conceptus occurrunt, & res ad alios non magnopere pertinentes, neqve in uſu eorum poſitæ, quæ ut invicem ſignificentur nominibus indigent, ac propterea ab ipſis illius artis vel ſtudii cultoribus inſigniri debent: hinc voces Technicæ oriuntur, Juri noſtro nimium familiares. Sicut ergo voces aliæ ex communi eadem lingua utentium uſu, ita hæc ex artificum, ſeu ſtudii illius ad qvod pertinent cultorum uſurpatione æſtimantur. Eritque proinde vox Technica ad ſimilitudinem communis maxime propria, quæ unum certum aliquem conceptum, ſola, integre denotat, omnibus illius artis, vel ſtudii peritis. Apparet nunc quomodo evenire poſſit, ut vox eadem & communis eſſe poſſit, & Technica: ſi nempe aliud communiter, aliud artis alicujus, vel ſtudii ſectatoribus deſignet. Id qvod ipſum etiam in jure Romano perfreqvens eſt, & diviſioni quoque proprietatis in Naturalem & Civilem (g) originem dedit.

De vitiis, vocis naturam tollentibus, hic non conſiderandis: deque vocibus peregrinis.

VI. Ex *vocum* proprietate definita, *defectus* colligere pergemus. Horum *alii* totam *naturam*, & ſubſtantiam vocis *tollunt*: quod fit, ſi ſonus, vel articulatus non ſit, vel nihil penitus ſignificet. Ita enim vox nullo modo erit, adeoque neque à nobis hic conſideranda, quibus interpretari eas, non facere propoſitum eſt. *Alii lædunt* ſaltim, & imminuunt vocis virtutem, ſeu proprietatem

(g) v. *Martin.* Bonacin. *de legibus diſput.* 1. *qu.* 1. *punct.* 8. *num.* 1.

tem in ſignificando conſiſtentem. Id quod aut revera, aut noſtri ſaltim reſpectu fit. Reſpectu noſtri impropria vox videtur, ſi per ſe ſit quidem ſignificans, & fortaſſis maxime propria, ſed non nobis, verum alterius linguæ communionem habentibus. Quæ *voces peregrinæ* dicuntur, Ariſtoteli (h) γλῶτται, & definiuntur, ὡς χρῶνται ἕτεροι, (*quibus alii utuntur.*) ſcilicet extra noſtræ linguæ communionem poſiti. Cum enim ex voluntate liberrima, & conſenſu gentium voces, earumque ſignificatus dependere dixerimus, voluntates vero hominum admodum varient, & continuis ſubjaceant mutationibus, fieri non poterit, ut gentes ab invicem longis terrarum intervallis remotæ, nec ulla vitæ communione junctæ, in eundem ſermonis uſum conſentiant, & ſi conſentire inceperint, perſiſtant.

VII. Ex voluntatis humanæ inconſtantia perfrequens ipſis vocibus oritur vitium. *Antiquatio* nempe, quæ fit, quando voluntas utentium circa ſoni alicujus uſum immutatur, ita ut vel plane ab eodem abſtineant, & ita in deſuetudinem vox abeat, vel ut ad rem aliam ſignificandam eam adhibeant, ubi ſolet nova ſubſtitui interdum vox, ad ſignificandum conceptum alterum, quem prior denotabat. Fit autem hæc vocum antiquatio frequentiſſime, vel ob inſuavitatem vocis, vel ob difficultatem eam pronunciandi, vel aliud aliquid, vel denique ingenito etiam pleriſque novitatis ſtudio, & tædio vulgarium, & præſentium. Unde factum videmus, ut unius alteriusve ſæculi ſpatio totæ linguæ in tantum ſint mutatæ, ut novæ quaſi appareant. Exemplum in Gallica habemus, ubi quotidie adhuc voces antiquantur aliæ, aliæ novantur, quibus conſtantiores Itali & Hiſpani præ Germanis etiam, aliiſque multis nationibus hoc nomine laudem merentur. Neque eſt, quod credamus hanc vocum imbecillitatem legibus accidere non poſſe, ex eo, quod illæ in perpetuo uſu verſentur, adeoqve voces quibus deſignantur, in deſuetudinem abire non patiantur. Quamvis enim hoc ita ſit, tamen non eſt vox illa propria, quæ in ſolis legibus invenitur, & extra eas ab omni uſu vulgari

De vocibus antiquis.

gari est aliena: sed quæ omnibus, aut certe plerisque communiter usurpatur. Ita sane voces plusculæ, ne procul exempla petamus, legibus XII. Tabularum comprahensæ, jam antequam illæ ab usu recederent, quod nondum plane est factum, translatis quibusdam exinde in corpus Justinianeum fragmentis, antiquatæ Romanis habitæ fuere. Qvinimo hac ratione illud contingere potest, ut vox quæ fuit communis, in Technicam degeneret: si nempe ab usu communi recedens, solis iis, qvi legum studia tractant, frequentari necesse habeat.

De vociuus novis, & novatis.

IIX. Antiqvis opponuntur *novæ*, seu *novatæ voces*, quæ plerumqve in earum locum succedunt, etsi hoc perpetuum non sit. Interdum enim novæ res nova exigunt vocabula, & conceptus qui hactenus fortassis animos aliorum non subiere, ut indicentur, nova signa postulant, unde quemadmodum in Poetica arte Horatius canit.

necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis.

Fieri qvoqve poterit, ut sine omni urgente necessitate, vel svavitatis, vel facilitatis, vel novitatis, qva sonus pollet, caussa, vel deniqve mero novitatis, & varietatis amore, sensus ei tribuatur, dum multi cum Flacco iterum ita sentiunt.

Quid autem
Cæcilio Plautoque dabit Romanus, ademptum
Virgilio, Varioque? ego cur acquirere pauca
Si possum invideor, cum lingua Catonis, & Ennj
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit. Licuit semperque licebit.
Signatum præsente nota producere nomen.

Et ita eodem pergente, hactenus

Ut silvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

Nec

Nec alia ratione imposterum,

Multa renascentur, quæ jam cecidere; cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Et hæc fortassis excusabilis foret licentia, Poetis imprimis, quibus delectatio, in varietate magna ex parte & novitate apta consistens, pars finis existit. Verum tædiosa hæc eadem est, si modum non teneat, neque suos intra terminos subsistat petulantia. Quam adeo maleferiatam nonnulli exercent, ut parum eleganter sibi scripsisse videantur, nisi inepta novitate & risum, & contemptum à legentibus sanioribus extorserint. Hæc autem nova eousque manent, donec civitate donentur, idest usu pleno frequententur. Tunc enim non secus ac reliquæ voces approbatæ, propriæ evadunt. Sunt autem voces novitatem habentes, vel planæ novæ, vel ex parte, quas novatas vocitabimus. Illæ vel fiunt sono novo excogitato, vel vetere novam significationem accipiente. Neque enim minus novat vocem, qui sensum ei hactenus inauditum tribuit, quam qui novum plane sonum introducit, cum omnem vocis naturam in significandi vi jam dudum collocaverimus. *Novatæ* seu *ex parte* novæ fiunt, vel derivatione, si nempe terminatio vocis, aut pars aliqua soni vel significationis immutetur: vel compositione, si plures voces, secus atque hactenus fuerat factum, in unum compingantur. De quo iterum Flaccus.

Dixeris egregiè, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum.

& Tullius (i) *Novari verba*, scribit, *quæ ab eo, qui dicit ipso gignuntur, ac fiunt, vel conjungendis verbis, vel sine conjunctione. Conjungendis verbis novamus, ut hæc. Tum pavor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat. Annon vis hujus me versutiloquas malitias è Videtis versutiloquas, & expectorat, ex conjunctione facta esse verba,*

 non

(i) *lib. 3. de Oratore.*

non nata. Et alibi. (k) *Ego autem etiamsi quorundam grandis ac ornata vox est Poetarum, tamen in ea cum licentiam statuo esse majorem, quam in nobis, faciendorum, jungendorumque verborum: tum etiam hominum voluptati vocibus magis quam rebus serviunt.* Quibus non absimilia ex aliis transcribere supersedemus.

De vocibus plura significantibus, seu æqvivocationibus. Deque homonymis casu, & synonymis, & Analogis, latis, ac strictis significationibus, item de homonymiis ex consilio loquentum ortis.

IX. Atque hæ fuere vocis imbecillitates, in eo positæ, quod non semper, neque omnibus significat: diversæ ab iis oriuntur, si *non unum* aliquod *certum, sed plura denotet.* Hæ *ambiguæ* vulgo voces dicuntur, eo quod ambigat earum auditor, de sensu, & intellectu, eas adhibentis. Nam ex illius non hujus perceptione, significationis æstimationem pendere, cum sit in propatulo: sane perinepta est cavillatio *Diodori* apud *Gellium* Noct. Attic. lib. XI. c. 12. nulla dari ambigua, cum quisque quid dicat, aut dicere velit, in mente sua sentiat. Erit hoc vitium proinde eo majus, quo plura, & diversa magis sunt inter se significata. Unum enim quid denotare, virtutem vocis esse posuimus. Et tamen non modo diversa ea, quæ *disparata* vulgo audiunt Logicis, sed & *opposita* plane, *una sæpe voce designantur.* Ut in iis, quæ modo bonam, modo malam in partem capi notum est. Item modo active, modo passive capta: quæ *reciproca* & *adversa* vocat *Gellius* lib. IX. c. 12. exemplis pluscülis adductis. Nobis hæc minutatim prosequi nunc non est propositum; sed præsuppositis iis, quæ circa Orationem versantur, Grammaticis, Rhetoricis, & item Logicis, summa capita nunc Juris interpretationi sola ut applicemus, quo illorum hic usus Juridicus pateat speciatim, quæ generatim illic docentur. Aut ergo res eodem nomine comprænsæ plane nullam, secundum id nomen essentiæ communionem habent, sed penitus inter se sunt discrepantes, id quod sæpe casu fortuito accidit, ut ejusmodi res idem nomen sortiantur, & hinc *casu synonymæ* res, & à rebus facta translatione, etiam voces dicuntur. Aut ob aliquam essentiæ convenientiam eadem rebus multis vox applicetur: veluti cum tota voce aliqua designata essentia alteri communis est, quod fit quando

(k) *in perfecto Oratore.*

do vox genus denotat, sive universale aliquod, quod de multis dicitur. Tunc enim de quibuscunque illud universale dicetur, iis & nomen illud quodammodo competet. Sic & Homo, & Leo, & Piscis, & alia corpus animatum habentia animalia recte, non tamen proprie nuncupantur. Et hæ res *synonymæ* nobis dicentur. Ubi vero pars essentiæ saltim ejus, quæ vere nomine illo designatur, communis est aliis eodem nomine compræhensis, *æquivocatio* oritur *analoga*. Fitque hoc, quando eadem vox modo aliquam essentiam rei indicat plene, modo rem cui ejus pars magna, vel parva, & cum aliis multis, vel paucis inest. Et hinc oriuntur significationes latæ, strictæ, latiores, strictiores, latissimæ, & strictissimæ. V.G. si dicam Jurisprudentiæ vocem latissime sumptam denotare omnem circa leges cujuscunque generis versantem prudentiam; minus latam, circa ea quæ sunt positiva jura, & non mere naturalia, occupatam: stricto significatu compræhendere solam eam, quæ circa leges est publice latas, sive rempublicam aliqvam conservantes, strictiori advocatoriam prudentiam, & strictissimo interpretationem juris notare. Unde videmus varios, & analogos, sive in aliqua essentiæ parte convenientes sensus unius ejusdemque vocis oriri posse. Nam de exempli allati veritate nunc solliciti non sumus, ad declarandum illud, non ad probandum adducentes: quod cum sit, veritatem ejus præcisam non requiri ex Aristotele didicimus. Præter hæc quæ vel casu, vel aliqua essentiæ suæ convenientia idem nomen accepere, dantur etiam res qvæ *ex consilio* & voluntate loquentis, inter se reipsa diversæ, idem nomen obtinent. Idque vel necessitate ita cogente, si propria vox deficiat: vel ex varietatis, aut elegantiæ studio. Unde rursus *duo homonymiarum genera* nascuntur. Primum est quando *ob similitudinem rei* alicujus cum alia, vox propriæ alteram significans, ad alteram significandam adhibetur, diciturque *Metaphora*, vel Latine translatio: quæ vox ipsa hac definitione compræhenditur. Sicut enim res a loco ad locum proprie, ita metaphorice nomen a re ad rem transferri dicitur. Qvare

re non opus eſt exempla alia hic adducere. Alter modus ex conſilio plures voci ſignificatus indendi, *Metonymia*, latine Denominatio nuncupatur: fitque, qvando res inter ſe diverſæ, & oppoſitæ, relatione tamen aliqua ſe reſpicientes nomina commutant invicem. Hujus propterea tot ſunt ſpecies, quot ſunt entium ejusmodi inter ſe diverſi reſpectus. Ita qvoties efficiens pro effecto, materia pro materiato, finis pro eo quod ad eundem tendit, forma pro formato, inſtrumentum pro facultate operandi, & in genere principium pro principiato, vel vice verſa hæc pro aliis denominantur, Metonymia eſt. Ita ſi ſubſtantia pro accidente, continens pro contento, ſignum pro ſignato, & viciſſim nominantur, idem erit. Neque minus huc pertinet, ſpecies pro genere, totum pro parte, & contra uſurpata, etſi hic novum *Synecdoches* nomen ſine cauſſa Rhetores excogitaverint. Ita & pro ſpecie poſitum individuum, ſeu Antonomaſia huc referetur. *Ironia* quoque hic notanda eſt: ſeu quando affirmatio pro negatione, vel contraria, & oppoſita pro ſe mutuo ponuntur. De quibus ſingulis pluribus hic diſſerere non eſt animus, cum ſufficiat principia & fundamenta æquivocationum utcumqve hic indicaſſe, & ad Rhetores accurata horum omnium explicatio pertineat. Quam & in *Rhetoricis noſtris acceſſionibus*, integro compendio minimum ex opere majori extracto, loco excerptorum binorum hactenus editorum, non negligemus, accuratius nonnihil etiam, Deo permittente, quam a qvoqvam hactenus, imo ab ipſo illuſtri *Feldeno* factum ſit exponere, ad cujus interim part. 1. lib. 4. c. II. & III. atq; part. 2. lib. 1. c. 2. lectorem nunc tantiſper remittemus.

De voce non ſignificante totum conceptum per omnes partes. §. 6. hoc C.

X. Voces quibus modis abundent ſignificationibus vidimus: ſupereſt, ut quomodo deficiant, perſpectum habeamus. Et vero ſi plane nil denotet ſonus, jam a vocum numero excluſus eſt. Quod ſi denotet aliquid imperfecte, fieri id poteſt, ſi partem ſaltim conceptus ejus qui totus erat exprimendus, repræſentat. V. Gr. ſi hominem abdomen dixero, vel animal: & hoc

hoc casu cum plerumqve nomen illud etiam alium aliquem conceptum integre denotet, ad aliquam prænominatarum æquivocationum res redit. Cumq; per additionem alterius vocis tollatur multis modis illa obscuritas. dicendo animal rationale, vel aliud quid in aliis: hinc illa JCtis (l) regula, qua *Improprium* aliquid dici tradunt, *quod cum aliqua adjectione, non autem simpliciter profertur.* Cæteroqvi si vox partem saltim alicujus rei denotat, cum non minus partis, quam totius integer sit conceptus, sive repræsentatio in animo per se subsistens, nullum inde voci oritur vitium. Minus insuper vox quam par erat designat, si relationem, vel casum, seu tempus, seu personam, uti conveniens erat, declarat. Quod fit, si declinatio, motio, comparatio, vel plane nulla, vel perperam in voce sit observata. Denique & non satis videtur vox perfecta, quæ non sola significat, sed rem habentem nomen jam suum designat, quæ *Polyonyma* dicetur. Et quamvis hinc voci nullum videatur fieri vitium, quod essentiam ejus lædat, minimum tamen superfluam eam, certe non simpliciter necessariam manere, reddi, inficias ire nemo poterit.

XI. Examinatis vocibus singulis, ad *coordinationem* earumdem erit faciendus progressus, & *in specie* ad eam *quæ legibus convenit.* Nam *de constructione* quidem in genere, ejusque natura, non est accommodatus hic dicendi locus, sed Grammaticis proprius. Quibus sese hic etiam junxit *Feldenus* part 1. lib. 2. toto. Possumus tamen eam quantum ad propositum nostrum describere, ut sit coordinatio vocum, sive connexio, mutuam terminorum ad se relationem, vel habitudinem exprimens. Quod ad leges ergo perfecta ea erit, si propositionem qualem supra

I De vocibus coordinatis, quæ hoc loco sint tradenda, & primo de syntaxi, seu constructione.

(l) Alc. *de V. S. lib. 2. n. 1. ibid. citat.* Bart. *in l. Lucius §. quæsitum ff. de legat. 3.*

pra deſcripſimus, & legem eſſe diximus, exacte
3 referat. Duo ergo hic cumprimis venient perpendenda:
ipſa conſtructio ſeu συντάξις, & ipſius συντάξεως cum propoſitione,
ſive mentali legis oratione, aut mente legis proportio. Ad i-
pſam Syntaxin vocum & conſtructionem quod attinet, ſtatim
4 ab initio de natura cauſſave ejus diſceptari poteſt. *An* nimirum
& ipſa, ſicuti de vocibus dictum eſt, *ex mero* utentium *arbi-
trio*, an vero ex certa aliqua & definita ac naturali reſpectuum,
vel relationum quæ in rebus ſunt, imitatione dependeat. Et
vero quamvis hanc litem penitus noſtram facere nunc non ſit
5 animus, paucula tamen afferre non pigrabimur. Nempe lar-
gimur haud illubentes, quod in imitatione aliqua rerum, & ejus
quam illæ invicem habent rationis, qvadamtenus ſit conſtru-
endi ratio collocata: quodqve adeo totidem conſtruendi ratio-
nes, qvot modis eæ inter ſe conferuntur, ordinari poſſint. An
vero hæc, vel illa ratio terminandi, flectendi, connectendi, con-
jugandi, declinandi, aut alias conſtruendi huic, vel illi termi-
norum conceptuumque relationi reſpondere debeat, in totum
6 ferme arbitrarium pronunciamus. Qvomodo tamen quam
optime, convenientiſſimeqve hæc ſit facienda rerum immuta-
tio, in vocum conſtructione, imo in ipſis vocibus, & in quantum
procedat, vel non, ſpeculationis eſt arduæ quidem, & exquiſitæ,
ſed quæ non ad hanc, quam nunc tractare decretum eſt, ſcienti-
7 am, ſed *ad Grammaticam Philoſophicam* condendam pertinet.
Quinimo ſi eo quo poſſemus aliquando revera progredi, nunc
ſpe ſaltim, & generali ſpeculatione licet aſcendere: poſſemus a-
liquando ex debitis fundamentis procedentes *linguam* plane
novam, omni & abundantia, & defectu ſignificationis vocum
ſingularum, & conſtructionis carentem, condere, quibus di-
ſtinctos, & quales in animo formarentur repræſentare conce-
8 ptus liceret. Qva ratione, Deum immortalem! quantis tædiis,
& rixoſis diſputationibus levaremur, quæ ubi qvam vehementiſ-
ſime

ſime efferbuerunt ſæpe inter eruditos, tandem in voculæ alicujus diſtinctione, vel confeſſo improprio uſu deſinunt. Dudum 9
jam hæc animo conceperam, ſcriptoque an committerem, mecum dubius hærebam, non ignorans ſi quæ a vulgaribus hominum opinionibus nimis remota, & difficilia proponantur, plerumque ea etſi laudabilia, riſum tamen potius, & contemptum ignorantum, quam laudem, aut admirationem incurrere: cum neſcio quæ fortuna in manus meas acutiſſimi viri Johannis Claubergii Logicam ſatis ſubtilem detulit, quam evolvens hæc inter alia multum iis quæ hactenus mecum cogitaveram conſona inveni. *Optimum quidem foret, novam plane linguam ad ſcientiarum uſum condi a ſapientibus, rebus & intellectui melius accommodatam, quam ulla ſit ex iis, quibus hodie utimur. Sed quamdiu talis optatur ſolum, non datur, licebit cujusvis diſciplinæ Doctori nova ſubinde vocabula excogitare.* Quibus lectis mirum quan- 10
tum ſum in ſpeculationibus meis confirmatus, videns usque adeo ſpeculantem ceu debet, quemvis alteri conſentire. Interim non diſſimulanda eſt difficultas etiam hujus linguæ excogitandæ, & quam ſit nimis adhuc maturum noſtrum deſiderium. Ante enim res omnes diſcriminari, & a ſe invicem diſtingui, naturæq; earum, & proportiones mutuæ determinari debent, qvam de iis perfecte indicandis cogitari conveniat. Unde cũ hac in parte 11
parum hactenus tot ſeculorum intervallis præſtitum ſit, & nimiũ adhuc. *Mortalia pectora cæcæ noctis habeant*: ſuffecerit inventis recte ad inveſtiganda ea quę rerum cognitioni deſunt uti, qvo celerius in ordinandis tot ſcientiis, quib9 adhuc deſtituimur, & indagandis rerum hactenus reconditis eſſentiis, contra atq; hactenus factitatum eſt, promoveamus. Qvo ſane parum reſpicere viden- 12
tur, qui in varias linguas transfundendo male ordinata præcepta, ulteriorem difficultatem quotidie ſtudiis inducunt, æque ac contemptum, & depravatum uſum: plebejis, & indoctis animabus ea communicantes, quæ nec elaborata ſint ſatis, neque ſi forent, eorum uſibus accommodata eſſent mentibusque malis.

Quemad-

13 Quemadmodum, ne ab argumento noſtro recedamus longius, quantum non rabularum improbiſſimorum foret minus, ſi Jurisprudentiæ ſacra intra paucos probos ejusdem atque pios Sacerdotes, citra germanicarum in libros artis notoriatus, & alios, diffuſarum verſionum, propalationes cohibita fuiſſent! *Sed querelæ, ne tum quidem gratæ futuræ, cum & neceſſaria erunt* ut ait Livius, *ab initio certe tantæ ordiundæ rei abſint.* Quanta ſit illa *de lingva nova*, eruditis loco latinæ, nunc receptæ, imo philoſophantibus ſolis, quam accuratiſſima, conſtituenda. Cujus & *vota* eruditorum, ac deſideria, poſtquam hæc ſcripſeram, plura eaque diſparia valde mihi notavi, & *conamina* etiam nonnulla. *Vota* v.gr.
14 *Bibliandri* de communi ratione lingvarum pag. 31. *E re eſſe generis humani, unam eſſe lingvam, qua omnes nationes communiter uterentur. Si perfici hoc non poſſet, ſaltem* qua gentes *ac nationes plurimæ, certe qua nos Chriſtiani initiati iisdem ſacris, & ad commercia, & ad peritiam rerum propagandam.* Quod poſtremum adeo ſolum ego crediderim terminare optationes noſtras, atque ſpes totas merito debere. Quandoquidem & reliquæ minus neceſſariæ ad animarum commoda; & ob plebis interventum nullam poſſit ac-
15 curatam obſervationem unquam tueri. Quo & reſpexiſſe videtur Thomas *Bartholinus* de legendis libris diſſertatione 3. pag. 75. & 76. de conatus ejuscemodi ſucceſſu, aliis etiam ſuperadditis ex rationibus deſperans, quas hic non eſt examinandi locus. *Anonymus* etiam auctor *Gallus*, alias nobis detegendus, Artis loquendi, (*Art. de parler.*) lib. 1. c. 3. circa finem notabilia de conatu ejuscemodi, ejusque mediis commemorat. *Anglorum* etiam hac in parte conatus ex Actis eorundem Illuſtris *Regiæ Societatis*, editisque ſpeciminibus noti ſunt. Qvibus addi poteſt M. Roberti *Plot* Hiſtoriæ Naturalis Provinciæ Oxfordenſis propoſita inventio, Linguæ univerſalis Philoſophicæ, memorata etiam in *Diario Eruditorum*
16 *Pariſino*. A. 1677. d. 16. Auguſti p. m. 262. Imo & ingenioſiſſime facetum commentum Lyrani de *Bergerac*, in fragmento poſthumo cui titulus, *Hiſtorie Comique des Etats & Empires du Soleil*, edi-

to

to in 12. Parif. 1662. pag. 41. & feqq. de lingva ejuscemodi non afpernandas cogitationes, ferio joculares exhibet. Sed unde abducta eft noftra redeat fpeculatio. Eas igitur quas habemus linguas præcipuas luftrantes, conftructiones perinde atque voces, ex mero hominum arbitrio fieri obfervamus: dum modo his, modo illis particulis præfixis, vel annexis, illa, vel illa indicantur. Unde eodem modo vitia eas capere confequetur. *Antiquari* nempe 18
conftructiones, & ab ufu removeri, vel in alium ufum adhiberi, & *novari*, manifeftius eft, quam ut doceri debeat. Clarius etiam *in linguas alias ex aliis transferri* easdem confpicimus. Unde *Germanismis Latinis*, & *Latinifmis Germanis* origo. Sic & *Græcismi* 19
antiquitus apud Romanos funt notati: quos celeberrimo ex JCto Theologo Tertulliano, familiares B. Rhenanus teftatur, apud celebrem illum Antitriboniani auctorem, (m) qui & *Afras, & Syras dicendi rationes Juri Romano* ineffe afleverat. Quin & plura 20
fignificantes conftructiones, five *Amphibologicas* offendimus, tam cafu ortas, quam confilio, ex translatione nempe continuata, quæ *allegoriis*, aut affectata elegantia, quæ *figuratæ* dictæ *fyntaxi* originem præbuit, natas. Etiam *minus exprimentes* easdem cer- 21
nimus, ex declinatione, conjugatione, aut connexione neglecta, vel alia relationum minus accurata defignatione provenientes. Quæ omnia prolixius hic pertractare confulto detrectamus ad Grammaticos, maxime Philofophos, & laudatum jam antea *Feldenum*, cupidum plurium & indigum lectorem ablegantes.

De vitiis in proportione orationis, facientibus legem videri quæ non eft.

XII. Ipfa vocum proportio, & numero, & qualitate vitiat legem, fi vel *faciat apparere legem quæ non eft*, vel *non apparere quæ eft*. In priorem errorem incidimus facillime, fi per voces compofita videatur enũciatio, five propofitionis index oratio, quæ plures propofitiones compræhendit, imo fæpe integrum fyllogifmum. Ita hæc propofitio, Homicida quia eft homo vitiofus punitur, totum continet fyllogifmum, tribus hifce propofitionibus conftantem. Omnis vitiofus puniatur. Omnis homicida eft vitiofus.

(m) *cap. 12.*

tiosus. Omnis homicida puniatur. Cujusmodi enunciatio dicitur *caussalis*. Similiter *exceptivæ* pluribus æquipollent. Ut: Omnis civis præter impuberem habeat jus legandi pro lubitu. Nam resolvitur in has, Impubes non habet jus legandi. Omnis civis qui non est impubes, habet jus legandi. Sic *copulativæ* quæ dicuntur vulgo, exprimunt propositiones, diversa subjecta, vel prædicata habentes. *Relativæ* etiam, & *reduplicativæ*, & *conjunctivæ*, & *conditionales* continent plura quam debebat unica, & simplex enunciatio, quam unicæ propositioni respondere conveniebat. Atque his modis simulatur propositio ubi plus est quam propositio: possunt autem & perfectiones propositionis simulari per orationem, ubi revera est imperfecta propositio. Ita pro universali, vel contingente utplurimum venditatur, quæ talis non est, per præfixam particulam alias plerumq; indicantem ejusmodi propositionẽ, quæ Logicis vulgaribus signum appellatur. Qui itaq; non ipsam terminorum rationem intuetur, sed signum, omne videlicet, vel contingit utplurimum, præfixum in oratione tanquam necessarium indicẽ & infallibilem sequitur, is posito signo ubi non debebat, necessario decipietur. Et hunc in errorem nos deducunt Logicorũ non pauci, definientes propositionem universalem, quæ signum universalitatis habet præfixum, & contingentem ut plurimũ, quæ contingentiæ utplurimum quæ ex definitionibus Aristotelicis sunt corrigenda. Cum non tam externa verba, quam sensus animi, seu orationem internam attendendam ratio suadeat. Inter leges etiam sæpenumero censetur, quæ lex non est, sed fuit, sive quæ est abrogata: quod tamen non tam scripturæ, (etsi ea si desit, hic error non facile accidat,) sed consensus vitio contingere dictum est. *cap. 6. §. 10.* Cætera vero legis requisita, non tam facile simulantur per orationem: qualia sunt præmia, vel pœnæ, & alia. *cap. 6.* Nam vel adsunt voces quales debent, & respondent termini, vel desunt utraque, & orietur aliquis e defectibus superius recensitis. De quibus iterum ad Logicos, & speciatim ad *Feldenum* part. 1. lib. V. & part. 2. lib. 1. c. III. Lectores studiosos amandamus.

De iisdem tacientibus

XIII. *Dissimulatur lex*, vel *occultatur* his fere modis, ratione ora-

orationis. Si nempe *pars* ejus aliqua terminum propositionis essentialem denotans, suo *loco mota sit*, & ita collocata, ut quorsum referenda sit, ægre appareat. Ita enim incautis non videbitur propositioni respondens oratio, quæ tamen re vera est. Nam si plane absit vox essentialis ejusmodi, simul & ipse terminus aberit, & vitium in classem superius commemoratorum cadet. Secundo perfectio propositionis læditur per *signa perperam præfixa*. Contrario videlicet modo, qvo simulationem fieri proponebamus. Imprimis autem hic illud est perfrequens, quod singularis sive ad individuum alligata videtur oratio, dum casus proponitur, ubi universale erat subjectum constituendum. Ita lex illa: (n) *Si Nerva arbitrium ita pravum est, ut manifesta ejus iniquitas appareat, corrigi potest per judicium bonæ fidei*, complectitur hanc: Omne arbitrium inter socios manifesto iniquum corrigitur per judicium bonæ fidei. *Tertius* non minus freqvens *occultationis modus est, si precantibus*, vel *interrogantibus*, *verbis lex utatur*, ubi jussio revera continetur, id qvod in fideicommissis perpetuum fere est. Poterat etiam dissimulata videri enunciatio, ubi voces plures justo accumulantur. Verum aut illæ sunt significantes, exprimuntque certos terminos, & adeo & ipsi abundant: aut nil denotant, & non sunt voces nec mutant sensum, & qvæ cætera huc pertinentia usus suggeret.

apparere non esse legem, quæ est.

XIV. Persecuti pleraque omnia quæ legi conformem orationem deformant, ad eam nunc orationem, quæ juri sive complexioni integræ legum respondet, accedimus. Verum enim vero hac qvidem in parte aut nulla cernimus vitia, aut qvæ ipsam materiæ, seu *complexionis legum vitiositatem* involvunt adeoqve ex dictis jam olim dependent. Ita vel *numero*, vel *ordine*, vel *distinctione* enunciationum male se habente, ipsum propositionum systema laborabit. Unum hoc omittendum non videtur, qvod *diversis orationibus lex eadem* indicari *sæpius* solet, adeoqve si non vis juris vitiatur, certæ superflua copia & nauseam parit,

De vitiis orationis, quatenus juri, seu toti legum complexui convenit.

(n) *l. unde si. 79. ff. pro socio.*

parit, & difficultatem intricatam. Unde & *Giphanius* in titulo ff. de Reg. Jur. & *Ritterhusius* in Novellis Juris Romani, aliique in aliis partibus id repræhendunt. Qvod vero & *dissonantiæ species* legibus per orationem possit affingi, & quid circa eam JCto sit agendum, deinceps pluribus exponetur.

Cap. 10.

Definitio perfectæ scripturæ, ad similitudinem perfectæ Orationis.

XV. Tantum de oratione jura exprimente dictum sit: nunc *ad scripturam* ordinis nos ratio defert. Qvæ est uti diximus *orationis signum*, eo proinde perfectior, quo magis & omnibus, & semper, & articulate, pleneque significat qvam debet orationem. Cujus rei impedimenta eadem hic qvæ orationis invenimus. Sicut enim soni ex mero utentium arbitrio conceptus, ita scriptura ex voluntate utentium orationem significat: ac proinde & mutationes diversimodas, ac varietates admittit. Cumqve scriptura foret perfectissima qvæ orationis partes singulas exacte, & distincte exprimit, ac indicat, omnibus, ac semper: non possimus jam perfectiorem habere scribendi rationem ea, quæ orationis partes articulate, singulas, hoc tempore repræsentat, omnibus hac scribendi communione utentibus.

Recensentur vitia scripturæ, ad similitudinem vitiorum Orationis.

XVI. Unde conspicua satis superqve est, *quod ad perfectionem, & imperfectionem, orationis cum scriptura convenientia.* Perinde enim ut soni, vel nil significant, vel sunt inarticulati, & voces esse desinunt: ita & ductus illi nostri, si jam non amplius orationis articulos, seu membra singula, per litteras, syllabasqve exprimant; sed vel plane nihil, vel ipsas res, ceu imagine repræsentent, jam scripturæ naturam non amplius retinebunt. Qvemadmodum porro Oratio, ita & *scriptura*, *peregrina*, *antiqua*, & *nova* esse potest. Plura etiam & *diversa* per scripturam *exprimi* contingit, vel ex ductu, vel ex dispositione litterarum, quæ initium legendi finemve, aut ordinem occultans, varias exhibet.

bet lectiones, aut per plura & diversa exemplaria ejusdẽ ſcripturæ. Imperfecte vero, ſeu non per partes omnes quod oratio indicari ſcribendo qveat, latere neqvit, inſpicienti abbreviaturas vulgo ita dictas, notisqve antiqvorum & ziglis ſcripta, item ductuum obſcuritatẽ, & lacunas, ævo, vel aliunde formatas, diſtinctionumve, qvæ vel voces, vel orationes earumve partes diverſas ab invicem ſecernunt, ac ſegregant, item accentuum, qvi ſonos affines, earumque qvantitates diſtinguunt, omiſſiones, vel uſus præpoſteros, & hinc orientia vitia conſideranti: qvibus non ſingulæ ſaltim voces, ſed & enunciationes, atqve integræ orationes bene conſtructæ male exprimuntur. Qvamvis & hic plerumq; ipſius orationis, aut propoſitionum, ac terminorum vitia concurrant. Illud qvoqve apprime notatu eſt dignum, qvod ſæpiſſime variis & diverſis ſcriptis exemplaribus inter ſe repugnantibus, & diverſa atqve contraria dicentibus. Antinomia quædam ſive legum diverſitas, atqve incertitudo creatur. Neqve magis illud prætereundum, qvod legum complexionem qvod ad ſcripturas deturpat, ſi nempe *aliquoties eadem lex totidem verbis* repetatur. Qvæ iteratio, & per ſe faſtidium, & ſatietatem, & abundantiam, & inutilem copiam inducet. Neqve tamen rarum hoc in Romano Jure: ubi non Inſtituta modo in Digeſtis ferme integra repetita, ſed & alias leges totidem verbis iterum atqve iterum deſcriptas reperimus.

Quod ſint ejusdem generis vitia, quæ orationi, & ſcripturæ legum accidunt, & eorum cauſſæ, deq; cautela in dignoſcenda ſede vitiorum legis adhibenda.

XVII. Ex quibus omnibus, tum *vitiorum effectus*, tum *cauſſas easdem ſcripturæ & orationis* deprændimus. Sicut enim per orationem vitioſam, vel nihil, vel aliquid ſed imperfecte, vel plura indicantur: ita & ſcriptura idem efficit. Quemadmodum porro oratio ejusque partes, ita & ſcriptura vitium trahit, aut ex communi utentium conſenſu mutato, unde antiquatur præcipue, & novatur: aut ex voluntate ipſius loquentis, vel ſcribentis, prout ille ſeu ex opinione, ſeu affectu, ſeu conſuetudine in aliquam elegantiam, vel brevitatem, vel aliam novationis cauſſam fertur, aut denique ex ipſius materiæ natura, ſi res nondum habeat appella-

pellationem, vel ſcripturæ materia non ſit apta, quæ neceſſitatem imponunt aberrandi ab optima dicendi ſcribendive ratione. Quæ omnia quomodo contingant, facillimæ eſt perceptionis, unde ad *Interpretationem* illico accedimus, a ſuperiori nobis diſtingvendã, quæ Immediata ſicut eſt, ita dici etiam merito debet; utpote ſcriptam legem citra ſcriptionis aut orationis externæ, qua talis conſiderationem, ſed qua internæ adjuvans: quando hæc mediante oratione externa partim, & ſcripturæ ductu, id agens, univerſim omnis, atque toto genere ſuo mediata nobis audiet, quæ alias vulgo etiam Explicativa, atque explicatoria, vel Explicatio dici ſolet, eſtque interpretatio juris ſcripti quatenus ſcripti, ſive potius ſcripturæ legum, aut per eandem deſignatæ orationis externæ, aut utriusque, imbecillitates tollens. Unde neque ſuperioris capitis ſpecies ulla continet harum aliquas, aut earundem aliqua continetur. Quamvis & illæ omnes non niſi ſcripto juri compræhenſæ ſpectentur, attamen non quatenus ſcripto, ſive ſcripturæ illius. Circa haſce Interpretationes mediatas unum hoc generatim notabile ante omnia eſt, quod propterea hic monendum duximus.
Reg. 146. Nempe quod (I.) ſedula adhibenda legum interpreti cautio eſt, ne in ſede vitii aberret: credens in ſcriptura eſſe vitium, quod in ipſa oratione, vel propoſitione, ſeu conceptu legis deliteſcit, aut viceverſa. Nam per quod interpretatio impeditur, aut ſubvertitur, illud cumprimis JCto cavendum. Atque per ejusmodi errorem id fit. Ergo. Patebit autem id ipſum facili negotio, ex iis quæ dicta ſunt, de ſingulorum vitiorum natura, & eſſentia, inter ſe collatis. Et hæc etiam de ſcripti juris tum ex oratione, tum ex ſcriptura pullulantibus imbecillitatibus dixiſſe ſufficiat. In quibus omnibus brevitatẽ,
eo

eo magis succinctam præstare laboravimus, quo minus ex hujus scientiæ principiis omnia demonstrari de oratione & scriptura possunt, sed ex Logices, Rhetorices, Grammaticæ, Criticesve præceptis magnam partem dependent. Qvarum adeo postremam æqve ac priores tres Illustrem *Feldenum*, intuitu ad legales usus semper etiam habito, elaborasse optaremus. Qvem nunc circa priora tria scientiarum genera, iterum iterumque hic Lectoribus curiosis accuratæ scientiæ commendamus. Utpote quo nemo magis ad interpretationem nobis præsuppositorum hic ubiqve fuerit opportunior, & accommodatior.

CAPUT IX.

De INTERPRETATIONUM quæ versantur CIRCA JUS SCRIPTUM SPECIEBUS mediatis: Critica nempe, & Mentali: deque differentiis harum, & præceptis, secundum quæ adhibentur.

SUMMARIA.

1. *Continuatio, & propositi ulterioris ratio.*
2. *Generalia de interpretatione juris scripti.*
   Additio XIII. *De* summis *generibus Interpretationis Explicatoriæ Externæ* & *Internæ.*
   Additio XIV. De *Interpretationis explicatoriæ Externæ Speciebus* simplicibus.
   Additio XV. De *Interpretationis Explicatoriæ*, externæ respectivæ, vel *comparatæ Speciebus.*
   Additio XVI. De *Explicatoria* Interpretatione *Interna.*
3. *De Interpretatione legis scriptæ, ex natura & perfectione ipsius scripturæ.*
4. *De Interpretatione legis scriptæ ex natura, & proprietate orationis cum scriptura consentientis.*

5. De

5. *De interpretatione legis dubiæ, ex natura, & perfectione ipsius legis, & inde orientes regulæ variæ.*
6. *De interpretatione legis, ex caussis, quæ movere potuerunt Legislatorem ad faciendum legem talem, vel tribuendum sensum certum illi orationi, vel scripturæ.*
7. *De colligenda voluntate legislatoris contra proprietatem Orationis.*
8. *De eadem constituenda contra bonitatem, & significationem scripturæ.*
9. *Species harum omnium interpretationum proponuntur, ac definiuntur, earumqve differentiæ discriminantur.*

I.

Continuatio, & propositi ulterioris ratio.

QUemadmodum Medicæ scientiæ cultor, qvi morborum naturas & differentias ex caussis suis deduxit, parum præstitisse censendus est, neque ad curam ægrorum admittendus, nisi & curandi præcepta, & medicamentorum virtutes pari ratione iisdem adjunxerit: ita & nos merito inanem lusisse operam dicemur, si imbecillitatibus juris scripti, quantum hujus instituti ratio exigit, summatim indicatis, tollendi easdem modos omiserimus. Quod ut effugiamus, proximum nunc in eo laborem ponere decrevimus. Tales autem tollendi modos esse debere, ex superioribus, & imprimis ex Reg. 10. liquet, qui mutationem omnem excludant. Neqve enim hic minus atque ante, Regulas nostras semel positas observabimus: cum ubique verum vero consonet. Non ergo trademus, qvomodo orationem vitiosam permutare meliore aliqua JCtus debeat, neque quomodo optima oratione leges possit compræhendere. Etsi enim & hanc operationem vulgo interpretationem dici, jam confessum olim habeamus: tamen, & ibidem habitum hunc a nostro alienum declaravimus. Imo foret hoc Grammaticam, non leges interpretandi artem profitentis. Multo minus quomodo scriptura optima jus exprimi, & vitiosa corrigi debeat, hic exponi oportet: cum id scriptoriæ artis opus sit. Quid ergo nobis hic præstare incumbet? Quid vero aliud quam quod interpretis definitio exigit. Ut nimirum

c. 2. §. 2.

manente

manente Oratione, & ſcriptura, quales eas voluit Legislator, vitium utriusqve tollamus.

II. Hoc autem tunc demum effectum dabimus, ſi quantum poteſt perfectiſſimum ſignificatum Scriptura vel Oratio per JCtum accipiat. Cum enim tota vis & ſcripturæ, & ſermonis, in ſignificatione ponatur: ſi illa ſit perfecta, ſublatum omne erit vitium. Erit ergo JCti officium univerſale ad *Explicativam* omnem *Interpretationem* pertinens, (II.) perfectiſſimam Orationi, & ſcripturæ legis ſignificationem adſcribere. Nam & ita iis Legislator prudens utetur. Perfectio vero illa cum ſit ſignificare unum quid, & id ſolum, ac per omnes partes; hinc omnino ſemper, quantum ejus fieri poteſt (III.) Ita erit accipienda Scriptura, & Oratio, ut aliquid operetur, (a) ideſt non ſit inanis, & nihil ſignificans, vel ſuperflua: idqve obſervandum per partes ejus omnes. Imo (IV.) ita accipienda erit, ut unus ei ſolus, & certus ſenſus inſit. Porro (V.) intelligenda Scriptura, & Oratio, quemadmodum

Generalia de interpretatione juris ſcripti.

Reg. 147.

Reg. 148.

Reg. 149.

Reg. 150.

(a) *Cap. ſi Papa.* 10 *de Privil. in 6. Goffred. in ſumm de poteſt. jud. deleg. num.* 8. Socin. *Reg.* 440 *gl. &* Bald. *in l. 1. pr. ff. quod met. cauſ. Roland* a Val. *conſ.* 61 *n.* 14. Alexand. *lib.* 4. *conſ.* 100. *n* 4. *& lib.* 6. *conſ.* 214. Caſtrenſ. *lib.* 2. *conſ.* 193. *in fin.* Curt. *ſen. conſ.* 29. *num.* 4. Cravett. *conſ.* 25. *num.* 3. *& reſp.* 1. *progen. n.* 46. Decius *conſ.* 626. *n.* 7. Ruin *conſ.* 79. Surdus *vol.* 2. *conſ.* 53. *Conſil.* Marpurg. 9. *n.* 52. Maſcard. *conſ.* 1059 *num.* 4. Menoch. *conſ.* 378. *n.* 13. *Gabrielius lib.* 6. *concl.* 3. *n.* 2. *& ſeqq. M.* Mantua *ſing.* 47. *n.* 1. Vigel. *Mem. I. Controv. cap.* 1. *lib.* 1. *par.* 1. *Reg.* 8. Peck. *de teſtamen. conjug. p. m.* 432. *num.* 2. *& qui præterea magno numero citantur a Cardinale* Tuſcho. *lit. V. concl.* 85. *&* Barboſ. *loc. comm. lib.* 1. *num.* 11. Ottobon. Rot. Roman. *deciſ.* 22. *n.* 25.

modum eam intelligi voluit Legislator, (b) ex Reg. 14. & 15. Voluit autem intelligi Legislator, vel qvaliter debuit, vel qualiter non debuit. Utrique casui sua Interpretatio nec una respondebit.

Additio XIII.

De summis generibus Interpretationis Explicatoriæ Externæ & Internæ.

PRiusquam ergo hic pergamus, operæ pretium omnino fuerit, ad ordinandas paulo accuratius regulas interpretandi Orationem & scripturam Legum, Explicatoria Interpretatione, genera illius, atque species, partite, secus ac olim editione prima factum fuit, distinctas invicem, & definitas, singulas exhibere. Ut quot eæ, qualesque sint, & quo quæque Regulæ pertineant, eo dilucidius appareat, ac de applicatione selecta earundem postmodum eo etiam explanatius & enucleatius præcipi possit. Quandoquidem ab illustri *Feldeno* hæc omnia sunt derelicta, nostris posterioribus curis nunc, quando in ipsius industria hucusque posita spes decollavit, eo magis supplenda. Ut artis hujus idea quam plenissima pro virili nostra exhibeatur.

c. IIX. §. f. Itaque hæc *ante* definita Explicatoria Interpretatio, quæ Critica late sumpta voce dici etiam queat, *summa genera* & capita *bina* iterum habere nobis deprænditur. Alterum nempe quod externa tantum legis, & quasi corticem i.e. Scripturam & Orationem attingit: alterum quod ipsam medullam, seu mentem & sensum Legislatoris spectat. Quæ si nomenclaturis etiam distingvere libeat, prior, hoc quidem loco Legum, Expli-

(b) *v. citatos ad cap. 5. §. 11. (x.) l. in ambiguis 96. ff. de R. I. l. in ambiguo 3. ff. de rebus dubiis. l. alienationes 28. §. oratio 1. ff. de V. S. l. nepos. 125. & l. Urbana 166. b. t.* Giphan. *de R. I. lib. 1. cap. 8. p. m. 96.* Manincor. *max. Jur. litt. t. n. 17.*

Explicatoria Interpretatio Externa sive mere Philologica sit, *quæ scripturam aut orationem legum*, aut juris, *ex ipsa natura sciipturæ* aut *Orationis* considerata *interpretatur*. Posterior Interna & plusquam Philologica dici queat, item hypercritica, *quæ* videlicet *ex interna Oratione, atque sensu*, & mente *Legislatoris, externam orationem atque* illius indicem *scripturam interpretatur*.

Additio XIV.

De Interpretationis explicatoriæ Externæ Speciebus simplicibus.

HÆc iterum *alia* erit *simplex*, & *absoluta*: alia *comparata*, & *respectiva*.

Simplex, & absoluta Interpretatio Explicatoria Externa illa est, quæ *circa scripturam aut Orationem in se spectatam*, & quidem *alterutram* harum solam occupatur. Eritq; adeo I. *Scripturæ* quidem proprie ac stricte dicta, Critica vel Grammatistica merito vocanda, quæ legendi rationem optimam docet, seu Scriptura illa sit perfectissima optimeque sese habeat: seu imperfecta & mendosa. v. gr. abbreviaturis & erratis scatens. Utramque ars Critica κατ' ἐξοχὴν ita dicta, ut subalternans subalternatum, abstractum concreta complectetur. Eam peculiari libello Caspar *Scioppius* adumbravit, aliique sparsim præceptis aliquibus ditarunt. v. *Danhaueri* Ideam boni Interpretis, artic. XII. §. 96. p. 200. & seqq. *Claubergium* Logicæ veteris & novæ part. 3. c. 4. & seqq. multis adhuc modis plenius illustrandam & perficiendam. In quod *Feldenus* etiam æque feliciter atque operose, ac in Grammaticam

ut incubuiſſet, jam ſupra optavimus. Legibus autem eam applicuerunt præprimis feliciter *Cujacius, Alciatus, Hotoman.* Jac. & Dionyſ. *Gothofredi* &c. adeo ut hac in parte parum fortaſſis elaborandũ ſuperſit, elaboratorum notitia ſatis inſtructo. Quod ſi partes hujus Critices etiam eas, uti ſunt diverſæ, quæ perfectã aut imperfectam ſcripturam conſiderant, ita nominibus quoque ſecernere velis, illa Intellectiva, vel Expoſitoria, & expoſitio mera, & ſtricte dicta, hæc Declarativa Grammatiſtica vocari poſſit. Ubi notandum, quod tam intellectiva, & hæc quidem maxime, quam declaratoria, etiam expoſitoria in commune late ſumta voce dici queat, vix interpretationis nomen, niſi per accidens meritura. Cum non niſi apud ignorantes, ea quæ oportebat ipſos ſcire, de natura ſignorum (Scripturæ puta, & Orationis, perfectæ, aut imperfectæ) vicem præſtet interpretationis. Qvando nempe peritus qvivis intellecturus ſit, ſigna perfecta vel imperfecta, ſicut oportet: cœteris vero ſua culpa opem interpretationis peculiaris neceſſariam faciat, adeoque perſonalis accidentaria imbecillitas potius, quam legis aut legislatoris ſit impedimento per interpretationem demum ſuperanda. Sequitur II. Orationis interpretatio, quæ duplex iterum erit: nempe

1. Grammatica, qvæ *voces earumque* ſignificationes, aut *conſtructiones examinat ſecundum leges Grammaticæ*, vel *generalis* & philoſophicæ omnibus linguis communis: vel *ſpecialis*, v. gr. latinæ, ad Jus Juſtinianeum, Germanicæ ad Receſſus Imperii, &c. & quidem illius temporis, qvo leges quæque ſunt ſcriptæ, una cum cauſſis & conſvetudinibus ſcribendi, legum interpretandarum receptis. Unde cum iterum aut ex perfectione Orationis, aut imperfectione fiat æſtimatio: iterum alia Intellectiva ſeu Expoſitio ſtricte dicta, alia

Decla-

Declarativa seu declaratoria Grammatica Interpretatio enascetur.

2. Rhetorica, quæ est *ex ornatu sermonis:* hic quidem non adeo stricte intelligendo, quin flosculi etiam poëtici, & si quid aliud historici, vel alterius styli proprium, sit admixtum, id una compræhendatur. Ubi itidem pro perfectione aut imperfectione ornatus Intellectiva vel declarativa Rhetorica Interpretatio evadet.

Additio XV.

De Interpretationis Explicatoriæ, externæ respectivæ, vel comparatæ Speciebus.

COmparata Interpretatio Externa est, quæ *respectu sermonis scripturam cum eo comparatam* æstimat, & *dijudicat*. Estque iterum vel *Perfectiva*, vel *Caussalis*. (I) Perfectiva Explicatio est, quæ *ex perfectione Orationis scripturæ succurrit*, sive 1. *ex Grammatica* perfectione Orationis id fiat: Unde Grammatico-Critica dicetur, sive

2. *ex Rhetorica* perfectione interpretemur scripturam, quæ Rhetorico-Critica Interpretatio audiet. Sive 3. Grammatico-Rhetorico-Critica sit appellanda, quæ *ex utraque*, nempe Grammatica & Rhetorica perfectione Orationis simul inspecta & comparata scripturam interpretatur. Cum vero harum porro unaquæque triplex vitium scripturæ possit mederi, triplex iterum unaquæ-

que conſtituetur. Videlicet (1.) Electitia Critica Externa interpretatio, quæ *ex pluribus lectionibus ſeu ſcripturis unam eligit*, quæ *ſermonis* ſit *perfectioris*, ſeu Grammatice, ſeu Rhetorice, ſeu utroqve modo conſiderati. Unde cognomen, quoties diſtingui opus habeat, ſortietur triplex, nempe ex ante datis nomenclaturis, v. gr. Grammatico Critica Electitia, Rhetorico Critica Electitia, & Grammatico Rhetorica Critica Electitia Interpretatio.

(2.) Suppletoria Critica Externa Interpretatio, quæ *defectum Scripturæ* (v.gr. ſeu lacunam, & hiatum, aut lituram) *expleat, ex natura ſermonis Grammatice, Rhetorice,* aut *utroque modo conſiderati*; tripliciter iterum hinc cognominanda.

(3.) Emendatoria Critica Externa: quæ ipſam *ſcripturam leviter* ac *probabiliter immutet in melius, ex perfectione ſermonis Grammatica, Rhetorica,* vel *utraque* præſumtitia, ſeu tali, qualem Legislator ipſe amplexus fuiſſe, & deſcribentis culpa ſuſtuliſſe præſumi poſſit.

(II.) Cauſſalis explicatio erit, quæ *ex cauſſa voluntatis legislatoriæ, circa Orationis aut ſcripturæ* uſum vel *ſignificationem* occupatur: iterum aut ſuppletoria,

aut Electitia,

aut Emendatoria, *hujus, illiusve* futura.

Quæ tamen *cauſſalis triplex Interpretatio*, non æque externa mere, ſed a potiori rectius partim interna mereatur appellari.

Quan-

Quandoquidem eæ in voluntate Legislatoria caussæ circa orationem & scripturam spectatæ, sive implicite sive explicite, sane multum ultra limites naturæ sermonum & scriptionum porriguntur. Quin imo latius, quam credas. Videlicet ad ministros etiam & instrumenta Legislatoris, per quæ & ob quæ voluntas illum ea sic loquendi aut scribendi, vel erronea sæpe, vel coacta, imo ignorantia invitum adegit. Ita *culpæ librariorum*, *amanuensium*, *immutationes chartarum*, & *atramentorum*, & mille alia huc pertinent. De quibus *Criticorum* est *cura* studiumque liturarum & lirarum varietates, & abbreviationum cuique loco, tempori &c. propriarum diversas species, & significationes atque expositiones ut observent, ac in ordinem scientifici aliqvatenus æmulum redigantur, quo & JCti & alii utantur.

Additio XVI.

De Explicatoria Interpretatione Interna.

INterna seu plusquam Philologica interpretatio explicatoria, quæ & hypercritica (eximiæ suæ dignitatis caussa) merito vocabitur, est quæ *ex mente Legislatoris judicat de sensu verborum* ejus, *& lectione* scripturæ. v. gr. ut in dubio, vel ad supplendam, vel ad eligendam, vel ad emendandam orationem, aut scripturam, præferatur sensus legis melior, perfectiorqve, aut voluntati Legislatoris conformior. Unde statim apparet, quod duplex ea, nempe *Orationis* & *Scripturæ* necessario existat. Utraqve rursus ex quo duplici fundamento medetur triplici qua Scripturæ, qua Orationis imbecillitati, adeoq; totupliciter discriminanda venit. Nempe ut sit alia *perfectiva*, alia *Caussalis*.

(I.) Perfectiva interpretatio, quæ *ex perfectione legis qua legis varia*, | præsumtionem, aut *conjecturam facit de Oratione*

Oratione & *Scriptura*. Eritque iterum vel 1. Generalis & absolute ita dicta Perfectiva, quę *legis qua legis perfectione observata* instituitur. Et quidem *tripliciter*, ut sit

(1.) Electitia *seu* seligens interpretatio perfectiva, quæ *ex multiplici lectione*, vel *significatione orationis præfert perfectiorem*, *respectu* ipsius nempe *naturæ* atque existentiæ internæ *legis*, atque jurium: de quibus c. 9. §. 5.

(2.) Suppletoria interpretatio perfectiva, quæ id, *quod deest Orationi* vel *scripturæ*, *ex* natura & *perfectione legis supplet*.

(3.) Emendatoria Interpretatio perfectiva generalis, quę *scripturam* aut *Orationem legis ad evitandam essentialem* legis *imbecillitatem*, probabiliter ad voluntatem Legislatoris *emendat*.

Alia est ab hacce Interpretatio

2. Perfectiva specialis, sive Rationalis Critica Interna, quę *promelioribus vel pluribus rationibus legis* nunc interpretandæ, peculiaribus, *Orationem* aut *scripturam* ejus *interpretatur*:

seu Electiva iterum,

seu Suppletoria,

seu emendatoria, illa sit interpretatio: distingvenda non immerito a perfectiva, quæ sensum rationabilem Legis generatim irrationabili quidem præfert; non autem inter ipsas rationes instituit aliquem selectum.

(II.) Caussalis interpretatio Critica interna

na est, qvæ *pro caussarum legis reliquarum* (præter rationes nempe naturales aut Politicas) *bonitate Orationi* aut *scripturæ interpretationem adhibet:* electiva,
suppletoria aut
emendatoria similiter, pro dictis modo discriminibus, futura. Voluntate nimirum Legislatoris aliunde quam ex oratione aut scriptura sola innotescente.

Harum Interpretationum *singularum regulæ*, atque præcepta partite olim jam data, distinctione sola ordinare aliquanto melius, partim etiam deficientia supplere nunc annitemur. Itaque resumentes, modo quem abrupimus sermonem institutum, & continuandum, pergimus nunc, & quidem *ordine* non, uti hisce additamentis fecimus, didascalico, seu discentibus accomodatissimo, sed *heuretico*, sive inventionis nostræ, qualiter olim, & hinc demonstrationibus caussisque ignotis ac indagandis, non vero cognitis jam disponendis inserviebant. Cujus adeo utriusque methodi compositio, tanto evidentius etiam soliditatem hujus doctrinæ, atque vim, & usum, juxta omnem, æque commendabit etiam magis, quam si alterutra sola contenti fuissemus.

Quin adeo *concurrentes* hasce *Interpretationis Criticæ* tam varias *species*, & condivisas invicem, & varie immutata subalternatione modo superiori, modo inferiori loco eadem divisione posita *surrogandas*, ordinationem multiplicem admodum, & artis combinatoriæ gnaro si sic opus, videatur exacte demonstratum, admittere liquet. Id quod nunc (non tam ostentatricem sui Theoriam, quam utilem praxin spectantibus) persequi haud lubet. Quemadmodum *nec regulas* harum specierum adeo *exacte omnes formatas*, nedum *exquisite ordinatas hic profitemur:* ut oportebat, artem Criticam numeris suis omnibus perfectam, unde applicatio talium ad leges fieret in promptu habentibus. Quam ut etiamnum maxima sui parte solis adhuc votis possidemus; ita mi-

rari nemo debet hic alieno in loco eam non reperiri, quam ipsi ejus Professores in desideratis, atque derelictis nobis hucusque sunt esse passi. Dedimus interim quæ potuimus, quæque tantisper dum exactiora suppeditentur, utiliter adhiberi posse, certi sumus, meliori interim ab aliis, & hic, vel in bene pluribus atque majoribus præstolantes.

De Interpretatione legis scriptæ, ex natura & perfectione ipsius scripturæ.

III. Si scripturam intelligi voluit Legislator qualiter debuit: ita ea intelligetur, ut est perfectissima, seu maxime significans: idest qvemadmodum usus exegit illius temporis, qvo scripta est lex. Quem præsumitur hic secutus semper Legislator, donec manifeste aliud appareat. Quod enim perfectissimam per se facit legem, idest prudentis adhibere, adeoqve & Legislatoris, ex Reg. 5. & 7. Jam vero usus scripturæ maxime frequentatus tempore Legislatoris talis est, ut perfectam fecerit legem, & qualem facere prudentem decuerit: utpote maxime significantem mentem ejus, quam propalare erat animus. Ergo tunc quidem locum habens *Intellectiva Grammatistica Interpretatio*, seu *expositio*, præcipiet qvod JCti erit semper præsumere pro usitatissima significatione scripturæ, respectu habito ad tempus legis scriptæ.

Reg. 151.

Et quamvis sæpe contingat, immo plerumque contingat, non ipsum Legislatorem, sed alium leges in scripturam redigere: nihilominus & pro illius quamvis sit imprudentissimus, prudentia erit semper præsumendum, neque a scripturæ sensu abeundum; nisi nihil significare eam certi, adeoque quasi nulla esset, eam tractare velimus. A cujus enim significatu prout lubet, & sine caussa licet abire, illud certi quid denotare nullo modo poterit. Quæ cum ita sese habeant, patet non cujusvis debere arbitrio committi, ut leges describat, sed omnino certis modis hanc libertatem esse refrenandam ei, cujus curæ publica salus commissa est. Cum etiam frequenter accidat, ut exemplaria plura describantur ejusdem juris, patet generatim quidem (II.) Perfectius ex pluri-

pluribus exemplar ſcripti juris cœteris præferendum. Quod quotuplex eſſe poſſit *generatim* quidem, ex *cap. prox. præc.* §. 11. & 16. *ſpeciatim* ex *artis Oratoriæ ſpecialioribus* ad Jus applicatis, eſt cognoſcendum. Unde plurimæ ſpecialiores regulæ naſcentur. v.g. ob effugiendos errores ex ſæpiori deſcriptione orientes. **Illud exemplar præferri omnino debere, in faciendo de ſcriptura legis judicio, quod proxime accedit ad tempora Legislatoris**, & ſi ſint antiquitate æqualia, (III.) **illud cui & notitiam, & diligentiam magnam eſſe adhibitam patet.** maximeq; adeo publicam curam & recenſionẽ, atq; cuſtodiam &c. Unde merito magno in pretio Pandectæ Piſanæ, nunc Florentinæ, a Doctoribus (c) habentur. Quippe quas antiquiſſimas eſſe, manifeſto liquet tum ex ſcripturæ genere, quod majuſculis meris conceptum litteris, neq; periodos, neque voces uſitatis hodie diſtinctionibus ab invicem ſejungit: tum ex ſubſcriptione, quam talẽ ſub finem Tomi primi legiſſe

Reg. 152.
Reg. 153.

(c) *Vide Lælium* Taurellum *in præfatione ad ff. Florentina.* Hunn *de author. & interpr. Jur. Civ. part. 1. c. 2. l. 5.* Beſold. *de lib. jur. cap. 5.* Bartol. *in l pren. ff. de pact. n. 1. & l. 3. n. 4. C. de Cond. ob cauſ. dat. adde* Steckium *in præfat. ad Anticritica juris. Anton.* Auguſt. *lib 1. emendat. cap. 1.* Forſter. *de interpret. Jur. lib. 1. cap. 2. num. 7. & 10. Ante alios etiam inſpici merentur de hoc Manuſcripto, Ericus* Mauritius *de libris Juris Communis, eorumq; uſu Poſitiones ſelectiores (quod nomen omnino merentur) ex lectionibus publicis excerptæ, diſputatione publica ventilatæ Kilonii, in 4. anno non adſcripto, quem tamen inter 1660. & 1670. interceſſiſſe mihi conſtat. θ. IX. Ubi mendis etiam hunc codicem non vacare per exempla docet, ac §is ſeqq. quid Halvandrinis Florentina Digeſta præſtent, itidem exemplis pluribus demonſtrat. addatur Thom.* Bartolinus *de legendis libris diſſ. VII. pag. 244. & ſeq. & αὐτόπτης* Lambecius *Biblioth. Cæſar. Tom. 1. pag. 17. 18. 19. ibique citati.*

gisse memini. Quando earum inspiciendarum olim facultas, beneficio famigeratissimi toto jam orbe, uti quisquam unquam alius, Antonii *Magliabechi* dabatur: & quidem sine solennibus ceremoniis, & funalibus accensis, sine quibus illud nunquam inspici, nimis hac in parte credulus, sibi persuaderi passus est, ut scriberet *Seelmatterus* præludior. Jprud. universalis p. 43. nullo citato auctore, quem tamen allegat etiam *Politianum* lib. X. Epist. 4. *Lomejerus*, de Bibliothecis c. 9. p. 177. postquam Jacobi *Gotofredi* verbis reperti codicis hujus historiam recensuisset.
Ego Marsilius Ficinus adfui dum hoc reperiretur, idque propria manu adscripsi, die 19. Aprilis 1486. *Petro Gerardi sedente Vexillophoro Justitiæ. Quare perspicuum judicamus hoc volumen fuisse ab ipso Justiniano compositum, neque solum transcriptum.* Quo de asserto tamen magna à Doctorum non paucis (d) movetur controversia. Quam nos una cum collatione hujus exemplaris cum Vulgari, & Haloandrina editione, JCto nostro speciali Romano-Germanico reservatam olim, nunc cum illius elaborandi spe plane depositam aliis relinqui. Interim in generalibus nunc pergimus, quæ ex dictis supra facile deducentur, eoqve imprimis recident, ne vitium, vel imperfectio scripturæ affingatur, & pro ejus usu communi sensus constituatur, unde (IV.) **si scriptura clara est, & perfecta, ac propria, nulla ejus quæretur interpretatio:** ex Reg. 9. alia, quam hæc, improprie, uti monui, ita dicta, *Expositoria*, seu *Expositio* potius vocanda. Tantum abest, ut affingenda sit imbecillitas, quæ non adest. Huc ergo pertinent illa: de generalibus generaliter, specialibus specialiter &c. intelligendis, quæ operose congesta *Zepperus* exhibet Cynosuræ Juris Cap. 1. & seqq. specialiter per Grammaticas par-

(d) *Besold. l. c. cui add. Alberic.* Gentil. *de libr. Jur. Civil. cap. 2. Franc.* Pageni *prodr. Juris pag. 315. qui* Budæum *etiam pro autographo Justiniani habuisse hoc exemplar testatur, loco excerpto, ac* Menagii *Amœnitatibus Juris præfixo. Qua de re vid.* Mæstert. *de Justitia LL. Rom. p. m.* 152.

partes varias transiens, & exemplis ex Jure Civili variis illustrans. Quod si vero Imperfectio scripturæ sit in aperto, ex illius notitia Critica, & antiquaria, fuerit *Interpretatio Critica* proprie dicta, seu *Grammatistica declarativa* instituenda. Cujus nunc universale præceptum hoc dare contenti sumus unicum. (I.) Imperfectæ scripturæ pro residua sua virtute omni quam ad significandum habet, interpretationem ordinario faciendam. Observata proinde analogia regularum superiorum, & respectu continuo ad tempus scriptionis, & voluntatem scribentis. Unde regulæ speciales Orationis multæ resultabunt, iterum huc non transscribendæ. v. gr. Reg. 154. Si scriptura legis sit peregrina, ex usu illius Reg. 155. Reg. 156. peregrinæ linguæ erit ipsi significatio adscribenda. Reg. 157. Reg. 158. Si antiqua, ex eo quem habuit. Si nova, ex eo qvem habere incepit. Si ambigua, seu plures legendi rationes recipiens, ex usitatiori legendi modo erit existimanda: & quæ plura super hac re congerere Critici foret.

De interpretatione legis scriptæ ex natura, & proprietate orationis cum scriptura consentientis.

IV. Ita parem in modum Orationem, si qualem debuit adhibuit Legislator, eam adhibuit maxime propriam. Unde pari fundamento *Interpretationis Grammaticæ Intellectivæ*, seu *expositionis* [I.] Pro Orationis proprietate, (e) quam

(e) *l. non aliter 96. ff. de legat. 3. & l. 1. §. licet autem. num.* 20. Manincor. *Reg. Jur. litt. V. num.* 22. Donel. 1. *comm.* 15. Forst. *de Interpr. Jur. lib.* 2. *cap.* 5. *Reg.* 16. 56. 64. & 86. Gammar. *de extens. num.* 75. *Martin.* Bondem. *de l. disp.* 1. *l.* 1. *Punct.* 8. & 14. Mopha *de rat. Studior. circa f. in voce verba.* Pedroch. *resp. de individ. n.* 699. Guido *Papa decis.* 206. *n.* 5. Decianus *vol.* 1. *cons.* 5. *n.* 117. & *cons.* 16. *n.* 25. Farin. *cons.* 45. *n.* 17. Menoch. *cons.* 332. *num.* 7. & 27. & *cons.* 863. *num.* 14. &c.

Reg. 159. ex ſolo uſu, ex dictis ſupra, æſtimabit, [f] ſemper præſumet JCtus habito reſpectu ad tempora Legislatoris. (g) Iis enim quos habuit Civibus primario locutus eſt: non futuris, neque præmortuis. Nunquam ergo præſumendus, ſed ſemper omni ſtudio evitandus JCto ſenſus vocis antiquatus, novus, novatus, peregrinus, ambiguus, ſeu multiplex, vel obſcurus, aut alio quocunque modo ab optimo, uſitatiſſimo, & maxime proprio
Reg. 160. recedens. (h) Porro (II.) Exemplar Orationis, ex pluribus ſeligendum ordinario authenticum, ſeu Originarium, præ verſione, vel alia interpretatione patet ſane cuivis, ex dictis, ac ſi deſit illud ei proximum: Et ſi plura ſint Originaria, v. gr. ipſo auctore verſiones etiam dante ſuas.
Reg. 161. (III.) Ea prævalebit, cui major adhibita diligentia appareat, & voluntatis ſignificatio firmior. v. gr. po-

(f) Mopha *l. c.* Hopper. *de arte jur lib. 2. cap. de juris conjectura.* Vigel. *Method. I. Controv. l. 1. c. 1. reg. 4. Ibique citati* Turzan. *comm. opin. E. 29. Joan.* Fichard. *addit. ad* Villalob. *C. 107. Fr.* Vivi. ab Aquila. *lib. 2. comm. opinion.* Jaſon. *in rub de damno inf. n.* 8. Rot. Rom. Ottob. *deciſ.* 44. *num. 18. adde* Barboſ. *loc. comm. V. n. 7. ubi præter leges citat.* Surd. *conſ. 313. n. 87. & conſ.* 454. *n. 18.* Mantic. *de conject. ult. vol. lib. 3. tit. 8. n. 1. Luſit. Fr. Anton. a* Souſa *in relect. de cenſuris bullæ cœnæ. cap. 2. n.* 4. *& cap. 6. diſp. 29. n. 3. & c. 7. n. 1. & c. v. ſupra cap.* 7. *(e.) &* Bartol. *in l.* 1. *C. de jur. cal. & in l. cum de lanionis. §. aſin. molend. ff. de fund. inſtr.* Innoc. *in c. cum cauſſa & c. cum clamor de teſtam. & citatos a* Forſtero *de interpr. jur. lib. 2. c. f. reg.* 10.

(g) *Bonacin. de legibus diſp.* 1. *l. 1. punct.* 8. *num.* 19. *Card.* Tuſchus. *comm. concl. lit. V. concl.* 91. Coraſ. *de jur. civ. in art. red. part.* 4. *cap.* 5. Barboſ. *loc. com. V. 28.*

(h) Alciat. *de V. S. lib. 2. n,* 3 Cephal. *conſ. 369. n. 6. &* 439. *n.* 21. *&* 490. *num. 31. &* 607. *n.* 55. Schrad. *de feud. p.* 8. *c. 7. n.* 28.

posterior, latius deducta, studiosius elaborata &c. Cœtera ex superioribus nunc repetimus. Nempe quod (III.) VOCIBUS CLARIS, & proprietatem certam ac sufficientem habentibus, NON EST INTERPRETATIO APPLICANDA. (i) Foret enim hoc improprietatem, adeoque imbecillitatem iis affingere, quod vetat Reg. 4. MULTO MINUS ergo IISDEM OBSCURITAS, VEL AMBIGUITAS ERIT TRIBUENDA. (k) Quin potius secundum Reg. 159. pro eo usu, quem habuere tempore Legislatoris, sunt exponendæ. Isque si perfectus sit, aut proprius, acceptandus: Sin secus, pro eo qvantus adest, facienda interpretatio. Ita ergo incumbit JCto lectione auctorum Legislatori coætaneorum sedula, hanc sibi cognitionem comparare, ut de usu vocum certus sit. Conducet itaque hic *concordantias*, ex Legibus, & aliis ejusdem styli auctoribus conficere, quales & in Græcum Novum testamentum Henr. *Stephanus*, & post illum *Erasmus*, Smidius, & in alios auctores alii confecere: ex quibus quoties, & qvo sensu qvævis vox a legum auctoribus usurpata sit, appareat. Nec minus proderit differentias vocum, & convenientias notasse, & accidentia singula, derivationes, compositiones, & similia: ut qvatenus in usu fuerint, necne constet. Ex his enim etiam deinde pro modo usus qvem vox habet, significatio ei tribuitur, quoties imperfecta, & impropria sit adhibita. Nempe opponendo illi Interpretationem primario Grammaticam declarativam, cujus ope (I.) Generatim, pro residuo proprietatis suæ Orationi minus pro-

(i) *l. ille aut ille*, 25. §. 1. *de legat.* 3. Manincor. *Maxim. jur. V.* 24. Barbos. *loco comm. V.* 37. *Card.* Tusc. *pract. civil. V.* 108. *Decis.* Rot. Rom. *Seraph.* 762. *pr. Roland.* a Valle *cons.* 79. *n.* 55. *lib.* 3. Socin. *cons.* 13. *n.* 39. Forster. *de interpr. I. lib* 2. *c. f. Reg.* 13. & 14. *Guido* Papa *sing.* 308. *Aloys.* de Albert. *sing.* 13.

(k) *Hartm.* Pistor. *lib.* 2. *part.* 1. *Qu.* 5. *n.* 11. & *apud eum* Bartolus.

propriæ perfectæq; ſenſus ordinario conſtituetur. Ita vox peregrina, pro uſu peregrinorum.
Reg. 162. Antiqua pro eo qui olim fuit. Nova pro eo
Reg. 163. Reg. 164. Reg. 165. qui modo cepit, ſignificabit. Technica pro uſu artificum, ex qua habet perfectionem ante definitam. Ambigua quoqve vox pro uſu potiori recipiet interpretationem, ſive ea ſit caſu orta, ſive conſilio. (l)
Reg. 166. Ita homonyma caſu, æque uſitata, æque valebunt: & ex orationis natura, & perfectione quoque patebit, qui ſenſus præſtet: niſi forte conſtructioni oriatur vitium
Reg. 167. ex alterutro. Tunc enim Senſus ille præferetur, qui conſtructionem facit optimam, ſeu contextum congruum. Si ſynonymia inſit voci,
Reg. 168. uſurpatæ a Legislatore: Illum ſenſum præferendum, per quem vox alteri illi competit, iquidum eſt.
Reg. 169. Ita in analogis ea erit ſignificatio propria, quæ totam rei eſſentiam & ſolam complectitur, & per quam cur communis ſit reliquis vox illa, poſſit probari. (α) Id quod & in JCti æquivocatione extricanda fecimus. Similiter & *Rhetorica Interpretatio*, qua *Expoſitoria*
Reg. 170. ſeu *intellectiva* inſtituetur ita, ut (l.) Ornatus Rhetoricus

(l) Oinotom. *ſive* Schneidew: *in comm. ad rub. Inſt. de obligat. n.* 7. Barboſ. *loc. comm. V. num.* 13. *ibique citati.*

(α) v.. Clauberg. *Log. Vet. & Nov. part.* 3. §. 42. *&. ſeq.*

ricus perfectus quisque pro ſua perfectione ſumma exponatur: qua *declarativa*; Ut (I.) Ornatus Rhetoricus imperfectus pro reſidua ſua perfectione capiatur intelligendus. V. gr. Tropus longe petitus & Catechreticus, pro ſenſus & analogiæ maxima, quam capiet ſanitate. Unde tranſeuntibus omnes Rhetorices partes, longe plura quoqve, ac illuſtri *Feldeno* ſunt notata part. 2. lib. 1. cap. 2. Rhetoricæ interpretationis præcepta, & ordinatiora etiam liceat dare. Qvod nunc ab inſtituti noſtri ratione, ut ante jam diximus, eſt alienum. Exemplij tamen gratia ut aliquid afferamus: In Metaphoris ex ſimilitudine ſenſus invenitur: in Metonymiis ex oppoſitorum natura. Unde ſi propriam vocis ſignificationem norim, ex ea quæ hujus rei cum illa eſt ſimilitudo, vel oppoſitio; facile translationis vel denominationis, adeoque ſignificationis rationem inveſtigabo. Notandum vero hic, poſſe metaphoricos ejuſmodi uſus vocum, ſi frequententur, tranſire in proprios, & tunc ceu proprias eas voces tractari, id quod ex loquentium uſu conſtabit. Idem de conſtructione dictum volumus, ubi hæc omnia repeti poſſe manifeſtum eſt. Nam ut Reg. 159. 160. 161. præteream, & Conſtructio peregrina ex ejus linguæ proprietate, & antiqua ex præterito uſu, & nova ex incipiente cenſetur. In ambigua, ea quæ voces ſingulas facit magis pro-

Reg. 171.

cap. 1. §. 14.

Reg. 172.

Reg. 173.

Reg. 174.

Reg. 175. prias præfertur. Item quæ conſtruendi rationem magis facit uſitatam. Sic in allegoriis ex ſimilitudine interpretamur: & conſimiliter in cæteris. Etiam in proportione conſiſtentia vitia patebunt, ſi conſtructionis proprietas innotuerit. Reg. 176. Verba vero precantia, vel interrogantia, vel qualiacunque, pro affirmantibus, & imperantibus hic habenda: ſiquidem legis ſenſus, de quo infra hoc c. §. 7. id permittet. (m) Copia vero nimia, & ſuperflua iteratio legum, ſine ſublatione eorundem quæ abundant, tolli nequit. Adeoque hæc devoranda eſt nauſea, niſi per Methodicam interpretationem in corpus bene ordinatum leges digerantur, ubi ſuperflua omitti debere patet.

De interpretatione legis dubiæ, ex natura, & perfectione ipſius legis, & inde orientes regulæ variæ.

V. Hunc in modum ergo procedendo, ſiquidem ſenſum ſcripturæ, vel orationis proprium invenimus, & qualem Legislatorem voluiſſe vero ſit conſentaneum, jam res peracta eſt. Quod ſi vel imperfecta adhuc oriatur oratio, vel ſcriptura, alius labor eſt incipiendus. Neque minus, ſi qualem noluiſſe legislatorem credere eſt ſententia, eliciatur. Primum ſi uſu veniat, vel orietur ſcriptura, aut oratio partes omnes non exprimens, vel plura juſto deſignans. Nam ſi non ſola exprimat, cum illud ex uſu loquentium oriatur vitium: Interpretis hic nulla eſt correctio. Si nihil deſignet, neque illius eſt ſignificationem imponere. Reſtabit ergo, ut aut imperfecte, aut multipliciter ſignificet, vel oratio, vel ſcriptura: ſiquidem ab interprete expectet auxilium. Si imperfecte, id eſt non omnes partes vocis, vel enunciationis, in lege denotentur per ſcripturam, vel per orationem; aut nulla erunt ſigna

(m) *v. §. ſi is qui 5. Inſt. de eo cui libert. cauſ.* & Steck. *Anticriticorum cap. 3. p. m. 7.*

ſigna voluntatis de ſuppletione, & nec JCtus poterit progredi ulterius; aut vero aderunt, & quidem ſaltim unum cuique relevando vitio; & illud erit ſequendum, & ex **ſignis voluntatis Legislatoriæ, oratio, vel ſcriptura, minus plena erit ſupplenda.** Reg. 177. Colliguntur autem illa ex cauſſis, vel teſtimoniis aliorum, quemadmodum ſupra in cauſſas legũ inquirentes propoſuimus. cap. 4. §. 4. & ſeqq. Quod ſi duplicia, vel plura adſint argumenta ſupplendi, pro qua parte ſigna plura ſteterint voluntatis, ea erunt efficaciora. Voluntas autem illa per cauſſas colligitur, vel circa ſcripturam, vel circa orationem, vel circa ipſam legis ſcientiam, ſive conſtitutionem, aut conceptum: ideſt quæritur, vel quid ſcripſerit, vel quid dixerit, vel quid ſenſerit Legislator. Itaque ſecundum hujus triplicis voluntatis argumenta imperfectè ſignificatæ leges ſupplentur. *Suppletoriis* ſpeciebus adeo ſuperius enumeratis omnibus hac unica generali regula nunc abſolvendis: ſive illa ſit *ſuppletoria externa*, *Perfectiva triplex*, *Grammatico Critica*, *Rhetorico Critica*, vel *Mixta*, id eſt, *Grammatico Rhetorico Critica*, ſive ſit *Cauſſalis*, ex cauſſis nempe circa ſcripturam, vel Orationem, vel utramque deducta. Sive ſit *Interna*, & *hypercritica perfectiva generalis*, aut *ſpecialis*, quæ & *Rationalis* fuit dicta, ſive *cauſſalis* nuncupata. Quarum omnium regulas ſpecialiores non addimus. Utpote quæ in ſuperiorum, qua expreſſarum nobis, qua remiſſione ad Grammaticos, Oratores, aut Criticos facta, omiſſarum jam tum, innumeram varietatem iterum ſint abituræ. v. gr. Prouti conſtet de Legislatoris facto, vel ejus cauſſa peculiari, circa ſcripturam, orationem, aut ſenſum verſandi ſuo modo, puta conſuetudine, ac more Legislatoris, opinione, affectu, neceſſitate, caſuve omittendi certas litteras in ſcribendo, ſyllabasve, aut voces, in loquendo Grammatice, vel Rhetorice, aut ſenſus ſemiplenos relinquendo, aut ex hiſce rationibus, vel cauſſis ſubintelligi volendo non expreſſa &c. Quibus adeo cogni-

gnitis quoquo modo, uti *supplementa* fient omissorum à Legislatore: sic & *emendationes*, aut *omissiones* expressorum a Legislatore, per Interpretem qualiter fieri possint, *inferius* mox dicetur. Ubi & si quid hic sit omissum regularum, ad supplementum earundem, tanquam ex iisdem principiis fluentium annectetur. Quandoquidem & suppletio omissorum, & correctio vel omissio expressorum aliquam mutationis habent jam implicationem, sine voluntate Legislatoris, vel imperfectione legis, ex ratione vel caussa sola non faciendam. Et hæc de suppletiva Interpretatione. Verum sciendum est dari præterea casus alios, in quibus nullum ex istis fundamentis legi sensum licet adsignare. Quos ipsos ad duo summa capita revocare possumus. Quippe *vel oratio* vel *scriptura ambigua* vel duplicata *quocunque sumatur sensu*, aut selectu utraq; *æque propria est*, aut æque impropria, & ita ex dictis neutram licet alteri præferre: *vel* vero ex præstantia Orationis, aut scriptorum exemplarium, scripturarumque plurium una eligitur. Posteriori casu, oritur *Electitia perfectiva triplex*. Nempe in Orationis selectu Grammatico Critica, quando ex convenientibus scripturis æqve perfectis, *perfecta Oratio Grammatice* spectata præfertur. Et Rhetorico Critica, ubi pro *Rhetorica perfectione* fit selectus scripturarum, aut denique Grammatico Rhetorico Critica, ubi *pro utraque concurrente* simul præstantia Orationis, ex scripturis alias æqualibus, fit electio. Qvæ cum tota recidat ad Criticam superiorem, aliis præceptis non egebit nunc præter ea, quæ superius sunt data. Priori vero casu quando ex *propria scriptura, aut oratione, talis oritur sententia, quam Legislatorem amplecti voluisse non est verosimile*, (quo pertinet item, qvando oppositæ duæ sententiæ, aut leges, *Antinomiæ* vulgo dictæ, hac ratione oriuntur, quarum utraque stare juxta cum altera non possit,) aliud genus interpretandi ex internis de mente legislatoria principiis ineundum.

Quod

Quod tamen antequam ſuſcipiatur, externæ modo dictæ interpretationes fuerint utique omnes adhibendæ prius, & per eas ut utraqve lex conſervetur omnibus modis prius curandum. Ne videlicet ex noſtra culpa ſervandarum altera perimatur, contra initiales regulas generaliſſimas cap. III. datas. Quam & in aliis textibus non legalibus utiqve rationem rationabilem maxime interpretandi merito commendat *Clauberg.* Log. V. & p. 3. c. XIII. §. 88. Et hunc qvidem poſteriorem caſum nunc conſiderabimus, priore in ſeqventem proxime paragraphum rejecto. Quotiescunque igitur utra duarum ſignificationum aut expreſſionum (quod idem de pluribus qvoque verum eſt,) orationem, vel ſcripturam æque perfectam, vel imperfectam relinquentium, præferri debeat, dubitamus, ad voluntatem Legislatoris, ejusque cauſſas, atque ſigna confugiendum eſt. Cumque omnium primaria & maxime ſpectanda ſit voluntas, ſeu cum ratiocinatione junctus appetitus, ceu ſuperius demonſtratum eſt, patet ad prima noſtra fundamenta nos reverti. cap. 4. §. 9. Adeoque cum voluntas, illa per prudentiam perficiatur, & per illam leges, proqve earum utraqve ſemper præſumi debere, reg. 5. & 7. docuerimus: patet Reg. 178. (I.) in dubio, ſublata orationis ac ſcripturæ præſtantia, indeque orientibus interpretandi fundamentis, generatim per *Explicationem hypercriticam*, ſeu *Mentalem Internam Perfectivam*, & *electitiam* quidem ſignificatum illum vel vocis, vel orationis, vel ſcripturæ præferri debere, Reg. 179. qui legem facit perfectiorem, aut certe minus imperfectam, ſi omnis defectus evitari nequeat. Per regg. 5. & 6. Perfectiones itaq; & imperfectiones, earumque gradus, ex ſupra notatis repetentes, C. 3. & 6. magnum regularum acervum cumulabimus, non æque ſollicite nunc ordinandum, quando qvidem *ex ſupra poſitis* principiis, per

ſe patent eæ, licet hic non repetantur, & ſpecialiora illis contenta, deſcenſu ad infimas ſpecies facto, forent infinita. Summa vero genera, mox deinde, ad comparationem faciendam, in claſſes ſuas diſtinctiores etiam ſeorſim aliquas redigentur. Ut adeo nunc nil attineat huic operoſiori, quam utiliori ordinationi multum operæ locare; ſed ſuffecerit ad uſum habere qvam plurima in promtu. Quemadmodum ſane alia etiam hiſce addi poterunt, maxime ad Uſus forenſes allegatorum cumulis ſtipanda, ex Doctoribus collecta. Qvæ modo ad principia hæc noſtra examinentur, oblata, (ſicut *in Syntagmate* nobis ſubjecto factum,) facile cavebimus, ne in falſas regulas loco verarum incidamus. Itaq; potius exempli, qvam methodi ergo ſequentia ſubdemus.

Reg. 180. Et omnium quidem primo, plus quam evidens eſt, quod **præferri debet in dubio ſenſus, qui legem facit propoſitionem, ei qui facit eſſe minus** quam propoſitionem. Nam ſine dubio perfectior eſt ſenſus ille, cum hic
Reg. 181. legem tantum non perimat, & interire faciat. Eodem fundamento **ſenſus faciens legem propoſitionem contingentem utplurimum, ei quæ contingen-**
Reg. 182. **tem raro, vel in utramque partem.** Item **conſtituens legem univerſalem, ei qui particularem.** Porro in hujusmodi ambiguitate potior erit in-
Reg. 183. terpretatio, **per quam lex fit una ſola propoſitio, diſcreta ab aliis, & diſtincta,** illa quæ multas propoſitiones intricata connexione inter ſe jungit. Cumque præterea & conſenſus ad legem perficiendam multum conferat, isque ex conſuetudine apprime pateat, amplectenda magis erit interpre-

interpretatio: faciens legem usu receptam, & Reg. 184.
consuetudinariam, (n) adeoque notoriam,
ei quæ novam vel inauditam. Multo magis etiam ea erit eligenda,
quæ facit legem valentem adhuc esse, & Reg. 185.
obligantem, atque illa, quæ reddit abrogatam vel ipsam,
vel aliam, vel totam, vel ex parte. Unde recte dicitur à Doctoribus, *Correctionem legum non præsumi*, (o) sed *esse odiosam*: (p) immo *evitari debere*, (q) & *quantum fieri potest ad jus commune per interpretationem esse redeundum*. (r) Nempe leges quæ corriguntur, pereunt, si non totæ: certe pro ea sui parte, qua corrigitur. Unde in reg. 1. & 2. hic peccaretur. Ulterius præferetur interpretatio, seu sententia per interpretationem constituta, faciens legis subjectum aptum, sive non nimis
universale, ei quæ contra. Item formans legem a Reg. 186.
prudentia ortam, ei quæ ab imprudentia profectam: ut & Reg. 187.
legem reddens dirigentem, & effectum ali- Reg. 188.
quem habentem, ei quæ inutilem & elusoriam. (s) Ne- Reg. 189.
que

(n) Villalobos *opinion. comm. reg.* 240. *ibique citatus* Remigius *de charitate subsid. in qu. an Ecclesia & clerici sint immunes*. Forster. *de interpr. jur. lib.* 2. *c. fin. Reg.* 3. *&* 91. *ibiq; citatos ad* Harprecht. *in Instit. de legit. agnat. tutela §. quod autem lex*, 2. *n.* 30.

(o) *l. si quando* 25. *pr. C. de officios. testam. l. præcipimus.* 32. *§. fi. B. de appellat.* Menoch. *de adipisc. possess. rem.* 4. *n.* 21. *Franc.* Becc. *cons.* 1. *n.* 13. *&c.*

(p) Sich. *cons. test.* 1. *n.* 9. Hunnius *de author. & Interpr. jur. par.* 2. *c.* 15.

(q) *v.* Mathesilan. *recollect. in C. quom. & quando judex. n.* 2. *Aloys. de* Albertis *singul.* 26. Alciat. *de V. S. lib.* 2. *num* 29. Phederic. *de Interpr. jur. part.* 3. *n.* 10. Bonacin. *de ll. Disp.* 1. *qu.* 1. *punct.* 8. *n.* 22. *& laudati a* Forstero. *cap. f. Reg.* 2. *& Reg.* 92. *&* 93. Barbos. *loc. c. l.* 18.

(r) *Hartman.* Pist. *lib.* 2. *part.* 1. *l.* 5. *n.* 40. *&* Forster. *loc. cit.*

(s) *l. Divus Hadrianus penult. ff. de usu & habitat. l. si prætor.* 75. *ff. de judiciis.*

que minus inter dirigentes, seu ad finem aliquem ducentes, præstabit ea, quæ ad finem meliorem ducit: item
Reg. 190. quæ ad finem reipublicæ, cui scripta illa lex est, proprium ducit, adeoque reipublicæ est utilis. Neque hoc tantummodo respectu habito ad tempus præsens Legislatori; quamvis eo præcipue sit respiciendum: sed & præsentis temporis utique, quo interpretamur. Ut nempe conscientiæ nostræ ad usum publicum adstrictæ satisfaciamus. Maxime in iis, quæ ad pietatem & charitatem pertinent. Ut recte docet *Feld.* Universal. pag. 994. c. 3. n. 3. *boni Interpretis esse semper a manifeste noxiis reipubl. quantum potest, recedere, interpretando: ampliare vero reip. salutaria.* (t) Secundum differentias itaque, & præstantiam finium inter se, different, & præstabunt
Reg. 191. sibi invicem leges; adeoque præferetur sensus legis
Reg. 192. ad pietatem magis accedens, ei qui minus, & per consequens ad salvationem animarum faciens
Reg. 193. ei quæ secus: (u) ita & probus improbo, honestus
Reg. 194. inhonesto, justus injusto. (x) Præterea interpretatio

leg. f. ff. ne quid in loco publico. Manincor. *Max. jur. l. 72. Bellon. jun. cons. 91. n. 13. & seq.* Hond. *cons. 61. n. 51 lib. 2.* Menoch. *cons. 399. n.* 24. Hartm. Pistor. *Part. 1. lib. 2. qu. 2. n.* 46. Rot. Rom. *Gregor. XV. decis. 358. num. 5.* Barbos. *loc. comm. l. 33.*

(t) *L. ita vulneratus. 51. §. f. ff. ad l. Aquil. ubi adde* Gothofred. *litt. L. l. hoc modo legato 65. §. 1. de condit. & demonstr.* Forster. *cap. 5. reg. 76. ibiq.* Decian. *vol. 1. resp. 1. n. 321. adde* Vigel. *Method. Jur. Civil. part. 1. libr. 1. cap. 2. num. 6. Reg.* 8.

(u) *Phil.* Porc. *cons. 4. n. 21. cons. 61. n. 52. cons. 23. n. 35. cons. 58. n. 7. consil. 91. n. 26. & cons. 120. n. 7.* Marsil. *singul. 151. n. 1. 2.*

(x) Phederic. *de Interpr. jur. part. 3. n. 7. 9.* Decian. *vol. 2. resp. 46. n. 158. Alb.* Brun. *de statut. fœm. exclud. n. 32.*

pretatio quæ rationem facit habere legem, Reg. 195. Reg. 196. eique congruere, erit melior alia, quæ idem haud facit. (y) Et hic quidem Rationum inter se concursu etiam accedente *specialis* ex selectu earundem *Interpretatio Rationalis Critica* dicta interveniet. Nempe generalis perfectiva Interpretatio, si utramque legem faciat a ratione profectam, hæc *specialor* eam præferet quæ potiori, sive meliori, vel Reg. 197. melioribus, pluribusque rationibus legem facit inniti. Ante omnia ergo lex eligetur, Reg. 198. quæ rationem habet in jure naturali fundatam, adeoque cum jure naturæ consentit, præ ea quę refragatur. (z) Quod si ratio non possit esse caussa legis, prævalebit ea quæ caus- Reg. 199. sam habet magis rationi consentaneam, seu minus ab ea recedentem. Itaque sententia quæ opini- Reg. 200. onem probabilem, seu sapientibus probatam legis facit caussam, præponenda erit ei, quæ parum verosimilem statuit. (aa) Quin & in concursu opinio- Reg. 201. num præferetur magis verosimilis. (bb) Insuper

(y) Pheder. *l. c.*
(z) Pedroch. *resp. de individ. n.* 429. Decian. *criminal. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 8. Ceval. *præfat. opin. comm. contra comm. n.* 42.
(aa) *v. citat. c.* 4. §. 19. *lit. Zz. & adductos* a Forster. *c. f. reg.* 7. & 22. Menoch. *conf.* 8. *n.* 22. *conf.* 68. *n.* 22. *conf.* 37. *n.* 114. *conf.* 14. *n.* 14. *conf.* 82. *n.* 29. *conf.* 128. *n.* 9. *conf.* 137. *n.* 26. *conf.* 144. *n.* 112. *conf.* 190. *n.* 16. *conf.* 196. *num.* 6. *conf.* 385. *n.* 27. *conf.* 633. *n.* 4. *conf.* 23 *n.* 5. *&c.*
(bb) Bald. *ad l. fin. de hared. instit. Jason & DD. ad l. si extran. ff. de condict. caus.*

per *ad perfectivam generalem Interpretationem Mentalem*, seu *hypercriticam*, ut revertamur, quoniam prudentis est, in agendo omnes considerare circumstantias, quo iis conveniens sit actio: hinc & in legibus sensus erit optabilior, qui magis conveniet loco, tempori, (cc) personæ tam legem dantis, (dd) quam accipientis, caussæ item, sive (ee) materiæ subjectæ, (ff) reliquisque circumstantiis omnibus singulisque. Et quoniam materia subjecta ea est, de qua nunc loquitur Legislator: liquet exinde, relationem dictorum in dubio non esse faciendam ad ea quæ multis interjectis præcessere, sed ad ea potius quæ immediate

Reg. 202.

Reg. 203.

dat. Bartol. *in l. veteribus, n. 5. de pact. Rol.* à Valle *conf. 81. n. 7. Conf.* Marpurg. 9. *n.* 85. *& n* 95.

(cc) Cacheran. *decis. Pedemontan.* 166. *n.* 12. Surd. *conf.* 454. *n.* 13.

(dd) *c. solitæ 6. de Major. & obedientia.* Mopha *de rat. stud. lib. 2. in voce Verbum.* Socin. *Reg.* 44. *cum fallentiis.* Alciat. *de V.S. lib.* 1. *n.* 85. Coras. *de Jur. Civ. in art. redd. part. 4. cap.* 4. Phederic. *de interpr. Jur. part. 3. num.* 29. Forster. *cap. f. reg.* 15. *ibiq.* Cephal *conf.* 23. *n.* 28.

(ee) Forster. *c. f. Reg.* 30. *ibique gloss. in l. plenam §. equiti de usu & habitatione* *Matth.* de Afflict. *tit. ex quibus caus. feud. amitt. Roland* à Vall. *conf.* 55. *n.* 14. *&c.*

(ff) Bartol. *in leg. si uno ff. locati Jo. de* Anania *consil.* 60. *in f.* Gammar. *de extension. num.* 75. Pedroch. *respons. de individ. n.* 687. Mopha *de rat. stud. lib. 2. in voce verbum.* Phederic. *de interpr. jur. part. 3. n.* 28. *Cardinal.* Tusc. *conclus. tract. v.* 96. *&* 111. Alex. *consil.* 179. *n.* 12. *lib.* 1. Cephal. *consil.* 516. *n.* 33. Cyriacus, *controv.* 62. *n* 18. Socin. *conf.* 2. *col. f. vol.* 4. *Hippol.* Marsil. *singul.* 510. *n. 1. & seqq.* Alciat. *de V. S. lib.* 2. *n.* 3. Menoch. *consil.* 179. *n.* 14. Bonacin. *de ll. disp. 1. qu. 1. punct.* 8. Duar. *ad ff. quibus ex caus. maj. p. m. 125. q.* Donell. 1. *comm.* 13. *in f. & citati magno numero a* Forster. *cap. f. Reg.* 29. *& c. 2. lib. 2. n.* 25. Mancinor. *l.* 74. *& V.* 18. Barbos. *V. 9. ubi & ll. licet invenire idem dicentes.*

te ſunt præmiſſa. (gg) Cum cæteroqui à graviſſima imprudentia excuſari non poſſet Legislator, dum ſermonem ad remota referri volens, ea non repetit, neque etiam ſatis clare illam relationem indicavit. Ut taceam orationis quoque hinc vitium oriturum, pro quo itidem præſumere vetamur, reg. 159. Porro cum actionibus in republica frequentandis leges ſcribantur, Reg. 204.
potior omnino ſenſus erit, legem faciens aptiorem rebus agendis. (hh) adeoque, & foro, vel Reg. 205.
praxi utiliorem eandem, & accommodatiorem reddens, ejusque conſuetudinibus magis conſentaneam. (ii) Id quod tamen ad tempora Legislatoris, ſicut omnia alia referendum eſt. Namquid nunc expediat, ante aliquot ſecula ſane nemo facile præviderit. Qualiter vero mutato rerum ſtatu reſtrictio, vel extenſio fieri debeat, ſuis locis, *ſuperius* cap. IV. & V. dictum habemus. Pari quoque ratione præferri merebitur inter- Reg. 206.
pretatio, faciens dirigi, & moderari actiones magis in republica neceſſarias, (kk) ſeu finem ejus magis attingentes: item ea quæ magis crebras, & ſæ- Reg. 207.
pius uſu venientes. (ll) Præter hæc omnia, cum æquitatem juri Reg. 208.
ſtricto meliorem demonſtraverimus: patet inde, merito JUS

Ll 2 ſtri-

(gg) *Borgin.* Cavalcan. *Fori Fivizanenſ. deciſion.* 1. *nu.* 29. Rim. *ſen. conſ.* 259. *n.* 14. *vol.* 2. & *conſ.* 426. *n.* 28. *vol.* 3.

(hh) *l. quotienſ* 67. *de R. J.* Giphan. *de R. J. lib.* 1. *c.* 8. *p. m.* 96. Pedroch. *apud Forſter. cap. f. Reg.* 59. & *lib.* 2. *c.* 2. *n.* 25. Donell. 1. *comm.* 15. &c.

(ii) Forſter. *lib.* 2. *cap. f. reg.* 10. & 80. *ibique adducti.* Menoch. *conſ.* 104. *n.* 13. *Hartm.* Piſt. Mynſing. Honded. Pratejus &c.

(kk) Menoch. *conſ.* 61. *n.* 19. *conſ.* 151. *n.* 25. *de arbitr. caſ.* 199. *n.* 12. Forſter. *loc. cit. reg.* 11. Socin. *cap.* 6. *n.* 5. *v.* 1.

(ll) Phederic. *de interp. jur. part.* 3. *n.* 26. *p. m.* 176.

Reg.209. ſtrictum æquitati poſthaberi (mm) ſenſumq; æquiorem (nn) ubique præferri; qui & *benignior* (oo) apud JCtos audit, & *humanior* (pp) Cumq; ſit juſtitiæ proprium, tribuere æqualibus æqualia, inæqualibus inæqualia: ſemper
Reg.210. in dubio erit accipienda interpretatio, per quam lex æqualibus æqualia, & inæqualibus
Reg.211. inæqualia tribuit: (qq) Inde cum ad utilitatem communem

(mm) *l. Divus Antoninus. 7. de in integr. reſtit. repetita l. etſi nihil. de R. J. l. & ſi quis* 14. *§. idem Labeo ait. 13. de religioſis. l. ſi ex duobus. 32. de peculio. l. filio. 17. de inj. rupt. l. in ſumma. 2. §. item Varus. 5. de aqua & aqualuv. l. placuit. 8. de judiciis. cap. unic. de rerum permut. in 6. adde gl. &* DD. *ad has leges & ad l. 1. C. de l. fin. in l. 25. de donat. & gl. f. in l. qui ſervum. §. f. de O. & A. gloſ. damnoſ. l. 61. §. circa commod. de furt. gl. ſecundum l. ſi mihi de ſervit. ruſt. præd. gl. meum. l. 20. ſi certum pet. gl. rationem. l. 1. C. ſi ſervus utero &* Fachin. *prolix. lib. 1. controverſ. cap. 3.* Gammar. *de extenſion. n. 96.* Donell. *comm. lib. 31. cap. 2. Hippol.* Marſil. *ſingul. 685.* Tiraquell. *de retr. lig. §. 35. gl. 1. n. 4. Alfonſ.* Modit. *ad Inſtit. §. Prudent. reſponſa. dubitat. 7. n. 5.* Harprecht. *ad Inſtit. de I. N. G. & Civ §. ſine ſcripto 9. n. 59.* Manincor. *A. Maxim. 63. &* Forſter. *cap. f. Reg. 4. & 5.*

(nn) Forſter. *l. cit. ibique* Menoch. *conſ. 154. n. 84. conſ. 231. num. 20. conſ. 256. num. 19. conſ. 659. n. 5 conſ. 623. n. 3. conſ. 724. n. 23.* Pariſ. *conſ. 111. num. 7.* Cephal. *conſ. 28. n. 28.*

(oo) *l. Benignius. 18. ff. de ll. l. ſi tibi 20. inf. de reb. cred. l. ſed Proculus. 4. Mandati. l. proxim. 3. de iis qui in teſtam. delentur, deſcripta in l. ea quæ 192. de R. I. l. cum in teſt. 24. de reb. dub. l. qui ad tempus. 2. §. ſi pater. 3. de decurion. l. ſemper in dubio. 56. de R. I. & l. rapienda occaſio. 168. h. t.* Forſter. *loc. c. & lib. 1. c. 2. n. 40. & lib. 2. c. 3. n. 22.* Hippol. Marſil. *ſingul. 151. n. 1. 2.* Donel. *1. comm. 15.* Giphan. *de R. I. lib. 1. cap. 8.* Vigel. *Meth. Jur. Civ. part. 1. lib. 1. c. 2. n. 6. &c.*

(pp) *l. Barbarius 3. ff. de off. Prætor. l. ſi ita ſcriptum ſit. 13. pr. de lib. & poſth. l. ſi fuerit. 10. §. un. de reb. dubiis. l. cum apud omnes. 2. inf. C. de comm. ſer. manum.* Forſter. & Donell. *locis citatis.*

(qq) *Vide adductos* Forſtero *cap. ult. Reg. 24. & 63.*

nem tendere debeant leges, amplectenda erit interpretatio damna non inferens, sed moderans vel minuens. (rr) Et multo magis arripienda erit ea, quæ utilitatem affert, & quidem quæ majorem, Reg. 212. præ ea quæ minorem: & quæ utrique parti (ss), seu pluribus, ei quæ alterutri, seu paucioribus. Tandem generaliter sumendus sensus pro favorabilibus faciens: quæ qualia sint, in genere, & in specie, *peculiari de Favorabilibus exercitatione* declarare constitueramus, ubi examinaturi eramus etiam Bonacinæ (tt) sententiam, *favorabilia* definientis ea, *quæ primario prosunt, etsi secundario noceant*, & aliorum, qui *favore digna*, & *quæ plena favoris apud omnes sunt*, ea dicendo, egregie se suo officio satisfecisse rati sunt. Nunc dum illud quoque propositum adhuc differtur, ac multum in dubio atque incerto hæret, minimum, ne quis cum excellentissimo Christiano *Thomasio* Coroll. 3 Dissertationis Academicæ de Nævis Jprudentiæ Romanæ, 1691. Hallis habitæ, putet, non definiri favorabilia & odiosa posse, *Sciagraphiam* illius *Tractationis*, in calce hujus operis subjecimus. Unde non modo illud fieri posse clare satis patescat: sed & unicuique nec Analytices arte, nec otio atque ingenio destituto, liceat industria, & inquisitione legum adhibita, totum hunc tractatum elaborare, nosque sic labore illo, quod optamus etiam, liberare. In præsentia interim suffecerit pro favorabilibus habuisse ea, quæ ipsum Legislatorem talia vo-

(rr) Bartol. Jason. & *Dd. ad l. f. §. in comput. C. de jure deliber.* Decius *in capit. Pastoralis. de appellat. & cons. 574. n. 7. Alex. cons. 33. & 141. vol. 1.* Gonzad. *cons. 5. n. 3.* Cravett. *cons. 3. n. 3. & cons. 33. n. 24.* Menoch. *cons. 8. n. 23. cons. 128. n. 10. cons. 141. num. 17. cons. 203. num. 1. cons. 231. n. 21. & de arbitr. jud. quæst. cas. 199. n. 15.* Forster. *cap. f. reg. 88.* Giphan. *lib. 1. de R. I. c. 2. & cap. 9.*

(ss) Menoch. *cons. 140. n. 9.*

(tt) *De legibus Disp. 1. qu. 1. punct. 7. n. 13.*

voluiſſet conſtat. Qualia nonnulla ex jure noſtro Romano in medium proferemus. Quod antequam aggrediamur, univerſaliter tenendum eſt, in dubio pro favorabilibus interpretandum, (uu) & quod inde ſequitur, contra odioſa pronunciandum eſſe. Ubi vero ſententiarum in ambigua ſcriptura, vel oratione, ea eſt diverſitas, ut latior una, ſtrictior altera ſit, in materia favorabili ſemper latior præferetur, (xx) in odioſa vero ſtrictior eligetur. Unde tritum illud juris noſtri Doctoribus. *Favores interpretatione extendendi, & ampliandi, odia vero reſtringenda.* (yy) Id quod perperam nonnullis intellectum magnis erroribus cauſſam præbuiſſe in Appendice notabimus. Jam ad ſpecialia progrediamur. Ex mente itaque ſeu Juſtiniani, ſeu Triboniani, favorabilia ſunt, & pro ſe in dubio interpretationem, eamque latiorem, ubi ſignificatuum eſt diverſitas, merentur imprimis, ad religionem pertinentia, ſeu religioſa. (zz) Quod quamvis de locis religioſis præcipue videatur

Reg. 213. Reg. 214. Reg. 215. Reg. 216. Reg. 217.

(uu) Harprecht. *in rubric. de J. & I. n.* 51. Donell. 1. *comm.* 15. Vigel. *Meth. Jur. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 6. *reg.* 9. *Phil.* Dec. *in l. ſi idem cum eodem §. ſi una de Jurisd. n.* 8. Menoch. *conſ.* 171. *n.* 18. Marpurgenſ. *conſ.* 17. *n.* 2.

(xx) Abb. *in cap. Rodolph. de reſcript.* Bonacin. *l. c. n.* 18. *Alfonſ.* Modit. *in inſt. §. Lex eſt de J. N. G. & Civ. dubitat.* 9. *n.* 5. Menoc. *conſ.* 600. *n.* 4 Pedroch. *reſpons. de individ. n.* 622.

(yy) *c. odia.* 15 *de R. J. in* 6. *adde* gl. & Dd. *necnon* Mynſing. *ad Inſt. de Act. n.* 50. *Th. de* Thomaſett. *flor. leg. reg.* 209. Gomez. *ad § pœnales. n.* 12. & *ad §. actionum. num.* 10. & *apud* Barboſ. *loc. comm.* O. 2. *Joſeph.* Aldrete. *de religioſ. diſcipl. tuenda. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 6. *Jo. Petr.* Monet. *de diſtribut. quotid p.* 1. *qu.* 10. *tit.* 1. *Joſeph.* de Seſſe. *Aragon. deciſ.* 18. *n.* 102. & *deciſ.* 45. *n.* 27. *quibus plures addit.* Manincor. *maximar. Jur.* O. 5.

(zz) *l. locum autem.* 17. *ff. de religioſ. l. ſi ſponſus* 5. *§. ſed et ſi.* 11. *ff. de donat. inter*

tur dictum: eadem tamen ratione ad cætera extendi poteſt. Sic & in dubio pronunciatur, & quidem laxius, Reg. 218. Reg. 219. pro rebus ſacris, (aaa) pro cauſſis piis, (bbb) uti Reg. 220. vocitantur, nec non pro Eccleſia, ejusque bonis, (ccc) & pro perſonis miſerabilibus (ddd) dictis, quales Reg. 221. reputantur pauperes, (eee) viduæ, (fff) pupilli, (ggg) & multo majori ratione, in utero adhuc exiſtentes, (hhh) & ſimiles aliæ. Parem in modum favore proſequi placuit matrimonia, Reg. 222. Reg. 223. & nuptias, (iii) affectumque maritalem, (kkk) tam-

vir. & mulier. Modit. *in §. Prudentum reſponſ. Inſtit. de J. N. G. & Civ. dub. 7. num. 7.*

(aaa) *l. ſancimus* 22. *C. de SS. Eccleſ.*

(bbb) Alex. *conſ. 81. n. 4. lib. 6.* Cephal. *conſ.* 514. *n. 7.*

(ccc) *Alex.* Raudenſis *deciſ.* 42. *n.* 38. Specul. *de reſtit. in integr. §. 2.* Cephal. *conſ. 43. n. 9.* Porc. *conſ. 31. n. 27.*

(ddd) Oldendorp. *de jure ſingular. cap. de perſonis miſerabilibus.*

(eee) *Cornel.* Benincas. *tract. de paupert. q. 4. n* 10. Jaſon. *l. ſi conſtante. n.* 144. *ff. ſolut. matrimon.* Dd. *in l. 1. quanto Imper. inter pupill. vel vid cog.* Bald. *l. pen. § fin. C. ad Treb.*

(fff) Dd. *ad. d. l. 1. C. quand. imper. inter pupill. vel vid.*

(ggg) *l. 1. §. fin. de uſuris. l. Tutor. 3. §. præterea. 4. de ſuſp. tutor. l. 1. §. & generaliter.* 15. *de ventre in poſſeſſ. l.* 10. *de Conf. tut. vel Curat.*

(hhh) *l. 1. pr. ſi ventris nomine, & l. 1. §. & generaliter 15. de ventre in poſſeſſ.*

(iii) *l. f. de ſervo corr. l. Gajus Sejus. 45. ff. ſolut. matrimon. cap. fin. de ſent. & re judic. gl. cap. ſi teſtes 4. q. 3.* Innocent. *in cap. 1. in f. de frigidis & maleficiatis.* Toloſan. *Syntagm. jur. univerſ. lib. 9. cap. 12. n. 11. Fulvius* Pacianus *de probationibus lib. 1. cap. 50. n. 62.* Menoch. *conſ.* 18. *n. 15.* Moditius *in §. reſponſ. prudentum. Inſtit. de I. Nat. G. & Civ. dub. 7. n. 7. & apud Hieron. de* Cævallos. *Præfat. opinio. comm. contra comm. n. 24.* Dec. *ad cap. 1. de conſtitut. col. f.* Barbat. *conſ. 2. n. 83. vol. 2. conſ. 40. n. 11.* Alciat. 3. *Paradox. cap. 7.* Catelianus Cotta *memorab. verb. Nuptiar.* Nevizan. *Sylv. nuptial. lib. 5. n. 73.* Maſcard. *vol. 3. concl. 1138. n. 13. ubi plures recenſet.*

(kkk) tamquam potiſſimum earum requiſitum, & ad conſervatio-
Reg. 224. nem etiam nuptiarum non mediocriter facientes dotes (lll)
Quin & favore debemus in dubio legitimatio-
Reg. 225. nibus, (mmm) & ſucceſſionibus liberorum in
Reg. 226. bona parentum, (nnn) immo omnibus beneficiis
Reg. 227. Reg. 228. Principum, (ooo) omnibusque honoribus. (ppp) Por-
Reg. 229. ro reſpondendum quoque fuerit in dubio, & quidem
data occaſione laxius, pro ultimis voluntatibus,
(qqq) earumque conſervatione, adeoque pro teſtamentis,
(rrr) pro

(kkk) *l. Gajus Sejus* 45. *ff. ſolut. matrim.*

(lll) *l.* 1. *ff. ſolut. matrim. l. ſi ego Sejæ.* 9. §. *ſi res* 1. *de jur. dot. l. in ambiguo.* 70. *h. t, repetita l.* 85. *de R. I. l. ſi ſponſo dotem* 74. *de jur. dot. l. f. C. ad SC. Vellej. leg. aſſiduis* 12. *l. qui pot. in pign.* Bald. *ad leg. legatum. C. de condit. inſert.* Menoch. *conſ.* 201. *n.* 19. 242. *n.* 261. *n.* 4. & 35. 994. *n.* 10. & 1039. *n.* 5. Maninc. *max. lit. I. n.* 17. Oldendorp. *de jur. ſing. cap.* 13. Campez. *de dote dotisq; conſtit. q.* 80. *n.* 5.

(mmm) Bald. *ad l. neque abſens. ff. de adopt. & ad l. ſervis, C. de legit.* Menoch. *conſ.* 18. *num.* 16 *Anton. de* Roſſellis *de legitimat.*

(nnn) *l. cum ratio* 7. §. *ſi plures* 3. *ff. de bonis damnator.*

(ooo) Donell. 1. *comm.* 15. Forſter. *de interpret. jur. cap. fin. reg.* 38. Manincor. *axiom. B.* 5. *Albert.* Brun. *tract. de augment. concl.* 9. *ſpec. de action. v. quid ſi filius. & apud* Barboſ. *loc. comm. B.* 6. Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *q.* 103. *n.* 31. Tiraquell. *de nobil. cap.* 37. *n.* 519. Valaſc. *conſ.* 58. *n.* 11. Cetta *memorab. Verb. privil. p.* 704. *P.* Sanch. *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 1. *n.* 4. *Card.* Tuſch. *litt. B. concl.* 49. Cardoſ. *prax. jud. & advocat. verbo beneficium. n.* 67. Monet. *de diſtribut. quotid. p.* 2. *q.* 14. *n.* 6. & 39. *Joſeph.* Aldiete *in allegat. juris pro omnimoda regularium exemptione. p.* 3. *c.* 6. *n.* 12. *Thomaſ. de* Thomaſett. *flor. leg. reg.* 56. *adde* Menoc. *conſ.* 2. *n.* 54. *conſ.* 213. *num.* 16. & *conſ.* 801. *n.* 9. &c.

(ppp) *l. qui ad tempus.* 2. §. *præterea* 6. *ff. de decur. l. ad remp.* 8. *de muner. & honor.*

(qqq) *ll. Paſſim. & imprimis l.* 1. *C. de SS. Eccleſ. & Dd. ad l. cum hi, ff. de trans-*

(rrr) pro inſtitutionibus hæredum (ſſſ) cœteriſque inde orienti- Reg.230.
bus. Denique faciliores eſſe debemus ad pronunciandum **pro** Reg.231.
libertate, (ttt) quinimo **pro omni liberatione**
(uuu) ab obligationibus, atque oneribus cujuſcunque generis:
cumprimis autem **pro** liberatione, ſive **abſolutione a** Reg. 232.
pœna, (xxx) vel ubi ea penitus fieri nequit, minimum Reg. 233.
pro mitigatione earundem. (yyy) Adeoque quod

action. & ſpecialiter Imola, & Barbat. *conſ. 6. vol. 1. cum* Jaſ. *in l. Gallus §. quid ſi tantum lect. 1. n. 14. ff. de liber. & poſth. apud* Cævallos. *præfat. opinion. comm. contra comm. n. 23.*

(rrr) *l. in teſtamentis* 12. *de R. I. adde* Giphan. Menoch. *conſ.* 115. *n.* 31. *Cardin.* Tuſc. *concl.* 90. *T.* Moditius *in § prudentum reſponſa. Inſt. de I. N. G. & Civ. dubitat.* 7. *n.* 7.

(ſſſ) *l. cum quidem.* 19 *ff. de lib. & poſth.*

(ttt) §. *fin. Inſtit. de donat. § ante hæredis inſtitutionem* 34. *inſtit. de legatis.* §. 1. *l. de eo cui libert. cauſſ. l. ſi quis etiam.* 3. § 1. *de alienat. judic. mutand. cauſ. l. f.* §. 1. *de vulgar. & pupillar. ſubſtit. l. proxime* 3. *inf. de his quæ in teſtament. del. leg. Domino.* 16. *de SC. Silan. l. conficiuntur.* 8. §. *ſi ei ſervo.* 5. *de jure codicill. l. ſi idem ſervus* 14. *de leg.* 2. *l. pœnales.* 32. §. *f. ad l. falcid. l. quidam ita.* 25. §. *ſi quis filium* 2. *ad SC. Trebell. l. Lege Julia* 24. *pr. &* §. 2. *de manumiſſ. l. ſi pater* 4. *de manumiſſ. vindicta. l. ſi pecul.* 10. *l. ſi ita ſcriptum* 16. *l. qui duos.* 18. §. 1. *l. Divus pius.* 26. *l. Uxorem* 29. *de manumiſſ. teſtam. l. generaliter.* §. *ſi quis ſervo.* 10. *de fideic. libert. l. ſi ſervus.* 10. *l. ſi peculium.* 20. § *is cui ſervus.* 3. *l. ſi hæred.* 28. *de ſtatu lib. l. duobus.* 30. *de liberali cauſ. l. f. qui ſine manum. l. quando lex Favia* 3. §. *Hoc interdictum.* 9. *de lib. & hom. exhiben. l. inter pares* 38. *de re judicata. l. quotiens* 20. *l. libertas.* 122. *l. in obſcura.* 179. *de R. J. l. cum inter.* 14. *C. de fideicommiſſ. libert. &* Dd. *paſſim.*

(uuu) *l. Adrianus* 47. *ff. de obligat. & A* Cephal. *conſil.* 228. *n.* 32.

(xxx) Spec. *de hom. ver. pone, & de ſatisd.* §. *viſo, ver. ſed qualiter. & de advocat.* §. *ſequitur videre in princ. & citati a* Manincor. *max.* 4. *A. Barboſ. loc. com.* 2. *&* 3. *A.*

(yyy) *l. inter pares* 38. *de re judic. l. ſi præſes* 32. *ff. de pœnis.* Arumæ *lib.* 1. *deciſ.* 11. *n.* 34. Donell. 1. *comm.* 15. *&* 22. Mopha *de rat. ſtudior. lib.* 2. *in voce ver-*

inde neceſſario fluit, ſemper in dubio facienda interpretatio pro
Reg. 234. Reg. 235. reo, (zzz) vel pro poſſeſſore. (a) Atque hæc de favorabilibus hactenus allata exempla ſuffecerint. Quibus contraria omnia ſunt odioſa, adeoque ceu dictum habemus, interpretationem contrariam, & ſtrictiorem in dubio ſemper accipient. Ita
Reg. 236. perpetuo per interpretationem vel excludentur, vel certè imminuentur exhæredationes liberorum, (b) nec non obligationes indebi-
Reg. 237. Reg. 238. Reg. 239. tæ introducendæ (c) item pœnæ infligendæ earumque exaſperationes & augmenta: præſumptiones quoque doli, (d) & delicti, (e) easque gra-

bum. Tiraquell. *tract. de pœnis temperand. Cephal. conſ. 220. n. 20. Philipp.* Decius *in l. imper. de jurisd. n. 15. Rol.* a Valle *conſ. 64. n. 14. Joach.* Beuſt. *tr. de jurej. p. 462. §. f.* Farinac. *vol. 2. n. 43.* Honded. *conſ. 58. n. 43. & conſ. 72. n. 18. lib. 1.* Rot. Rom. Ottoboni *deciſ.* 110. *n.* 21.

(zzz) *l. inter pares 38. de re judic. l. favorabiliores. 125. de R. I. adde* Oldendorp. *de jur. ſingul. Jacob. de* Arena. *poſit. §. 2. n. 7.* Cavalcan. *Fori Fivizan. deciſ.* 20. *n.* 17. Decian. *vol.* 1. *reſp.* 1. *n.* 58. Cephal. *conſ.* 747. *n.* 22.

(a) *ff. retinendæ* 4. *inſtit. de interdict. l. in hærede. 5. §. 1. de calumniat. l. ſive autem. 9. § ſi dubius. 4. de Publician. l. uti frui. 5. ſi uſusfr. pet. leg. ſi ob turpem. 8. de condictio. ob turp. cauſſ. l. militis 30. §. veteran 3. de teſtam. mil. l. 1. ubi posſidetur. l. nemo 126. §. f. de R. I. l. in pari. 128. h. t. l. cum te. 2. de C. condict. ob turp. cauſſ. adde* Jacob de Arena *poſit. §. 2. n. 7.* Decian. *vol. 3. reſp. 27. num.* 45.

(b) *l. cum quidam. 19. ff. de lib. & poſth.*

(c) *l. Adrianus. 47. de Obl. & A.*

(d) *l. ſi ſervus. 61. §. citra 6. ff. de furtis.* Rot. Roman. Ottobon. *deciſ. 5. num.* 8. Menoch *conſ.* 203. *n.* 17. Tuſc. *F. concl.* 478.

(e) Gabriel. *comm. concluſ. lib. 7. concl. 2.* Forſter. *cap. fin. Reg. 6. ibique citati complures.* Farinac. *conſ. 25. n. 12. conſ. 60. n. 84. 93. Rol. a* Valle *conſ.* 1. *num. 36. &c.*

gravantia. (f) Imo & interpretatio facienda, ut Reg. 240.
excludantur pericula horum omnium, ex toto, vel Reg. 241.
parte, qua possint. Ut minuantur, non augeantur, Reg. 242.
sicut & damna alia, v. gr. spolia, turbationes pos- Reg. 243.
sessionum. Et magis etiam culpæ, aut caussæ, vel irri- R. 244. 245.
tamenta earundem, aut effectus. Ita Interpretatio vel
in privatis facienda legibus, ne quis videatur officio Reg. 246.
suo male functus, videlicet amorem & pieta- Reg. 247.
tem v. gr. paternam, filiove convenientem neglexisse. Reg. 248.
Unde ad inofficiosæ donationis, dotationis,
testationisque evitationem, aut certe restri-
ctionem interpretabimur semper. Neve ultima vo- Reg. 249.
luntas videatur immutata temere &c. Contra Reg. 250. Reg. 251.
fiscum quoque in dubio recte interpretabi- Reg. 252.
mur: (g) imprimis quatenus liberorum successio-
nem, vel ultimas voluntates, vel alia favorabilia
impedit. Et quæ plura ex oppositorum haurienda natura,
partim cum superius dictis coincident plane, vel saltim ex iisdem
facile fuerint cuilibet derivanda. Verum quid si duo favo-
rabilia concurrant, ita ut sensus unus huic, alter illi pro-
sit? Sane non difficile collectu est, pro magis favorabili Reg. 253.

(f) *Rol. a* Valle *l. c. n.* 37. Forster. *l. c.*
(g) *l. puto. 10. ff. de jure fisci.*

Reg. 254. decernendum fore; vel si id non liqueat, pro sensu magis adjuvante illud cui favet. Contrarium uti semper, ita & hic in odiosis observandum: ubi pro mi-
Reg. 255. nus odioso, vel in æque odiosis, pro magis
Reg. 256. vim ejus infringente significatu fiet interpretatio. Tantum *de favorabilibus & odiosis* hoc loco, non omnino illi considerationi dicato, attulisse contenti, ad reliquas legum perfectiones revertimur. Diximus in dubio sensum qui legem facit justam, præferendum ei, qui injustam reddit, reg. 195. Id quod per omnes, contractuum, aliorumque negotiorum, imo per omnes actionum species tenendum est. Quas hic recensere velle speciatim, foret aut jus naturale, aut civile, aut utrumque describere, quo labore non sine caussa hic supersedebimus. Interim, ut generaliter nonnulla addamus, primo statim intuitu exinde patet,
Reg. 257. in dubio faciendam interpretationem contra injuriam facturos, seu contra eos qui præsumuntur injusti. Secus enim facientes legem faciemus injustam. Tales autem sunt, qui volunt, & possunt: quemadmodum pluribus ab
Reg. 258. Aristotele in Rhetoricis docemur. (h) In dubio itaque capienda interpretatio contra eos qui volunt, possuntve
Reg. 259. injuriam facere: & in concursu talium, contra eos
Reg. 260. qui magis velle, & posse præsumuntur. Recte itaq; contra eos qui obscuro sermone in paciscendo, vel contrahendo utuntur, ubi apertius loqui poterant, interpretabimur. (i) Quippe illi poterant fallere

(h) 1. *Rhet. cap.* 10. 11. & 12.

(i) *l. Labeo* 11. *ff. de contrah. empt. l. quidquid astringendæ.* 99. *de V.* O. Bartol. *ad*

re. Hinc jura nostra contra stipulatorem verba expli- Reg. 261.
canda (k) monent: cum in illius potestate fuerit, pro lubitu interrogationem formare. Sic ex voluntate injuriandi præsumpta, Reg. 262.
interpretationem apprehendimus contra eos qui aliis Reg. 263. Reg. 264.
injuriam fecere, contra infames, contuma- Reg. 265.
ces (l) vitiososque, & dolosos, ac fraudulentos in genere omnes. Verum cum hæc interdum ægre pateant, & fortassis magis in singularibus, adeoque judicialibus quæstionibus, quam in iis quæ proprie ad JCtum pertinent, & in legum natura subsistunt, versentur, plura hic attexere nolumus. Porro itaque si nulla ratione justitiæ, vel bonitatis, in lege appareat differentia, fit interpretatio pro ea sententia, quæ minus injustum parit. Ita cum minus injustum patiatur, qui lucrum perdit, quam qui emptum, vel ab alio oneroso titulo acquisitum: hinc in dubio, Reg. 266.
si non pateat ex alio fundamento, pro utro sit decidendum, potius contra lucraturum quam perditurum fiet interpretatio, (m) Adeoque facilius con- Reg. 267. Reg. 268.
tra donatarium, quam donantem (n), con-

 tra

l. veteribus, ff. de pactis Alciat. *resp. 7. n. 29. lib.* 8. Surd. *decis. 322. num.* 63. *& de alim. tit. 6. q.* 1. *nu. 26. Cardin.* Tuschus *conclus. Pract. V.* 106. Fontanell. *de pact. nupt. cap. 4. gl. 9. par.* 5. *num.* 152. Cardos. *praxi judic. voce verbum.* Mendoz. *à Castro prax. Lusit. lib.* 1. *c,* 3. *num.* 4. Mantica *de tac. & ambig. convent. lib.* 4. *tit.* 27. *n.* 9. *Mar.* Antonin. *Variar. lib.* 2. *resol.* 33. *n.* 19. *&c.*

(k) *l. stipulatio* 38. *§. in stipulationibus.* 18. *de V. O. & l. quidquid astringendæ* 99. *ibiq.* Forster. *de success. ab intestat. lib. 6. cap.* 18. *n.* 2. *Alex.* Tartagn. *cons.* 13. *n.* 5. *lib.* 2. Menoch. *cons. 883. n. 6. &c.*

(l) *Jason. in l. si fidejussor. §. meminisse de legat.* 1. Menoch. *de arbitr. qu.* 90. *n.* 51. *Cons.* Marpurg. 13. *n.* 40.

(m) *l. non debet.* 41. *§.* 1. *de R. I. adde* Commentatores.

(n) Menoch. *cons.* 280. *n.* 21. *cons.* 319. *n.* 15. *cons.* 381. *n.* 17. Curt. *Jun. cons.* 56. *n.* 5.

tra legatarium, quam hæredem. (o) pronunciabitur: cæteris, uti dixi, paribus. Quibus similia plura afferre
Reg. 269. supervacaneum arbitramur. Quod si neque hoc appareat,
medium in dubio sequemur. (p) Ita enim certum erit minui injustum. Ulterius, præferetur sen-
Reg. 270. tentia legem faciens verum continere,
atque dicere, ei quæ falsum amplecti fingit. Aut enim illa veritas in ipsa legis propositione consistit, & idem est cum justo, aut in iis quæ cum lege cognationem habent, in caussa V.Gr. vel aliis, & certum est, semper esse prudentiæ majoris argumentum, ve-
Reg. 271. rum perspexisse, quam deceptum esse. Tandem sententia faciens legem præcipientem aliquid, vel imperantem, potior erit, interrogante, vel consulente, vel simili. E enim illa dirigit, actiones non ista. I-
Reg. 272. tem quæ leges facit habere præmia, pœnas-
Reg. 273. que adjunctas, & quidem debitæ proportionis. Faciens item
Reg. 274. media legi apposita facilia, & magis possibilia
Reg. 275.
Reg. 276. item designans legem minime superfluam,
Reg. 277.
vel totam, vel quoad aliquam sui partem: (q) sic & reddens legem minime absurdam, (r) vel absurdi consequentis

(o) Menoch. *conf.* 423. *n.* 30. *conf.* Marpurgens. 25. *n.* 27. & 292. Cephal. *conf.* 447. *n.* 15. *Angel.* Matth. *tract. de legat.*

(p) §. *cum ex aliena* 25. *inst. de rer. divis. Jo. Bapt.* Caccialupp. *de transact. q.* 12. *n.* 7. Manincor. *Max. jur. m.* 9.

(q) *l. si quando* 109 *ff. de legat.* 1. *l. postliminii* 5. §. *f de captiv.* Enenkel. *de privileg. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 57. Menoch *conf.* 329. *n.* 8. & *conf.* 344. *n.* 20. 31. 35. *Cephal. conf.* 637. *n.* 27. *apud* Forster. *cap. f. reg* 26. Manincor. *max.* 45. *S.*

(r) *l. si a domino* 136. §. *si prædo* 3. *ff. de hæred. petit. l. nam absurd.* 7. *ff. de bon. li-*

tis cauſſam: (ſ) aut litium, ac diſcordiarum productricem. (t) per conſequens non faciens legem ni- Reg. 278.
mis ſubtilem. (u) Deniq; quæ periculo vacantem Reg. 279.
(x) præſtabit legem, ei quæ conjunctam cum eodem efficit, merito Reg. 280.
præferetur. Hæc enim omnia vel voluntatem, vel facultatem ſubſumendi, & vivendi ſecundum leges, ex ſuperius dictis, aut lædunt aut perimunt. Tandem, quod minime omittendum eſt, potior multo eſt ſententia, faciens legem nulli alii contrariam, (y) vel totam toti, vel ex parte parti alterius, impri-

bert. l. fin. C. per quas perſ. l. f. C. de author. præſt. l. ſancimus 3. de uſur. rei. judic. l. un. §. pro ſecundo 4. *C. de cadue. toll. l. f. §. 1. C. de ſentent. paſſ.* Bonac. *de legib. diſp. 1. q. 1. punct. 8. n. 21.* Enenkel. *de privileg. lib. 2. c. 3. n. 52.* Pariſ. *conſ. 48. n. 40. conſ. 70. n. 8. 20. 59. & ſeqq. conſ. 90. n. 21. conſ. 111. n. 33. vol. 3. & conſ. 72. n. 9. vol. 4. Rolan. a* Valle *conſ. 25. n.* 18. Decian. *vol. 3. reſp. 34. n. 59. & ſeq. & citatis a* Forſter. *c. f. Reg.* 23. Manincor. *max. jur. 5. & ſeqq. A. Barboſ. L. com. 5. A. &* Everhard. *loco ab Abſurdo, &c.*

(ſ) *Franc.* Ripa *reſponſ. 130. n. 21. apud* Forſter. *de interpr. jur. cap f. Reg.* 28.

(t) *conſ.* Marpurg. *10. n. 99. & conſ 16. n. 73.* Pedroch. *de individ. n.* 554.

(u) *l. actio. 47. §. 1. ff. de negot. geſt. l. ita vulneratus. 51. §. f. ad l. Aquil. l. ſi fidejuſſ. 29. §. quædam tamen. 4. Mandati l. eſt differentia 9. quibus in cauſ. pign. l. ſicut re. 8. §. ſi debitor. 16. quibus mod. pign. l. ſi ita ſcript. 13. de lib. & poſth. l. poſthumus. 12. de inj. rupt. & irr. l. filio. 17. ibid. cap. dilect. filii. 6. de judiciis.* Donell. *13. comm. c. 13.* Cujac. *17. Obſ. 29. Vat.* Franc. *de fidejuſſ. cap 5. num. 324.*

(x) Marpurg. *conſ. 26. n. 311.* Sichard. *conſ. 6. n. 34.* Cævall. *præfat. opin. comm. contra comm. n. 34. Cun. de pact. cap. 15 n. 80.*

(y) *l. 1. C. de ſer. fugit.* Bartol. *in l. f. §. idem quæſivit. 3. ff. de condict. indeb.* Mynſing. *ad inſtit. de excuſ. tutor. § 16.* Alciat. *de V. S. lib. 2. n. 29. Hartm.* Piſtor. *lib. 2. part. 1. q. 4. n.* 64. Enenkel. *de privil. lib. 2. c. 3. n. 52.* Forſter. *cap. f. reg. 82.* Cantiuncul. *conſ. 23 n 10.* Alex. *conſ. 48. n 5 & 11. lib. 1. & conſ 56. n. 9. lib. 2. & conſ. 25. n. 17. conſ. 44. n. 2. lib. 7.* Ceph. *conſ. 156. n. 23. conſ. 760. n. 18.* Men. *conſ. 151. n. 29. conſ. 180. n. 14. conſ. 201. n. 60. conſ. 221. n. 27. conſ. 308. n. 19. conſil. 595. n. 6. conſil. 927. n. 19. de arbitr. caſ. 199. num. 23.*

imprimis rationi ejusdem, prout ex iis quæ proxime ſequenti capite afferemus, luculenter conſtabit. Atque hæc ſunt, quæ ratione bonitatis, ſenſum aliquem in dubio præferre ſuadent, quibus alia plura, vel deſcendendo ad magis ſpecialia, vel circumſtantias juris alicujus ſingularis inſpiciendo, adjungi poterant, quæ nos, utpote generalia ſaltim elementa hujus doctrinæ pertractaturi, merito præterimus. Interim tamen generaliter adhuc aliqva de dictis modo ſunt monenda. Nempe videmꝰ omnes propemodum haſce perfectionis ac imperfectionis in jure partes, gradus ſuos recipere, per quos augentur ac minuuntur. Quæcunq; ergo hactenus ſimpliciter diximus, ad illos gradus ita ſunt referenda, & applicanda, ut ſemper pro minori imperfectione, proque majore perfectione præſumatur, ex reg. 5. & 6. Adeoque
Reg. 281. Si in dubio uterque ſenſus, (vel ſi plu res ſint, omnes) ejusdem generis imperfectionem ſecum
Reg. 282. trahat, pro minori fiet electio. Quod ſi alteruter plura habeat vitia, jam per ſe patet, pro paucioribus ſtari. Unde videmus, poſſe omnia ea quæ modo pronunciavimus, ſimpliciter habito ad gradus reſpectu hic repeti. Verum cum hæc per ſe ſint conſpicua, malumus perituræ parcere chartæ. Neque etiam de perfectionum gradibus quidquam addimus; cum ſive imperfectionem, ſive perfectionem intuearis, idem ſit. Si enim hæc ſententia illa eſt perfectior, ſane illa ſit hac imperfectior oportet. Unum ſolum adhuc ſupereſt, quo pertractato finem huic conſiderationi imponemus: *concurſus nempe vitiorum ſive imperfectionum diſſimilium*, ſeu non ejusdem generis exiſtentium, qualia hactenus conſideravimus. Si itaque ex duplici ſenſu legis, hinc atq; inde vitium di-

Pedroch. *reſp. de individ n.* 570. Cacheran. *decis. Pedemont.* 23. *n.* 46. Poſtius *de manutenendo. Deciſ.* Rot. Rom. 102. *num.* 4. *&c.*

diversi ab altero generis nascatur; utrum ab interprete sit præ altero admittendum, ob diversitatem vitiorum, & graduum secundum majus minusque multimodam differentiam, vix ullatenus decidi posse videtur. Et vero omnia hæc vitia, quot fieri potest modis velle componere, tantum non infinitum foret. Quantum tamen universaliter licet, aliqua non inania, nec inutilia præcepta generatim constituemus. Sciendum itaque primo est, omnia superius inventa legum vitia ad quatuor classes revocari posse, sub quarum *prima* collocentur ea, quæ legem penitus perimunt: 1
qualia sunt, quæ legem faciunt non esse propositionem, non esse contingentem utplurimum, non esse universalem, non dirigere, adeoque esse plane superfluam, vel esse abrogatam, vel contrariam alteri. Sub *secunda* defectuum classe ponimus ea, quæ totam 2
legem ejusque essentiam non quidem perimunt, sed gravi labe afficiunt: quemadmodum contingit, si lex fiat irrationabilis, absurda, injusta, inhonesta, inutilis reipublicæ, non conveniens materiæ subjectæ, tempori, personæ dicentis, vel accipientis, &c. *Tertio* porro ordine compræhendimus ea legum vitia, quæ legem 3
non quidem totam, sed partem ejus perimunt, cumque pars principalis sine interitu totius, aut certe gravi labefactatione nequeat intercidere, apparet hic de iis saltim nos loqui, quæ neutrum faciunt, V.Gr. si pœnæ vel præmia desint, imprimis in casu non admodum evidente, aut summam reipublicæ attingente. Item si pars legis sit correcta, & abrogata, vel superflua. Deniq; si pars legis afficiatur male, nec tamen usus penitus perimatur, cum inde non æq; labefactetur tota lex, ad *quartam* seriem vitium illud pertinebit. Constatque iterum non fore partis principalis illam læsionem, neque nimis gravem, cum cæteroqui tota lex afficeretur. Huc ergo pertinet, si lex habeat subjectum nimis universale, adeoque casuali interpretatione indigeat, vel si media sint difficiliora, vel præmia, pœnæve a debita proportione nonnihil deficiant. Denique ad evitandam quintam imperfectionum classem, huc quoque referimus ordinis, & distinctionis partium ne- 4

glectum, & cætera leviora vitia, quæ legem neque totam perimunt, vel graviter afficiunt, neque partem ejus interire faciunt. His ergo classibus quatuor constitutis, dicimus in concursu vitiorum specie differentium, vel esse ea ipsa ejusdem classis, vel diversæ. Si ejusdem classis vitia occurrant, siquidem primæ sint, parum intererit pro quo pronuncietur, cum quocunque manente lex pereat, adeoque nihil JCti consideratione, seu interpretatione dignum remaneat. Quod si *ex reliquis ordinibus* sint defectus concurrentes, fateor ob vitiorum diversitatem, & graduum inæqualitatem, universaliter nihil definiri posse, nisi quod jam olim diximus, prudentiæ & imprudentiæ Legislatoriæ discrimina observanda venire, ita ut pro majori prudentia & imprudentia minori omnis controversia dirima-
Reg. 283. tur. Id quod in singulis definire infinitum foret, patere tamen ex dictis superius poterit. Ita, exempli caussa, potius correctio aliqua partis, quam pars superflua est admittenda in lege. (z) Imprudentiæ enim majoris est superflua statuere, quam corrigere, & emendare minus bene & accommodate statuta: cum hoc ipsum, etiam si ne culpa legislatoris fieri possit, ut lex desinat expedire, & propterea correctione indigeat, ob superius indicatam actionum nostrarum
cap. 5. §. 2. inconstantiam. Quod si vero ex diversis classibus sint vitia, quæ hinc indelegi videmus inesse, illud saltim universaliter licet colligere, quod potius secundæ, tertiæ, & quartæ classis vitia, quam primæ debeant admitti.
Reg. 284. Hæc enim totam legem perimunt, non illa. Porro potius
Reg. 285. tertiæ, & quartæ, quam secundæ, potius quartæ, quam tertiæ classis defectus admittentur.

(z) *gl. f. c, quamvis, de usuris in 6. &c.*

tur. Adeoque, ut denuo exemplum adferamus unum saltim, alterumque. Potius lex generaliter loquens specialiter accipietur, ob rationem specialem annexam, quam ut tota pereat ratio. v. *Ddres* ad §. 7. l. de adoptionibus. Ita, potius contra disputandi rationem, subtilemque veritatem legis facienda erit interpretatio, quam quæ superfluam legem reddat. (aa) Item potius superfluum aliquid in lege admittendum, quam contrarietas ejus cum aliis legibus statuenda (bb): & quæ plura specialiter hinc inter se conferre consulto supersedemus.

Reg. 286.

Reg. 287.

Reg. 288.

VI. Hucusque de modo seligendi in dubio sententiam ex ratione perfectionis quæ legi inest, prolixi satisfuimus. Quæ proinde præcepta qvod ad numerum non æque, ac quantum ad sua, unde sunt deducta principia, & potissimum quidem quod ad concursuum, aut comparationum classes, constitutas nobis primitus, & in praxi sæpissime occursuras, bene menti imprimenda sunt. Neque obstat, quod errari hac in parte possit; si nempe Legislator deteriorem sententiam voluerit. Nam ista minime erit Interpretis culpa, si nulla hujus opinionis indicia videns, maluit meliorem sectari partem, quam & ipsum Legislatorem secutum, vero magis erat consentaneum, aut certe, si ad explicitam magis considerationem æque ac Interpres processisset, neutiquam aliter sensurum. Excusatus ergo utiqve erit, etsi sensum per accidens mutet, cum optima interpretandi præcepta optime adhibens, præterea præstare nihil sit obligatus. Jam autem *si harum differentiarum nulla in legis* ambiguæ sententiis depræhendatur, (id qvod perrarum fore liquet,) ex *caussis* reliquis

De interpretatione legis, ex caussis, quæ movere potuerunt Legislatorem ad faciendum legem talem, vel tribuendũ sensum certum illi orationi, vel scripturæ.

(aa) *l. ita vulneratus* 51. §. *fin. ff. ad l. Aquil.*
(bb) Villalob. *Opinion. commun. litt.* C. 195.

reliquis mens Legislatoris ſeu voluntas erit inveſtiganda. Unde Cauſſalis Critica interpretatio extraordinaria, nobis ſuperius dicta, orietur *triplex*: eaque vel circa ipſum
Reg. 289. ſenſum, vel circa orationem, vel circa ſcripturam. Circa ipſum legis conceptum potiſſimum voluntas Legislatoris erit indaganda. Nam quod facit ſuperſederi poſſe reliquis operationibus, idipſum primario erit attendendum. Mente vero legis, ceu ſignato, conſtituta, verba & ſcripturam, utpote ſigna illius, non curabimus. Unde patet primam de mente Legislatoris ex ſignis & cauſſis voluntatis invenienda curam JCti eſſe debere. Quemadmodum itaque ſupra capite qvarto, dictum eſt, collectis ſignis o-
Reg. 290. pinionum, affectuum, conſuetudinis, vel neceſſitatis, utri legis ſenſui ea maxime congruant, penſitabit, & exinde in dubio judicium faciet. Et quamvis hic iterum decipi JCtus poſſit, non extantibus voluntatis ſignis: tamen cum & rarum id ſit, & citra ipſius culpam accidat, neutiquam illi imputabitur. Neque illi adſcribendum erit, ſi ut alibi, ita & hic,

Interdum docta plus valet arte malum.

Reg. 291. Quod ſi neque hac ratione certi de ſenſu legis efficimur; per *Interpretationem Extraordinariam perfectivam Cauſſalem Grammaticam* atque *Rhetoricam*, eædem voluntatis cauſſæ in oratione erunt inquirendæ, & inde eidem erit ſignificatio certa & una conſtituenda. Ita ſi certi fuerimus de opinione Legislatoris circa ſtylum, vel vocum

cum ſignificationes, elegantiasque conſtructionum, & quæ cætera hic occurrere diximus, utri ſenſui opinionem legislatoris magis convenire videbimus, eum orationi aſſignabimus. (cc) Ita & ex ſtudio, & affectu novitatis, antiquitatis, vel metaphorarum, aliarumve dubiarum locutionum, ſenſum unum ex pluribus maluiſſe Legum conditorem colligemus. Immo & conſuetam Legislatori loquendi rationem, etſi impropriam, hoc caſu præferemus. (dd) Sic & neceſſitatis ſequemur argumenta, ſi qua vocem hoc potius quam alio ſignificatu donare coegerit. Tandem per *Interpretationem Grammatiſticam* cauſſalem, hæc omnia eadem prorſus ratione in ſcriptura obſervabuntur. Videlicet, ut reliquis omnibus præſidiis ceſſantibus, voluntatem ſcribentis ex opinione, vel conſuetudine, vel appetitu, vel neceſſitate formandi ductus, hoc vel alio modo, arguamus. Quæ omnia cum ſint rariora, & non niſi imperfectiſſimas ſolas leges comitentur, prolixius in hoc compendio pertractari non merentur.

Reg. 292.
Reg. 293.
Reg. 294.
Reg. 295.
Reg. 296.

VII. Ordinatis ita iis etiam præceptis, quæ in dubio & ancipiti ſenſu legis, ubi æqualis utrinque eſt proprietas, & improprietas Orationis externæ vel ſcripturæ, etiam multiplicis, quænam earundem aut quis ſenſus eligi debeat, nos erudiunt, quibus omnis in univerſum *Electitia Explicatio conjecturalis* abſolvitur; ex memoratis ſuperius diligenti experientia obſervatis interpretatione indigentibus caſibus imbecillitatum, huc ad ſcriptam legem pertinentibus, reliqvus eſt ille ſolus caſus: quo proprietate oratio-

De colligenda voluntate legislatoris contra proprietatem Orationis.

(cc) Coraſ. *de jur.* Curt. *in art. redig. part.* 4. *c.* 1. *in fine.*
(dd) Donell. 1. *comm.* 15. *p. m.* 44.

orationis vel ſcripturæ conſtituta, ſenſus talis exoritur, quem voluiſſe legislatorem vero non ſit conſentaneum. Hoc enim expedito, nihil in hac materia conſideratu dignum ſupererit. Unde *Correctoria* demum ſive *Emendatoria Critica Interpretatio* naſcetur, omnium rariſſime uſurpanda, & quodammodo a JCti officio aliena. Quippe cujus non eſſe leges immutare diximus. Hic autem ut mutationis ſpecies non omnis omnino abeſt: ita quando ex voluntate Legislatoris per conjecturas præſumta mutatio ſola permittitur JCto mutationis non æque naturam, ac ſpeciem retinet. Siquidem ex voluntate Legislatoris quod fit, circa legem, ab auctoritate Legislatoris unice pendentem, id non immutat voluntatem legislatoris, ſed tuetur, ac defendit, ampliatque, vel declarat, explicita ex implicitis tantummodo efficiendo. Unde voluntas quidem, ut ante diximus, ordinario verbis & ſcripto legum conſona Legislatoris eſt præſumenda.

Reg. 297. Quotiescunque vero voluntas diverſa legislatoris cognoſcitur ab ea, quam verba, vel ſcriptura, proprio, & ſolito ſenſu intellecta, produnt, contra uſum & proprietatem ſcripturæ, & ſermonis pro mente Legislatoris recte fiet interpretatio, ſive ſententiæ conſtitutio (ee) Cum enim omnis legum vis ex voluntate legislatoris dependeat, adeoque contra eam nulla valeat interpretatio, reg. 14. 15. & 150. & verba etiam ſigna ſint ſolummodo illius, & ſcriptura rurſus verborum, nihil eſſe poteſt evidentius, quam contra ea pro mente legislatoris rectiſſime ſtari. Noluiſſe autem legislatorem ſenſum quem oratio vel ſcriptura præfert, unde colligetur?

(ee) *Tyber.* Decian. *vol. 2. reſp. 1. n. 20. & reſ. 28. n. 7.* Alciat. *de V. S. lib. 1. n. 9.* Socin. *in fallent. reg. 441.* Gemin. *conſ. 122. n. 2.* Alex. *conſ. 22. n. 5.* Coraſ. *par. 4. cap. 4. ac jur. in art. redig.* Bald. *in l. contra ff. de ll. apud Petr.* Gerard. de Petraſancta *ſingul. 7. n. 15.*

ligetur? Sane quod ad *Caussalem Emendatoriam Interpretationem* hic attinet, vel ipsa confessio Legislatoris hic quandoque possit esse suspecta, æque ac *supra* c. IV. & V. in constituendis rationibus, & caussis diximus. Ut adeo vel inficianti mentem suam, aut asserenti, non semper credi queat. Id quod in malitiosis, & maxime in hæreticis perfrequens est, & a *Claubergio* in Logices suæ vet. & novæ part. 3. cap. X. §. 66. & seqq. etiam urgetur. At hic in Legislatoribus illud minus occurrere patet. Ubi proinde ordinario quidem, ut ipsa confessio Legislatoris de improprietate vocis, aut vitio scripturæ fuerit admittenda, donec contrarium aperte satis elucescat: sic aliena contra testimonia contra scripturæ orationisve proprietatem valitura necesse est, ut sint veritatis admodum conspicuæ, & indubiæ, imprimis, si ex materiæ seu sensus bonitate de qua mox dicemus, nullum habeant argumentum adjunctum. Quin neque signa voluntatis contrariæ qualiacunque hic attendemus. Ita nec opinio, nec affectus, nec consuetudo, neque ordinario quidem alia ulla caussa voluntatis a ratione prorsus aliena suffecerit, ad sensum orationis improprium proprio præferendum. Multo minus si contra rationem eadem pugnet, cum qua proprie sumpta sententia consentit. Foret enim hoc pro imprudentia Legislatoris præsumere, cujus est vel sine ratione, vel contra eandem operari. Unde rectissime pro Servio contra Tuberonem Celsus decidit: (ff) non consuetudinem, sed usum proprium vocis qua testator usus sit, respici debere; *non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi*

Reg. 298. (beside "elucescat: sic aliena contra testimonia contra scriptu-")
Reg. 299. (beside "Ita nec opinio, nec affectus, nec consuetudo, neque ordi-")
Reg. 300. (beside "dum. Multo minus si contra rationem ea-")

(ff) *l. ab eo 7. §. f. ff. de supell. legat.*

muni uſu nomina exaudiri debere: etſi in Tuberonis errorem etiam Coraſius (gg) incidiſſe videatur.

Reg. 301. Solum itaque tunc *Extraordinaria* hæc *Emendatoria*, & quidem *perfectiva Interna & Mentalis Interpretatio Critica*, ſive *expoſitoria conjecturalis* locum habebit, & ex ejusdem præſcripto veniet contra proprietatem ſcripturæ aut orationis appræhendenda ſententia, cum prudentis eſt ſenſiſſe contra eam: ſive cum majoris foret imprudentiæ ſententiam proprie intellectæ orationis, vel ſcripturæ ſecutum fuiſſe, qvam eam, quæ cum improprietate eſt conjuncta. Imprudentia autem major tum erit in electione ſenſus proprii, quando ex eo vitium reſultat, quod magis lædit eſſentiam, & perfectionem legis, quam improprietas ob alium ſenſum inducta. Tunc ergo ſenſus orationis, aut ſcripturæ improprius præfertur proprio, ſi hic majori vitio quam ille legem inquinet, ſitque præterea talis, qualem in animo habuiſſe Legislatorem vero non ſit abſonum. Si enim vel ex conſtitutione reipublicæ, vel temporũ, vel ex aliis circumſtantiis colligi poſſit, nullo modo tale quid in mentem venire legum conditori potuiſſe, quale præfert ſenſus improprius, etſi prudente dignior, affingi tamen ille legi non poterit, ne contra reg. 15. & 150. impingatur.

Reg. 302. Oblata itaque lege tali, quæ proprie intellecta inſignem aliqvam imperfectionem adjunctam habet, JCti erit omni ſolertia rimari, an per impropriationem aliquam, ſeu quantum fieri poteſt leve ſcripturæ

(gg) *de jur. civ. in art. relig. part. 4. cap. 4. in f.*

ræ vel orationis vitium, quod tamen ſit veroſimile legislatorem admiſiſſe, eſſentialem illum legis defectum poſſit tollere. Nam ſi vel imbecillitas illa legis ſit perexigua, vel major illa, & enormior, quæ ex improprietate oritur: vel nullum ſolertiæ ulli indagandum corrigendi medium, vel talis improprietas, quam pateat a legislatoris mente eſſe alieniſſimam; inepta erit hæc ſenſus melioratio. Sed ſeparemus hanc conſiderationem, & primo de Oratione ejusque impropriatione expediti, deinde & de ſcripturæ præſumendo vitio aliqua ſubjiciemus. Secundum claſſes itaque vitiorum modo conſtitutas progrediendo, citra omne dubium pro impropria oratione in lege recte præſumitur, ut evitentur vitia primæ claſſis, utpote legem penitus nullam & inutilem facientia, (hh) V. gr. ne lex deſinat eſſe propoſitio, vel propoſitio univerſalis, vel contingens utplurimum, item ne fiat abrogata, vel contraria aliis (ii): ita enim aut ipſa peribit, aut oppoſita, ceu ſequenti capite probabitur: ſic & ne fiat impoſſibilis, vel alio modo plane ſuperflua, (kk) ac inanis, improprietas admittetur. Parem in modum ut ſecundæ claſſis vitia, legis totam eſſentiam graviter lædentia excludantur, ſenſus improprius tolerabitur. v. gr. ne lex fiat abſurda, aut abſurdi conſequentis cauſſa, (ll) ratione Reg. 303. Reg. 304.

 deſti-

(hh) Coraſ. *de jur. civ. in art. redig. part.* 4. *cap.* 4. & Tuſch. *concluſ.* 110. *V.*

(ii) Coraſ. *l. c.*

(kk) Mopha *de rat. Stud. lib. 2. fol. m.* 408. *b. in medio.* Socin. *in fallentiis reg.* 441. & *generatim* Danhauer. *Ideæ boni Interpretis part. 1. ſect. 3. artic.* 1. §. 54. *pag.* 102.

(ll) *Alberic.* de Roſat. *in l. 1. ff. de bon. poſſ. apud* Socinum *loco citato.* Alciat. *de*

destituta, seu eidem repugnans, (mm) injusta, (nn) inhonesta, (oo) inutilis reip. aut damnosa, (pp) materiæ subjectæ non conveniens, (qq) adeoque inepta, vel personæ ferentis, aut accipientis legem parum accommodata, (rr) & quæ cætera ex superioribus facile colligenda nunc enumerare nolumus. In tertio vitiorum

Reg. 305. ordine, si nempe **pars legis perimatur,** quamvis plerumque ille partis interitus sit futurus damnosior improprietate aliqua, cum tamen interdum usu venire queat, ut pars illa minus sit magni momenti, & improprietas illa admodum insignis,

Reg. 306. comparanda hæc bina erunt, & **quod vitium minorem arguet imprudentiam, illud præferetur.** Sic & in quarta serie, **si citra legis totalem vel particularem interitum, vel insignem essentiæ læsionem, vitium aliquod oboriatur,** id quod per partes exponere, immensus vitiorum, adeoque faciendarum inter ea comparationum numerus non permittit. Neque adeo hoc facto opus est, cum ex fuse allatis vitiorum differentiis, cuivis facile comparatorum eorundem inter se gradus possint innotescere. Sed alius adhuc casus intactus superest. Fieri enim poterit,

V. S. lib. 2. n. 3. Alex. *conf. 61. n. 4. lib. 1.* Menoch. *conf. 4. n. 20.* Coras. *part. 4. de jur. civ. in art. redig. cap. 4.* Gratian. *disceptat. forens. Tom. 5. cap. 834. n. 13.* Everhard. *loco ab absurdo.* Danh. *l. c.* § 57. *p. 110.*

(mm) Coras. *l. c. Alciat. l. c. n.* 8.

(nn) Coras. *l. c.* Bald. *apud Socin. fallent. reg.* 441.

(oo) Coras. *l. c.* Angel. *in l. quinque §. parentes. C. de in jus voc. apud* Socin. *l. c.*

(pp) Socin. *l. c.*

(qq) Coras. & Socin. *l. c.* Phederic. *de interpr. jur. part. 3. n. 22* Alciat. *de V. S. lib. 2. n. 3.* Forst. *de interp. jur. lib. 2. c. 3. n. 20.* Alex. *conf. 86. n. 2. lib. 1.* Gemin. *conf. 122. n. 3.* Wesemb. *conf. 73. n. 43.* Calderin. *conf. 244.* Farinac. *conf. 88. n. 34. & alios plures, quos in partes vocant Card.* Tusch. *conclus. pract. lit. V. &* Everhard. *loco a subjecta materia n. 2.*

(rr) *Socin.* Coras. *& Card.* Tusch. *locis modo citatis.*

erit, ut etiam improprius ille ſenſus aliquid vitii contineat. De quo notandum eſt, debere id ipſum tale eſſe, ut cum improprietate illa conjunctum, nihilominus nondum exæquet illud quod ex proprio ſignificatu oritur, qva de re ea qvæ ſupra de concurſu vitiorum diximus, repetenda ſunt. JCtus itaqve etſi Reg. 307. impropriæ orationis ſenſus vitii quid habeat, nihilominus pro eo præſumet, modo non ſuperent utraque hæc ſimul ſumpta, orationis nempe & ſenſus vitia illud quod in ſolo ſenſu ſubſiſtit. Secus enim pro minori imbecillitate decidetur. Quod ſi hæc duo exæquent illud unum, ita ut vix aliqua evidens adſit differentia, voluntatis reliqua ſigna attendentur, neque ſine iis a proprietate recedetur. Reg. 308. Ceſſat enim receſſus cauſſa, quæ erat pro voluntate ſaniori legislatoris præſumptio. Denique notandum in genere, non mediocriter confirmari Interpretem in eligendo ſenſu improprio, ſi ſignum aliquod voluntatis inveniat, quod legislatori receptam illam improprietatem probet, v. gr. conſuetudinem voce abutendi, vel aliud quid. Reg. 309. Ita enim firmius maluiſſe legislatorem hunc ſenſum præ illo concludet. Quas adeo duas poſteriores regulas, Cauſſalem Interpretationem perfectivæ ſociandam præcipere, quoties difficultatis, alterutra ſola adhibita inſuperabilis ratio id exigat, in manifeſto eſt.

IIX. Eadem hæc in ſcriptura tantum non omnia erunt repetenda. Nam quoties vitium legem perimens, per Reg. 310. De eadem conſtituenda contra bonitatem

& significationem scripturæ. Reg. 311. per scripturæ non improbabilem errorem poterit evitari, id fiet: ex superius dictis caussis. Sic & si totam essentiam lædens vitium per e-
Reg. 312. um tolli queat. Ut & plerumque si pars legis
Reg. 313. redimi possit. In reliquis eadem vitiorum comparatio instituenda, observatis regulis 306. 307. & 308. Imprimis quoque hic proderit, signa scripturæ vi-
Reg. 314. tiosæ observasse, v. gr. lacunas, expunctiones, diversas lectiones, & cætera talia, quibus inventis securior erit præsumptio.
Reg. 315. Cavendum quoque ne nimis fiat magna mutatio, sed minuenda ea quantum fieri potest, ex reg. 302. Ita facilius litterarum permutationes, quam transpositiones, & hæ quam expunctiones admittentur; Rarius hæc omnia in syllabis, vocibusque, rarissime omnium in integris phra-
cap. 4. §. 9. sibus, vel periodis nobis permittemus. Etsi nonnumquam in libris, capitibusve integris transpositiones videmus esse commissas, ceu in Politicis Aristotelis supra notavimus. Quæ sane omnia sine indiciis, argumentisque manifestis corruptæ scripturæ non satis secure fient. Qualia sunt tum ea quæ diximus, tum summa librorum a tempore protographi remota descriptio, & scribentis sæpius comperta negligentia, & cœtera ejus generis. Quousqve vero & quibus terminis omnia hæc sint continenda, non est hujus considerationis, sed ejus quam de Critica arte scientificam doctrinam adhuc desideramus, & in animo ac proposito, cum primitus hæc conciperemus, habitam, derelinquere, ad alia plane diversa studia vocati, jamdudum cogimur. Illud præter ea, quæ de Orationis improprietate statuenda diximus, hic advertemus: quod & ob Orationis vitium, scripturæ corruptela præsumatur. Unde *Externa* etiam *correctoria Comparativa*

va nobis *Interpretatio*, superius fuit formata. Et quidem si Oratio vel ejus pars plane sit perditura essentiam suam, utique verosimilis scripturæ menda tolerabitur. Reg. 316. Ut & si tota ejus perfectio alias periclitetur, & gravi labe adspergatur, verbi gratia si tota obscura, inusitata, ambigua, vel alias foret impropria mansura. Reg. 317. In reliquis ceu de comparatione materiæ cum scripturæ vel orationis vitiis diximus, in concursu vitiorum scripturæ, & orationis pro minori imbecillitate decidetur. Reg. 318. Reg. 319. Quod si æquale sit utrinq; vitium, non nisi ex voluntatis indiciis, ceu reg. 308. jam affirmavimus, poterit contra scripturam concludi. Si etiam usu veniat, ut vitium aliqvod conceptus legis & per scripturæ, & per orationis aliquam imperfectionem tolli possit, eadem observabuntur. Primo enim si sint inæqualia vitia orationis, & scripturæ, pro sensu meliorando assumenda, ubi minor orietur imperfectio, & facilior correctio, ibi opus aggrediemur. Reg. 320. Ita præstabit facere syllabæ jacturam, vel transpositionem, quam orationem statuere totam inusitatam. Quod si æqualia utrinque hæc inveniantur: aut voluntatis signa litem diriment, Reg. 321. aut neque illis juvantibus, pro orationis vitio potius quam scripturæ Reg. 322.

præſumetur. Nempe ne fruſtra & ſine fundamento mutatio ſcripturæ inducatur. Ex hiſce ſatis late congeſtis facile erit decidere, ubi non debeat ſcripturæ vitium apponi, vel oratio ab uſu remota recipi. Contraria enim dictis ſolummodo aſſumentur. Qvare hic regulas non accumulabimus. Summa rei eſt, ut caveatur ne vitium affingatur legi, vel augeatur ſine neceſſitate. Specialia plura Juridica qvi voluerit exempla, legat *Claubergium*, *Danhauerum*, jam *ſuperius additione* 1. §. 2. laudatos, ſpeciatim vero etiam quod ad Juridica exempla colligenda, inſpexiſſe conducet textuum emendationes, quas magno ſæpe judicio, ſæpius tamen etiam non toleranda audacia, in Jure Romano facere annisi ſunt complures viri clariſſimi, & præcipue *Accurſius*, vel eo moderatiores etiam, & politiores alios. Quales præcipui ſunt juxta cum ſupra memoratis addit. 1. ad §. 2. hujus capitis, *Alciatus*, Antonius *Auguſtinus*, *Cujacius*, *Cattejanus*, *Cotta*, *Buſius*, *Connanus*, *Faber*, *Forſterus*, *Elbertus Leoninus*, *Gothofredus*, *Hortenſius*, *Pacius*, *Pinellus*, *Rævardus*, *Vultejus*, &c. contra quos fere omnes inſurgit elegantiſſimo Anticriticorum libello, Johannes *Steckius*. Ex quibus omnibus ingens exemplorum ſeges, quibus illuſtrari & probari veritas dictorum queat, ſtudioſis hujus Interpretationis nullo negotio colligetur. Sed quæ non tam ut memoriæ imprimantur, (id quod ob infinitatem eorum, & confuſionem, vix factu poſſibile fuerit,) quam ut exemplorum inſtar, & experientiarum illuſtrandis univerſalibus noſtris, aut augendis etiam aliquando, ſi ſic videatur, inſerviant commendamus. Et partim quidem hoc ad ſpecialiora noſtra præcepta potius pertinebit. Elementa enim eorum puto me ſufficienter hic conſtituiſſe. Prius vero maxime ad negativa præcepta velim applicatum. Quæ ut affirmantibus innumerabilia poſſint opponi: ſic iisdem illuſtrandis & declarandis, & maxime proclivioribus, aut frequentioribus, & quaſi moris aliqua jam auctoritate quodammodo firmatis erroribus elevandis, utiliſſime inſervient. Cæteroqui ex noſtris

princi-

principiis, & oppositorum congruente invicem doctrina, facile, quoties in praxi opus sit, deducenda. v. gr. Quando ex laudatis modo *STECKII ANTI-CRITICIS* in 4. Basil. 1627. editis hæ, *Regulæ negativæ*, olim *Patavii jam excerptæ* mihi, nunc ob raritatem voluminis tota hac urbe non iterum, sed Brema demum ab amplissimo ejus Syndico, Dn. Gerhardo von MASTRICHT, fautore & amico meo summo impetrati, hic insertæ sunt sequentes. V. gr.

Non expungendæ voces textus ita, ut verba non amplius deinde cohæreant. cap. I. & VII. pag. 2.

vel sensus non constet, sed pervertatur. Ibidem & VII. 19.

ne ratio legi annexa fiat nulla, imo lex eidem contraria c. I.

Non facienda obliteratio facilè sine codicum Msiorum auctoritate c. II.

sine idonea ratione, sola ingenii fiducia,

ut impingatur in juris principia. Ib.

nec ad antinomiam tollendam, quæ expositione commoda conciliari alias potest. c. III.

non ut legis veritas & auctoritas succumbat. Ib.

Non corrigenda scriptura ut durior fiat, & intolerabilis legis duræ sensus. V.

Neque licentia tanta, unde omnis legum dignitas & existimatio vacillet. c. V. p. 11.

Non confugiendum ad Græcismos temere. V. 13.

Non mutanda facile constans lectio. vetus latina, tersa, & usitata p. 14.

nedum ubi sensus commoda interpretatione sibi constet. 16.

Non excusandi Critici, qui nulla auctoritate veterem lectionem mutant, & vim legibus illatam, ex contextu juris convictam, verborum inelegantia & horrida barbarie conspurcatam Græcanicæ prætextu locutionis polliant. Ib.

Non tolerandi, qui controversias negativæ particulæ insertione tollunt, vel expunctione. Ib.

Mutatio ne contradictionem implicet. VI. 18.

Non expungendum, ut sensus fiat ex plano obscurus. VII. 20.

Mutatio

Mutatio lectionis non facienda facile contra Græcam lectionem Basilicorum,

nedum in aliam nil ad rem facientem, IIX. 22.

ad legis sensum non quadrantem, Ib.

Non delendæ voces contra legis mentem. IX. 27. X. 29.

Non mutanda lectio Digestorum Florentinorum, ad Interpretationem duram, violentam, rationi legis contrariam, quæ salvari recta interpretatione potest. XI. 35. XII. XVI.

Ubi sensus sine ea planior. XIII. & XIIX. 56. 57.

per eamque sit obscurior supplendusque.

Ad emendationem non confugiendum, ubi non graviter laborat lectio præsens. XVI. 47.

nedum ita, ut oratio fiat dura, & insolita. ibid.

Non temere negans particula inserenda textui alterutri, quo leges concilientur, exemplo Accursii & Cujacii. XVII. 51. XIX. 58.

quando conciliari aliter potest. Ib. 53. 55.

Nil mutandum, ubi nervosior lectio quam mutatio. XIIX.

ubi certa legis ratio dari potest:

imo plures rationes, quam correctionis. Ibid.

Ubi mutatio obscurat potius sensum, vel pervertit, quam juvat. XV. 64.

Hasce regulas negativas, ex affirmantibus paucis oppositis, dico facillime cuivis deducendas fore.

Quemadmodum & *affirmantes Regulæ Auctoris ejusdem*, jam itidem olim nobis excerptæ sequentes.

Ubi sensus verborum injustus est, ibi vocem expungere præstat. cap. I.

Critica ita exercenda est, ut respiciamus ipsas res potius, quam in cortice verborum hæreamus. c. I.

Vetus lectio novæ præferatur, donec evidens ratio recedendi appareat. II.

Expungenda vox, ne falsum sit in lege admittendum. 3.

ne antinomia toleretur. III. V.

Si

Si cotrarietur lex Historiæ temporis, & cum eadem possit additione alicujus syllabæ conciliari, addenda ea est. IV.
Inserenda vocula potius, quam tolerandus sensus insipidus obscurus, phrasisque inusitata. V.
Mutatio lectionis potius quam absurditas sensus toleranda. VI. 15.
Lectio vetus Basilicorum confirmat dubiam aliam. IX. 22.
Lectio Florentina cœteris præferenda. XIV. 41. 42. XV. 45. XX. 60.
nec temere mutanda, nisi quando in ea responsio non convenit interrogationi. 42.
aut non efficacia proponit. Ib.
Ubi probabilis ansa errandi fuit describenti, pronior mutatio lectionis. XVI. 46.
Leges attente legendæ, ad crisin & interpretationem faciendam. XIX. 57.
Correctio lectionis toleranda, si inepta sit ratio legis alioqui futura. XX. 60.

Has regulas speciales, in plures deduci posse dico, analogiam sectando; & omnes deinde ita deductas specialissimas quasque, reduci ad pauciores sese invicem complectentes, subordinatione congrua, donec ad universalia nostra perveniatur. Unde iterum descensu congruo, per divisiones, Logica methodo rite factas, progrediens, ad infimas species, habebit scientiam earundem, & plurium in hoc argumento utilium regularum exquisitam, & quę nostris desunt supplentem. Quod omnino fuerit operæ pretium, nisi forte cui videri poterit, hoc interpretamenti genus parum JCto convenire. Nam mutationem legis videtur secum trahere, quam a JCto voluimus remotam Reg.10. Facilis hic solutio, neque enim lex mutatur, neque scriptura, sed qualem Legislator voluisse colligitur utramvis, talis sistitur: sublata ea, quæ sinistro aliquo accidente introducta erat. (2.) Objici porro poterat: admodum esse fallacem utramque hanc interpretandi rationem, tam quæ ab orationis proprietate, quam quæ a scripturæ bonitate recedit. Adeoque cum in errores hoc pacto labi facillime possimus,

 parum

parum esse quin penitus negligendum sit JCto fallax ejusmodi & anceps interpretandi studium. Et sane non possumus ire inficias, quod fieri queat, ut hisce in modis indagandi mentem legislatoris, ab eadem aberremus. Nam principio siquidem vel non appareant signa, vel conjecturæ de voluntate legislatoris circa orationem, vel scripturam a nativa sua bonitate abeuntem, v. gr. si consuetudinem habuerit loqvendi, seu utendi hac, vel illa voce, in hoc illove significatu valde improprio, cujus memoria perierit, necesse erit per Reg. 302. cessare JCtum, & errorem relinqvere. Ita si forte maluerit legem vitiosam, ob caussam latentem JCtum, & ille levissima lectionis mutatione, vel orationis improprietate arrepta, optimam eam sistat, nihilominus fallitur. Sic si errans scriptor legum, mutata voce legem reddat meliorem quam erat, & justiorem, neque contrarii sensus relinquantur indicia, retinere scripturam cogetur JCtus. His & aliis modis igitur ab errore penitus liberi non erimus. Sed cum hæc omnia non interpretis, nec interpretationis accidant vitio, sed vel legislatoris, vel alterius intervenientis obstaculi, & rara sint præterea, imo rarissima in legislatore prudente: Interpreti, aut arti illius nullo jure erunt adscribenda.

Species harum omniũ interpretationũ proponuntur, ac definiuntur, earumq; differentiæ discriminantur.

IX. Finita tandem enumeratione specierum quibus Jus scriptum interpretari datur, & constitutis circa omnes regulis, ni fallor, sufficientibus, ad ipsas harum interpretationum essentias, & appellationes constitutas adaptatis. Ad appellationes quod attinet, non deerunt, qui circa illam a nobis tam variam *nomenclaturam* disputent: alii *minuendam* forte, alii *mutandam* aliter atque aliter prætendentes. Sed iis omnibus una responsione hac satisfacturum me credo. Nempe de rebus si consentimus, de verbis nos faciles esse debere. Imo si omnibus illis nomenclaturis abstinere, citra communicandi desuper sermonis ambages, atque difficultatem se posse putent, ilicet, factum sit de illis omnibus. Tantum abest, ut de una omnium aut aliquibus λογομαχίαν exercere sit animus, ut vel omnium rejectionem ægre neuti-

neutiquam ſimus laturi. Interim quoniam circumlocutione ſemper uti tot ſpecierum, incommoditatis pleniſſimum, & ipſa ſpecierum atque generum diſtinctio quodammodo jam præceptorum inſtar habitura videtur: quas potuimus ab uſu & ſenſu ſignificandorum minime alienas, atque remotas, adhibuimus. Aliquid etiam affectui humano dantes. Et eorum quidem præcipue, qui omnem hanc circa jura ſcripta interpretationem *Criticam* nominatam cupere videbantur: non circa ſcripturæ vel orationis ſolius naturam, ſed & circa ipſius rei, circa quam eæ verſant, *Criticos* occupari debere ferentes, ut mentem, ſeu voluntatem, & ſententiam de iis ſingulis, quæ ſcripſere auctores, quos interpretantur, conſtituere ſint idonei. Et ſane ſiquidem eousque ſe extenderet ipſorum cura, quamvis non adeo per omnis generis libros hac ratione ſinguli ſe diffundere poſſent: non tamen eum contemptum, quem nunc circa verborum ſcripturarumque corticem hærentes, relictisque rerum nucleis, ſpecioſas pro iis nugas ſæpenumero vendentes, plerique incurrerent. Sed hoc quidem arbitrio cujusque relinquimus, an Criticam hanc interpretationem circa ſcriptum jus omnem nuncupare velit, nec ne: interim differentiæ ejus, earumque definitiones nobis erant ponendæ, niſi perfunctorie prorſus philoſophari vellemus. Cœteroqui generatim illud *Feldeni* de verſionibus, ad omnem hancce interpretandi rationem trahentes, quando part. 2. de Interpr. lib. 6. c. 1. §. 5. pag. 1020. ita ſcribit. *Nullius interpretis translationi* (adeoque nec expoſitioni, aut explicationi, vel declarationi &c. ulli) *tuto fidere poſſumus, niſi cognitioni linguæ interpretandæ* (imo & per quam interpretari ſeu in quam transferre interpretanda molitur) *conjunctam habeat ſcientiam eorum, quæ in Oratione ſunt compræhenſa.* Ex quibus jam judicare poſſumus, quo ſenſu Doctores legum, (ſſ) atque

(ſſ) Phederic. *de interpret. jur. par.* 1. *memb.* 1. *in principio.* Coraſ. *de jur. civil. in art. redig. part.* 4. *cap.* 1. Forſter. *de interpr. jur. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 14. *& lib.* 2. *c.* 2. *n.* 1. Donell. 1. *comm.* 13. *deciſ.* Rotæ Rom. Ottoboni. 44. *n.* 17. Barboſ. *loc. comm. V.* 4. *& ſeqq.*

ipſæ adeo leges, (tt) inter mentem, & verba legis (addimus nos, inter ſcripturam idem fieri debuiſſe,) diſtinguant: & quam perperam rationem legis, & mentem idem nonnulli (uu) eſſe aſſeverent. Cum enim ratio ſit ille terminus, ſeu cauſſa illa, quæ naturalem inter ſubjectum & prædicatum legis, quod ad ineſſe, vel non ineſſe propenſionem, vel proportionem efficit; mens vero legis ipſe ſit conceptus legis, ſeu præpoſitio, aut oratio, uti dicunt Logici, mentalis, quæ fuit in animo legislatoris, Orationem vel ſcripturam legis formantis: patet, ſicuti minor, majorque ſyllogiſmi a concluſione, ita rationem a lege, ſeu mente legis differre. Intelligere etiam licet ex dictis, quam rectiſſime

Reg. 323. mentem potiorem verbis æſtimandam, & contra verba etiam attendendam, & leges, (xx) & earum Interpretes (yy) moneant. Sane enim propter quod eſt

(tt) *l. ſcire leges* 17. *& ſeqq.* 25. 29. 30. *ff. de ll. l. nominis* 6. §. *1. ff. de V. S. & infinitæ aliæ, partim* Ddribus *modo dictis citatæ, partim mox afferendæ.*

(uu) Forſter. *de interpr. jur. lib. 2. c. 2. n. 2.* Donell. *1. comm. 13.* Alciat. *in l. nominis & rei* §. *1. de V. S. & apud Alfonſ.* Modit. *in* §. *Lex eſt. Inſt. de J. Nat. G. & Civ. dubitat. 92. num.* 4. Dynus *in cap. f. de R. J. in 6.* Bart. *in l. non dubium col.* 7. *verſ. ſecundum dubium eſt. C. de ll.* Bart. Bald. Alex. *&* Caſtrenſ. *in lege cum mulier pr. & omnes per illum text. ff. ſol. matrim.* Bald. *in l. 1. col. ult. in pr. ff. ſi cert. pet.* Everhar. *loco a rat. leg. larga. n. 18. &c.*

(xx) *l. ſcire leges.* 17. *l. contra legem.* 29. *& l. fraus* 30. *ff. de ll. l. jurisprudentum.* 7. §. *utrum autem* 7. *de pactis. l. ſi cum ſimplicius.* 9 *ff. de ſervit. l. ad exhiben. penult. ad exhibend. l. credendum.* 4. §. 1. *qui pet. tut. l. ſcire oportet.* 13. §. 2. *de excuſ. tut. l. ſi mihi.* 12. *in f. de leg.* 1. *l. Titia.* 34. §. *f. & l. cum pater.* 77. §. *dulciſſimis.* 20 *ff. de legat.* 2. *l. non alter.* 69. *in f. de legat.* 3. *l. Labeo* 7. §. *f. ff. de ſupell. leg. l. in ambiguis.* 3. *ff. de reb. dubiis. l. ſi quis ita.* 3. §. *conditio.* 9. *de legat. adim. l quisquis mihi.* 116. *l. verbum erit.* 123. *l. in conventionibus.* 219. *de V. S. l. in ambiguis.* 96. *de R. J. l. non dubium.* 5. *& l. f. C. de ll. l. cum virum.* 16. *C. de fideicom. cap. intelligentia.* 6. *& cap. propterea.* 8. *de V. S. &c.*

(yy) gl. *&* Dd. *atque comment. ad ll. citatas. adde* Bald. *ad l.* 3. *pr. C. de lib. præter.* Tiraquell. *ad l. ſi umquam.* 8. *C. de revoc. donat. in verbo libertis n.* 47. *& ſeqq. & tract. cauſſ. ceſſante, &c. n.* 138. *& ſeqq.* Rogerius *de interpr. jur. cap.* 1. *n.* 19.

eſt aliquid, illud melius erit eo, qvod propter illud exiſtit. Jam vero oratio eſt indicandæ mentis cauſſa, ceu dictum ab initio hujus capitis habemus: unde ea ſane verbis ſummo jure præfe-
retur. Addo & ſcripturæ præferendam mentem Reg. 324.
legis: eodem argumento, & majori. Qvoniam hæc oratio-ni deſignandæ ſaltim adhibetur. Quapropter, ubi de mente legis conſtat, ibi neque de verbis, neque de ſcriptura ſoliciti ſimus neceſſe eſt. (zz) Et hæc de interpretatione ſcripti juris nunc dicta ſufficiant.

Caput X.

De Antinomiis, iisque tam veris, quam falsis, ſive apparentibus, deque evitatione harum, & conciliatione illarum: & quid circa irreconciliabiles ſit Juris-Conſulto agendum.

SUMMARIA.

1. *Continuatio, deque Antinomia, quid ſit, & quæ circa eam agenda in genere, quodque aliæ ſint veræ, aliæ falſæ.*

Simon de Pretis *de interpret. ultim. volunt. lib. 2. dubit. 2. ſolut. 1. n. 280.* Phederic. *de interpr. part. 1. pr. n. 3. & part. 3. n. 3.* Coraſ. *de jur. Civ. in art. redig. p. 4. cap. 1.* Gammar. *de extenſ. n. 13. & n. 75. & de modo diſput. & ratioc. in jure lib. 1. c. 13. n. 1. Socin. reg. 441.* Alciat. *de V. S. lib. 3. n. 1.* Mantica *de conj. ultim. volunt. lib. 3. tit. 3. n. 9.* Cantiuncula *dialect. legal. cap. 13. & c. 64. n. 1. Alfonſ.* Modit. *in §. lex eſt. Inſtit. de J. Nat. G. & Civ. dub. 75. n. 1. & 92. n. 1.* Donell. 1. *comm.* 13. *Colleg.* Argentoratenſe *dd. tit. de ll. theſ.* 12. & Barboſa *loc. comm. M. 26. V. 4. & 5. & 96. Card.* Tuſch. *concl. 199. M. & 93. V. ubi plures citantur.*

(zz) Bald. & Dd. *ad l. quoniam indignum C. de teſtam. Jaſon. in l. conventiones pr. ff. de V. O. Imola in c. f. pr. de officio delegati.*

2. *De Veris Antinomiis, & quomodo reconcilientur earum aliquæ, quodque circa irreconciliabiles sit JCti officium.*

3. *Quæ sint Antinomiæ falsæ, seu apparentes, & quod earum evitatio JCto incumbat, quibusque modis fiat.*

4. *Generalia duo. Nempe JCtum nonnisi tota lege perspecta interpretationem aggredi debere: & posse ex lege alia aliam interpretari.*

I.

Continuatio, deque Antinomia quid sit, & quæ circa eam agenda in genere, quodque aliæ sint veræ aliæ falsæ.

Finiremus jam de Interpretatione legum, ejusque speciebus contemplationem omnem, & ad JCti nostri habitum, ejusque perfectionem nos converteremus: nisi oblata aliquoties ante de contrarietatibus legum, seu Antinomiis dicendi occasio, hunc in locum foret rejecta, adeoque nunc apprahenda. Erit autem ista consideratio, ultra quam videtur, sine magna difficultate. Postquam omnia nempe huc pertinentia jam habemus demonstrata. Id quod consulto fecimus: ut appareat tantis litibus, imo librorum tot ac tantis molibus agitatæ summopere, hujus materiæ facilitas, intelligentibus vera interpretandi fundamenta. Antinomia itaq; est Oppositio, sive contrarietas, quæ facit leges duas, sive partes binas unius legis, vel duarum, una stare, aut veras esse non posse. Quoties itaque duæ partes in eadem lege sibi contrariantur, seu quoties leges duæ vel plures sibi invicem contrariæ sunt, vel contradictoriæ, vel partes habent partibus legum aliarum contrarias, aut contradictorias, toties Antinomia aderit manifesta. Evidens est hujus vitii perniciosa violentia. Legem enim facit nullam. Dum namque simul stare nequeunt, minimum alterutra pereat necesse est. Ita & partium una necesse est intereat, ejusmodi pugna oborta. Non solum itaque, ceu ante docuimus, nunquam imbecillitas ista, sine Antinomia præsumetur in legibus: sed & nisu omni, & quod ajunt manibus pedibusque allaborandum erit JCto,

C. 9. §. 5. & 6.

JCto; ut quacunque fieri poteſt interpretatione, depræhenſam in legibus contrarietatem tollat. Reg. 325. Cæteroqui enim lex una per alteram ſubverteretur, & periret. (a) Sunt autem Antinomiarum aliæ veræ, aliæ falſæ. (α) De utrisque erit ineunda tractatio: ut appareat, utrasq; ſuperioribus obſervatis præceptis abſolvi.

II. Veræ ſunt eæ, quas antea definitas dedimus, & contingunt ſi & ſcripturæ, & orationis proprietate, & uſu pro virili ab Interprete, ſive JCto obſervatis, nihilominus leges inter ſe pugnent. Heic ergo quidnam ſupererit auxilii? **Optimum certe fuerit utramvis ſervare: (b) ſin minus alterutram certe.** Utraque ſervatur per reconciliationem, id eſt ſublationem contrarietatum, & aſſignationem ſenſuum talium, qui invicem non repugnant ſive ſuppletoria, ſive correctoria ſit ad hoc ipſum aliqua ſpecie interpretandi, ex ſupra dictis, utendum. Cumque dixerimus jam ſuperiore capite, in concurſu eſſentialium vitiorum cum defectibus orationis, vel ſcripturæ, pro hiſce quæ minorem imprudentiam legislatoris arguunt præſumi, & potius pro vitio Orationis, quam ſcripturæ, ex Reg. 322. ad perfectivam explicationem externam pertinente, **primo omnium Oratio legis conſideranda erit, an per improprietatem ejus aliquam veroſimilem dirimi queat hæc legum pugna.**

De Veris Antinomiis, & quomodo reconciliētur earum aliquæ, quodque circa irreconciliabiles ſit JCti officium.

Reg. 326.

Reg. 327.

(a) *vide præter adductos cap. præced. litt. y.* Phederic. *de intervr. ll. part. 2. m. c. 76. Card.* Tuſch. *concl.* 108. *C.* Farinac. *prax. crimin. part. 4. conſ. 95. n. 7. & alios citatos a* Barboſa *loc. comm. c. 68. & Manincor. Max. Jur. C. 57. &c.*

(α) *v.* Vultej. *princip. Jur. lib. 2. p. 58.*

(b) *v. Franc.* Connan. *in comm. apud* Forſter. *de interpr. jur. lib. 2. c. ult. reg. 25. n. 2.*

gna. Et quo minor ea improprietas poterit sufficere, eo erit minor statuenda. Unde si per vocem impropriam pugna legum queat sedari, non erit tota oratio talis fingenda. Foret enim id contra Reg. 4. Consideranda dein & scriptura, an ejus vitio leviori posito, possit idem fieri: sive an minorem imprudentiam illius quam orationis necessaria improprietas arguat. Quod si per utramque æque id confici possit, videsis Reg. 320. & proxime eam sequentes, quas hic repetere nolumus, etsi plane huc faciant. Quoties ergo per scripturæ vitium verosimile tolli potest antinomia, commodiore orationis expositione non se offerente, illud erit admittendum: sive in omissione, sive abundantia, sive transpositione aut immutatione id ipsum consistat. Quod si hac ratione utraque lex salvari per conciliationem nequeat; si verbi gratia aut improprietas nulla verbis accidat, neque scripturæ vitium verosimile occurrat, quo posito sensus alterutrius legis commodus oriatur: (Nam quod pene omisissemus, in utraque legum contrariarum, hæc emendatio tentanda, & verosimilior, ac facilior præferenda est.) Evanescente spe conservandi utramque legem, contenti simus oportet, si alterutram earum conservemus. Quamvis Doctores, legibus quibusdam, & nescio quibus ficulneis rationibus innixi neutram valere posse contendant. Qua de re in Appendice nonnulla per saturam addemus. Interim hujus asserti ratio clara est. Nam cum JCtus pro prudentia legislatoris debeat præsumere; majoris vero sit imprudentiæ, binas

Reg. 328. Reg. 329. Reg. 330. Reg. 331.

nas leges non valentes tulisse, quam unam: necesse erit JCto ex binis legibus contrariis, quoties potest alterutram salvare. Imo cum ejus sit officium, facere leges manere, ceu Regula prima docebat: necesse est eidem incumbat, ut unam potius, quam utrasque perire sinat. Verum utram perire, utram manere ex contrariis contradictoriisve jubebit. Sane per dicta dudum circa electitiam Interpretationem omnigenam, superius in suas species divisam, ubi utraque lex conservari nequit, JCtus eam manere dicet, quam voluit Legislator, (c) vel quam voluisse eum verosimile est. Idque exigente jam ita Reg. 14. Quo posito omnino, quemadmodum fieri diximus, ubi duplex est sensus legis unius, eodem modo & hic, ubi duæ sunt leges, erit operandum. Nempe per Reg 178. præferetur lex perfectior. (d) Adeoque secundum partes perfectionis itidem hic constituentur regulæ. Nempe ut præferatur lex consuetudinaria non consuetudinariæ, justa injustæ, rationabilis irrationabili: & ita porro repetitis Regulis sequentibus omnibus, præter eas, quæ de vitiis, totam legis essentiam tollentibus loqvuntur. Ea enim cum legem tollant, jam Antinomiam non relinqvunt. Et hac quidem ratione Perfectiva omnis generis primo erit adhibenda. Quod si harum differentiarum per Interpretationem perfectivam ullam, nec illius speciem Rationalem interpretationem nulla possit inveniri: caussalis erit applicanda interpretatio,

Reg. 332. Reg. 333. Reg. 334.

(c) *vid.* Donellum *apud* Hunn. *de auctor. & interpretat. jur. part.* 1. *cap.* 2. *quæst.* 2. Phederic. *de interpret. jur. p.* 1. *memb.* 1. *Petr.* Gilken. *Comm. in* 5. *Nicom.* Aristot. *cap.* 10. *n.* 15.

(d) Phederic. *de interpret. jur. part.* 2. *membr.* 2. *prolix.*

tatio, & secundum dicta superioris capitis §. 6. mens Legislatoris ex signis voluntatis inquirenda, & capienda argumenta, quæ alterutram legem ex repugnantibus maluisse legislatorem probent. Ita verbi gratia lex geminata, & sæpius repetita, vel clarius, & distinctius expressa, vel moribus condentis conveniens, præferetur. Siquidem hæc omnia præmeditationem, aut aliam voluntatis constantiam, & efficacius, firmiusque propositum arguant. Unde ista Romani Juris Interpretum quando scribunt: quod *Geminatio*, *adeoque magis etiam triplicatio*, imo *quadruplicatio*, &c. *longe enixiorem disponentis voluntatem ostendit*. l. Ballista. 32. ff. ad SCt. Trebell. Item *verba gemina, & sæpius repetita ampliant effectum*, ut aliquid operentur. *Jason* Vol. 3. cons. 6. columna 3. *Bart.* in l. cum scimus C. de agric. & censit. lib. XI. Rol. *a Valle* Vol. 4. cons. 44. n. 12. *Videnturque* illa *verba cum majori deliberatione prolata*. cap. Etsi Christus *x. de Jure Jur. gl.* fin. in cap. Si quis iratus 2. q. 3. Et demonstrant magis intentionem disponentis *Decius* cons. 504. col. ult. in principio *Cravetta* cons. 54. col. 2. Rol. *a Valle* l. c. & in *appendice* nostr. Sect. 3. §. 23. v. plura de geminatis & triplicatis verbis congesta *Zepfero* Cynosuræ legalis c. 17. Huc quoque pertinet, quando *Rubrum nigro* contradicenti *posthabendum* docent JCti, approbante *Claubergio* part. 3. c. X. §. 64 & quæ multa specialia similem in modum multiplicari possent, præcepta negligenti *Flacci* monitum. *Quicquid præcipias brevis esto*. Patet autem jam rarissimas fore hasce leges, quarum neutra alteri præstet; & ceu olim jam diximus, plerumque fore, ut neutra ad finem civitatis magnopere conducat, cum alias non posset non hujus respectu aliqua apparere diversitas. Et hoc ipsum multo magis dicendum erit, si ne ex caussali quidem interpretatione, utra lex prævaleat, decidi possit. Quod ubi continget, in hujusmodi penitus irreconciliabili Antinomia JCtus excusatur: quippe cui me-

media nulla ſuperſunt alia, mentem Legislatoris indagandi. Adeoque altera alteram impediente, **neutra contrariarum legum valebit,** & pro non ſcriptis ambæ habebuntur: cum dirigendi vim, qua ſola fere leges metimur, nullam obtineant. Reg. 335.

Quæ ſint Antinomiæ falſæ, ſeu apparentes, & quod earum evitatio JCto incumbat, quibusque modis fiat.

III. Hucusque de veris **Antinomiis. Falſæ ſeu apparentes antinomiæ ſunt** non entia, non antinomiæ, antinomiæ improprie ita & per vitium dictæ: & ſi definire placet, ſunt **imaginariæ contrarietates legum,** ſeu **imagines in phantaſia genitæ, contrarietatum inter leges revera non exiſtentium.** Fit autem id, propter duas cauſſas præcipue: propter ſimilitudinem videlicet, & imperitiam eorum qui leges tractant. Unde quo ea eſt major in interprete, eo plures illi videntur in jure Antinomiæ. Dum enim aliquid videt diverſitatis, putat adeſſe contrarietatem, & repugnantiam. Cum itaque hic videamus eſſe aliquam culpam JCti: colligimus, **boni JCti eſſe Antinomias falſas nullas recipere.** Eſt enim hoc ſummam juri imbecillitatem affingere. Quod ſi noſtri JCti, quorum curis jus Romanum hactenus tractatum eſt, id præſtitiſſent, non haberemus tantas querelas, clamitantium plures antinomias ab interpretibus, quam legibus proceſſiſſe. Imo non haberemus tot Reſolutionum & Conciliationum inania exempla: quorum, vel maxime ridicula ſaltim huc adferre, & odium & tædium pareret. Cum itaque triplici ratione, ob imperitiam & rerum ſimilitudinem Interpreti legum contingat decipi: nempe in ſcripturæ, Orationis, & ipſius legis agnoſcenda natura; de his tribus erit ordine videndum. Quod ad ſcripturam, falſæ Antinomiæ auctor erit JCtus, ſi vel non intelligens Reg. 336.

scripturam, legat aliter atque scriptum est (v. gr. abbreviaturam, uti loquuntur, perperam intelligendo, &c.) vel ob negligentiam, festinationem, aliamve incuriam animi, non satis considerate legat, adeoque in errorem incidat. Huic ergo occurretur defectui, si JCtus intelligat exactissime scripturæ rationem, & si legat attentissime. (e) adhibita ubi opus est Critica interpretatione. Circa Orationem idem iterum continget, de negligentia, ut & de ignorantia, quæ quomodo locum habeat, apparet. Si v. gr. voces ferme idem significantes confundat, vel idem notantes diversas putet, contrarias item constructiones non intelligat, nec orationes caussales, copulatas, relativas, norit exponere, & quæ plura ex dictis c. 8. patent. Hoc ergo ut iterum præcaveatur, JCti erit perfecte nosse orationum significatus, & eas considerare quam studiosissime.

Reg. 337. Reg. 338.

Reg. 339. Reg. 340.

Ex ipsa legum & antinomiæ natura dupliciter deceptio contingit. Nempe si vel legem imaginetur sibi utramvis, vel alterutram, ubi non est: vel contrarietatem, ubi non est inter easdem. Utrumque accidit, si ubi aliquid ex natura adest, totam essentiam adesse credimus. Ut sic ubi adsint partes aliquæ, vel requisita legis, credas continuo esse legem. Erratur itaque tot modis, quot requisita sunt legis. Unde graviter errat, ponens antinomiam, ubi alterutra, aut utraque lex non est propositio; vel est propositio, sed particularis, vel contingens utrinqve, vel raro; vel ab eo qui legum ferendarum jus non habebat, profecta, V. Gr. a glossatore, vel interprete; vel si destituta sit omni consensu, puta correcta, abrogata, vel non perlata; vel si non dirigat v. gr. narret, suadeat, consulat, roget, &c. vel sit impossibilis, & ita porro. Hoc ut evitetur, JCti erit accurate, legem utramque consi-

Reg. 341.

(e) v. Forster, *de interpret. jur. lib. 2. cap. 1. in voce perlego.*

considerare, & si essentiale requisitum alterutri deesse senserit, Antinomiam non statuere: sed eam quæ hoc laborat, plane ceu ad jus non pertinentem negligere. Idem in contrarietatis natura faciendum. Nam & ibi, requisito essentiali aliquo absente, nulla statuenda est oppositio. V. gr. si vel non sint ejusdem juris leges, sed hoc aliam, illud aliam rursus societatem regat. Ita inter jus Canonicum & Civile non est proprie dicta Antinomia. Item inter generalem legem, & ejus exceptionem diversitas quidem est: nulla vero contrarietas. Ambæ enim stare simul possunt. Ita ut juxta Papiniani (f) effatum *in toto jure generi per speciem derogetur, & illud potissimum habeatur, quod ad speciem directum est.* Quæ verba duplicem quidem sensum, sed utrumque æque congruum, & veritati, & a nobis hactenus propositis admittunt. Nam & ita verba capi possunt, ut dicant exceptionem regulæ eatenus, quatenus sese extendit derogare: &, si in eodem casu diversa inveniantur statuta, prævalere illud, quod specialius, id est, accuratius cum omnibus suis partibus, & circumstantiis definitum est. Priori sensu ad hunc locum, posteriori ad regulam nostram 334. dicta spectabunt. Sic si in materiis, aut casibus diversis diversa decidantur, vel si diverso respectu, aut diversis circumstantiis: & quæ plures differentiæ sunt, quibus contraria a non contrariis distinguuntur, ex definitione eorundem petendæ. Observandum quoq; omni-

Reg. 341.

(f) *l. in toto. 80. ff. de R.I. l. jus singulare. 16. ff. de ll. l. servis urbanis. 99. §. f. de legat. 3. l. sanctio legum. 41. de pœnis. cap. generi 34. de R.I. in 6. adde* Dd. *ad hos textus. &* Bart. *in l. re conjuncti dubitat. 3. ff. de legat. 3. & in l. quæsitum §. fin. ff. de fund. instruct. leg.* Giphan. *de R.I. lib. 1. c. 11.* Dec. *cons. 664 num. 8. & seqq.* Menoch. *cons. 141. n. 7. & 26. & cons. 328. n. 23. & cons. 738. n. 4. Manincor. max. jur. G. 17. & qui magno numero præterea adducuntur a* Barb. *loc. comm. 9. G. & a Card.* Tusc. *Pract. concl. G. 36.*

no eſt, Antinomiarum, ſive oppoſitionum inter leges, duo conſtitui poſſe genera, quorum prioris quæ ſunt, & hactenus a nobis fuere conſideratæ, Antinomias proprie dictas, ſive eſſentiales dicemus, utpote quæ ipſi legum eſſentiæ inſunt, vel ineſſe videntur, poſterioris generis Antinomiæ Accidentales audient, cum videlicet non ipſæ leges ex ſuapte natura invicem perpetuo pugnant, ſed in aliquo caſu, ex concurſu circumſtantiarum, vel actionum contrariarum in eodem ſubjecto. V. gr. lex eſt. Mœnia urbis tranſcendens capite plectatur. Alia eſt. Urbem obſidione liberans publice alatur, & honoretur. Quidam noctu muros tranſcendens, eruptione hoſtem ab obſidione abegit. Quæritur utra lex valeat? Ejuſmodi itaque in caſibus, cum tota quæſtio, vel eo recidat, ut vel utra lex ceſſare, vel utra prævalere debeat, ambigatur, in propatulo eſt, vel ad Reſtrictivam, vel ad Rationalem interpretationem nos reverti.

Generalia duo. Nempe JCtum nonniſi tota lege perſpecta interpretationem aggredi debere: & poſſe ex lege alia aliam interpretari. Reg. 343.

IV. Ex hiſce colligere licet, quam nulla nova interpretandi ratio circa Antinomias verſetur, præter ante recenſitas: & quam iis cognitis, in proclivi ſit antinomiarum, quouſque ea fieri poteſt, reſolutio. Nunc ex omnibus quæ hactenus de interpretationum variis ſpeciebus memoravimus, duo adhuc generalia interpretandi præcepta deducta ſubjiciemus memoratis *ſupra* cap. II. jam demum adjungenda. Primum, quod jam olim Celſo (g) agnitum eſt, ubi ait. *Incivile eſt, niſi tota lege perſpecta, una aliqua particula ejus propoſita, judicare, vel reſpondere.* Nempe (IIX.) eſt JCti legem, integre, cum omnibus ejus partibus habere cognitam, ante-

(g) *l. incivile eſt. 24. ff. de ll.*

antequam de ejus interpretatione quid statuat. Quippe poteſt, ut ex hactenus ipſe dictis liquet, in parte illa quam neglexerit, ratio legis vel cauſſa voluntatis legislatoriæ, vel ejus ſignum, vel denique orationis ſenſus delitere, quorum ſingulorum defectus, errores ſummos excitare vidimus. Eodem fundamento (IX) legem aliam ex alia interpretari JCtum poſſe imo debere (h) evincimus. Nempe ut in parte, ita multo magis in lege integra deliteſcere poterit interpretandi cauſſa, vel ratio, vel reliquorum ad interpretationem optime perficiendam neceſſariorum aliquod: quo ſpreto, poſtea errores evitare non ſit integrum. Reg. 344.

Caput XI.

De habitu proprio JCti, ſive de virtute animi propter quam Jurisconſultus quis dicitur, quænam ea ſit: deque ejus natura, & perfectione particulatim.

SUMMARIA.

1. *Continuatio. & ἀνακεφαλαίωσις enumeratarum Interpretandi ſpecierum, cum contemplatione, quænam earum ſint magis propriæ, & in quo omnes conveniant.*
2. *Habitum JCti eſſe habitum animi, eorumq; numerus ex Ariſtotele, & quod Intelligentia habitus JCti non ſit.*
3. *Quod idem non ſit ſcientia.*
4. *Nec Sapientia.*
5. *Nec Ars.*

6. Nec

(h) Vigel. *Method. J. Civ. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 6. *reg.* 5. & 6. Duar. *comm. dell. cap.* 10. *pag. m.* 7. 6. *circa f.* Donell. 1. *comm.* 15. *pag. m.* 44. &c.

6. *Nec Prudentia.*
7. *Nec γνώμη, nec Synesis cum γνώμη conjuncta.*
8. *Sed Synesis sola, & quid ea sit, quodque sit Legislatoriæ prudentiæ subordinata.*
9. *De Scientia perfecta præceptorum, quæ a JCto exigitur.*
10. *De Memoria seu peritia Legum perfectissima, deque artificiali, ei succenturiata.*
11. *De Habitu applicandi præcepta.*
Additio XVII. De *Prudentia Regulas* supra dictas, *& Species Interpretationum* Juri, ac legibus *applicandi.*
12. *Definitio Juris Consulti perfecti scientifica quæsita plenissima.*

I.

Continuatio, & ἀνακεφαλαίωσις enumeratarum Interpretandi specierum, cum contemplatione, quænam earum sint magis propriæ, & in quo omnes conveniant.

REvertimur nunc ad JCti naturam plene constituendam, postquam interpretationum genera omnia perlustravimus. Quo autem rectius, quisnam proprie sit ille habitus JCtum faciens, definiamus: colligendæ erunt species interpretationum hactenus inventæ, & quænam earum propriæ sint maxime JCto erit videndum, & quonam præterea in uno omnes conveniant, & JCto sint usurpandæ. Numerum ut colligamus: habuimus interpretationem Restrictivam *cap.* 4. Extensivam, *cap.* 5. Methodicam, *cap.* 6. §. 4. Analyticam, & Heterogeneas etiam §. 7. Casualem quoque §. 9. & circa Jus scriptum *cap.* 9. §. 9. Criticamque multiplicem circa leges, circa Orationem, & circa scripturam versantes. Harum omnium eæ maxime erunt propriæ JCto, quæ soli illi, & omni potissimum competunt. Tales maxime sunt Mentalis Extensiva, & Restrictiva. Nam hæ omni legi, adeoque omni legum interpreti sunt necessariæ. Proxima ab his est *Mentalis explicativa interna,* ejusque species Rationalis, quæ tamen circa leges scriptas versanti solummodo adhibetur, cum in Consuetudinem non cadat. Quoniam tamen plerumque leges in scripturam rediguntur, plerumque & ea JCto conveniet. Soli interim JCto competit. Ita & circa leges Caussalis etsi hæc rarior adhuc sit illa. Casualis quoque huc pertinebit eodem fundamento. Reliquæ circa scriptam legem occupatæ, vel Critico,

co, vel Grammatico, vel utrique sunt ex parte communes. Methodica vero, & Analytica demonstrantibus, vel demonstrationes resolventibus. Heterogeniæ ab ejus disciplinæ ex qua promanant Doctoribus participantur. In eo tamen, & hæ sunt propriæ JCto, quod quatenus Legislator in legibus suis adhibuit alienas ab ipsis scientias, sive facultates, vel earum partes, illas ipsas intelligere, ac dijudicare docent. Conveniunt ergo in hoc, quatenus JCto sunt propriæ omnes hæ interpretandi species, quod de prudentia legislatoria judicium formare docent.

II. Hanc operationem, sive hasce operationes animi esse, non corporis, puto probatione non indigere. Quo stante, per animi quoque virtutem sive habitum perficientur, per dicta ab initio. Animi ergo habitus qui sint, pernoscamus oportet. Sunt autem illi à Philosophorum scientissimo (a) jam olim enumerati. Nempe quod sint, Intelligentia, Scientia, Sapientia, Ars, Prudentia, eique succenturiati, sive subordinati σύνεσις & γνώμη, quibus Latinas voces respondentes satis non invenimus. Horum proinde habitum unus aliquis, accurate loquendo, constituet JCtum: nisi incerta, ceu Doctores (b) assolent, vocum ambiguitate ludentes, modo hunc, modo illum eidem adscribere malumus, nunc artem, nunc scientiam, nunc prudentiam Juris dicendo. Id quod etsi magnis JCtis familiare prorsus novimus, nobis tamen, proprietatem, & accurationem sectari hoc loco decretum est. Quare ordine memoratorum habituum singulos examinabimus: quantum sufficiet ad demonstrandum, an JCtum nec ne faciant. Et principio quidem ab Intelligentia JCtus nemo nuncupabitur. Hæc enim habitus est primorum principiorum, quæ demonstrari nequeunt, sed demonstrationibus, adeoque scientiis condendis inserviunt. Jam vero principia scientiarum esse leges, nemo quidem

Habitum JCti esse habitum animi, eorumq; numerus ex Aristotele, & quod Intelligentia habitus JCti non sit. C.1.§.ult.

(a) *lib.6. Nicomach. cap.3. & seq.*

(b) *vid.* Harprecht. *ad §. Jurisprud. 1. Instit. de I. & I. n. 6. & 7.* Castaneum *Catal. glor. mundi. p. 10. consid. 17. & seq. Ang.* Mattheac. *de via & rat. jur. lib. 1. c. 8. n. 36.*

dem per ſomnium, credo, dixerit. Unde nec de Intelligentia ulterior hic ineunda conſideratio.

Quod idem non ſit ſcientia.

III. Scientiam eſſe habitum eum, qui facit JCtum, fortaſſis rectius defenderetur. Nam & Juris ſcientes, & juris ſcientia, trita ſunt uſu etiam peritiſſimorum vocabula. Præterea rem per cauſſas noſcere eſt ſcire: Legum vero omnium cauſſæ noſcendæ ſunt Juriſconſulto, ex reg. 17. Unde non paucos hanc ſententiam foviſſe, immo mordicus defendiſſe videmus. (c) Verum neque hic quod quærimus inveniemus, diligentius rem omnem expendentes. Quamvis enim cauſſæ JCto ſunt legum quærendæ, non tamen illæ ſunt ſcientificæ, ſed cauſſæ voluntatis, quibus legislator motus eſt, ad leges tales, vel tales formandas. Unde cum poſitivæ ſint leges, quas tractare JCtum diximus: patet jam per initialia noſtri tractatus verba, ſcientiam hic nullam dari exquiſitam poſſe. Quod ergo ſcientia non faciat JCtum, (d) conſtat ex hiſce, quomodo vero nec ſine ſcientia eſſe poſſit JCtus, & qualis ea ſit, mox exponetur.

Nec Sapientia.

IV. Sapientiam non eſſe habitum proprium JCti, facile ex allatis jam patet. Eſt enim ea ex ſcientia, & intelligentia compoſita, verſaturque circa rerum abſtruſiſſimarum, difficillimarum, & diviniſſimarum, aut non multum abinde recedentium exactiſſimam contemplationem. Jam vero nec ſcientiam, nec intel-

(c) *Petr. Andrea* Gammarus *de excellentia ſcientiæ legalis, & de extenſione in principio.* Coraſ. *de juris arte lib.* 1. *c.* 14. Chaſſaneus *catal. glor. mundi. part.* 10. *conſid.* 18. Gilkenius *tractatu peculiari, Jurisprudentiam eſſe ſcientiam. Ludovicus* Pelleus *Carnutenſis in Confutatione eorum, qui jus civile artis, ſeu ſcientiæ nomine non eſſe donandum cenſuere, &c.*

(d) *Ita una arbitrantur, Ang.* Mattheac. *de via & rat. jur. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 30. *& ſeq.* Faber. *Jurisprud. Papinian. princip.* 2. *Illat.* 5. *& apud* Harprecht. *comm. Inſtit. de I. & I. §.* 1. *n.* 7. *Chriſtoph.* Ehem. *princip. Jur. lib.* 1. *c.* 11. Bocer. *claſſ.* 1. *diſp.* 1. *th.* 9. Beſold. *comm. ad l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 1. *ff. num.* 4. *& ad l.* 10. *n.* 17. Arniſæ. *Politicor. cap.* 13. *Paul.* Buſius, *lib.* 2. *ſubtilitat. c.* 8. Volcmann. Scribonius *introduct. ad Jurispr. th.* 3. Hunn. *diſp.* 1. *th.* 10. *& variar. reſol. J. Civ. lib.* 1. *tract.* 1. *q.* 13. *& ſeqq. &* Bachov. *ad Inſt. de I. & I. §.* 1. *n.* 4. *& de action. diſp.* 1. *th.* 5.

intelligentiam conſtituere JCtum, modo decidimus. Neque abſtruſas adeo res eſſe leges, neque ad divina earum interpretationem per ſe accedere liquet. Licet per accidens idem, ut in aliis heterogeniis intermixtis, atque hinc ad ea extendendis interpretationibus utique fieri poſſit. Quo ſenſu & *rerum divinarum atque humanarum notitia* Romanis JCtis *jurisprudentia* definitur. Interim proprie ad Theologiam divini Juris interpretatio pertinebit, De cujus ab humani juris interprete diſcrimine *cap. ultimo* agetur. Quare & infrequens eſt opinio juris ſapientiam ſtatuentium, (e) & cum vocis improprietate, ejusque incuria maxima conjuncta.

V. De arte magis vero videri poterat conſentaneum, quod ea ſit per quam operetur JCtus. Nam & ars boni & æqui recepta ſunt loquendi genera, etiam optimi ævi ſcriptoribus, (f) & exquiſitis dicendi magiſtris, imo juris auctoribus primariis. Quod ſi tamen naturam artis penitius introſpicientes contemplemur, aliud fateamur neceſſe eſt. Eſt enim ejus proprium recta cum ratione aliquid efficere, id eſt novam ſpeciem, ſeu nova individua, quæ ante non exiſtebant, producere. Ita ſutor calceamenta, ſartor veſtes, Poëta carmina, quæ nondum antea extabant, oriri faciunt. Interpres vero, neque leges novas, neque legum ſenſus recentes fabricatur: ſed a legislatore jam dudum ſancitas conſtitutiones imbecillitatibus ſuis liberat, dicitque quod dixit, vel ſenſit, vel dicere voluit, vel ſcribere Legislator. Nec Ars.

VI. Cum itaqve interpretandi habitus ſit quidem cum recta ratione conjunctus, non tamen effectivus, erit fortaſſis prudentia. (g) Differt enim hæc in eo ab arte, quod operativa quidem ſit, non tamen effectum producat. Verum neque hæc quadrare videtur. Eſt enim prudentia habitus, idoneos nos faciens, ad Nec Prudentia.

(e) *vid.* Caſſaneum *Catal. glor. mundi part.* 10. *conſiderat.* 17. *& eum refutantem Angel.* Mattheac. *de via & rat. Juris lib.* 1. *c.* 8. *n.* 4.

(f) *Ulpian. pr. ff. de I. & I.*

(g) *Angel.* Mattheac. *l. c. n.* 40. Unverfährt. *pæd. Jprud. c.* 4. §. 17. *p.* 79.

ad eligenda media commoda, per actiones ad finem aliquem perveniendi. Id vero Legislator quidem facit, cujus est per leges actiones civium ad bonum publicum dirigere. JCtus autem id præstare nequit: sed saltim voluntatem Legislatoris de mediis electis non satis declaratam explanat. Sicut ergo leges conditurus, fine seu bono societatis communi proposito, consultat, & deliberat de mediis per quæ actiones omnium ad eum finem quam commodissime dirigantur: ita interpretationem legum facturus, media a legislatore adhibita lustrans, finem inde colligit, ad quem colliment: unde valorem suum postea accipientes, vel cessant eo cessante, vel protenduntur eo durante.

Nec γνώμη, nec Synesis cum γνώμη conjuncta.

VII. Affinis proinde hic est habitus prudentiæ, non ipsa prudentia. Erit ergo ex subordinatis habitibus, vel γνώμη, vel σύνεσις, vel utrumque. Neutiquam vero est γνώμη, hæc enim est juxta Philosophum: (h) ἡ τοῦ ἐπιεικοῦς κρίσις ὀρθή (*de æquo rectum judicium*) ubi male interpretes vertunt: *judicium viri æqui, & boni, vel ex æquo & bono.* Hoc enim jam est æqui, & συνετοῦ, quod & observavit scientissimus *Feldenus.* (i) Quare cum ipse JCtus auctor sit æquitatis, & æqvum & bonum quid sit definiat, non erit ejus habitus in eo positus, ut judicet de æqvitate, id quod est aliorum. Audiamus *Feldenum* loqventem. *Unde dicimus*, inqvit, *habitum administratoris legum, respectu singularium esse prudentiam, respectu legum* σύνεσιν, *adeoque ex* συνέσει *prudentiam. Quare, & iterum* parentes *de ipsius prudentia judicium habent, quod ipse de Legislatoris. Et quando æquitatem introduxit judex, in ultro parentibus est* γνώμη, *judicium rectum de æquo a judice introducto. Poterit hoc quod dico, concipi ex multis magistratibus subalternatis, quorum singuli respectu superiorum habent* σύνεσιν, *ratione inferiorum prudentiam. Quod in ducibus bellicis manifestissimum est.* Hæc ille, quibus verius dici nil poterat. Neque ergo ex εὐσυνεσία, & γνώμη compositus erit habitus JCti, id quod præter Johannem *Eichelium* (k) nemo, credo,

(h) 6. *Nicomach.* 11. & 5. *Eudem.* 11.
(i) *in annotat. ad Hugon.* Grot. *de jure belli & pacis lib.* 2. *c.* 17. §. 1.
(k) *De interpretat. legum. part.* 1. *cap.* 10. §. 2.

credo, hactenus dixit. Is autem postquam σύνεσιν JCti esse propriam docuit, ita pergit. *Alter ille habitus, quem Aristoteles γνώμην appellat, abesse non potest. Ejus enim beneficio id quod æqvum, & bonum est indagamus. Nam, inquit Aristoteles, quæ vocatur sententia quam bene scientes, & habere sententiam, γνώμην quosdam dicimus, ob æqui & boni viri judicium rectum. Cui rei id argumentum est, quod æqvum & bonum virum maxime esse ad consentiendum, hoc est ignoscendum idoneum diximus: æquitatem vero esse habere consensionem, & veniam circa singula. Consensio autem sententia est judicativa recta æqui & boni viri: ast recta ea est, quæ est veracis.* Hucusque Aristoteles, ex his porro Eichelius, *Constat itaque nostrum habitum interpretandi leges, esse quasi compositum ex perspicacia, & sententia, seu γνώμη, quemadmodum sapientiam ex scientia, & intellectu conflatam esse notum est.* A quo dissentire adhuc videtur, in Tractatu suo nuper edito Præceptor ipsius Inclytus *Feldenus*, quando sub finem ejusdem §. penultima solam σύνεσιν tribuit JCto. Nempe tanta hujus est loci Aristotelici obscuritas, atque interpretum taciturnitas, aut parcitas, ut ferme decisione præstet abstinere, quam fluctuante animo illam facere. Nam ut verum fatear, *triplicem textus* ille *Aristotelicus* in Nicomachiis, & Eudemiis totidem verbis repetitus, *sensum admittit:* quando γνώμη definitur κριτικὴ τοῦ ἐπιεικοῦς ὀρθή. *Judicatrix æqui recta.* Nempe ut æqui judicii acceptio, & censura recta, vel æqui hominis censentis, aut censendi intelligatur. Sive ut clarius dicam, Gnome dicitur, judicium rectum de Synesi alienæ æquitatis, aut in facto, aut in persona spectatæ, vel applicatio synesios suæ ad æquitatem constituendam primitus. Quid horum probaverit Eustrathius, aut Andronicus Rhodius, nedum quisque cæterorum in hunc textum Aristotelis interpretum, vix pro certo dixerim. Feldenus sane videtur priorem amplexus sententiam. Eichelius posteriorem. Cum hac utiq;, at cum illa veritas minus erit sibi constitutura. Quamvis enim JCtũ æqui, & boni ex legibus producendi peritum, necesse est judicem etiam de aliorum consimilibus operationibus maxime esse

 ido-

idoneum; non tamen inde sequitur γνώμην constituere ejus naturam, seu habitum: non secus atque alios si intuemur artifices, quorum virtus in eo, ut recte artem exerceant ponitur, de aliorum operibus optime judicantes: ex eo judicandi illam facultatem ad artem ipsorum, cujus est consectarium, constituendam concurrere dicemus. Sed hanc quidem de vocis sensu Aristotelico litem nostram facere vix attinet. Neque enim nobis illa est, quæ Aristoteli, circa vocis hujus usum necessitas, suo tempore, incubuisse docetur, a doctissimo Schradero, in Rhet. Aristot. l. 1. c. 15. p. 4. Quando nempe illam Jurejurando sanctissimo judices promittere constringebantur. Perinde nobis sit Synesin una cum applicatione ad æquitatem acceptam, adeoque sensu concordante cum Eichelio accepisse, licet cum Feldeno solam synesin JCto tribuamus: vel Synesin & Gnomen, JCto tribuisse sensu Eicheliano, non Feldeniano acceptam.

Sed Synesis sola, & quid ea sit, quodque sit Legislatoriæ prudentiæ subordinata.

VIII. Relinquitur ergo tandem certum quod sit συνετὸς JCtus, & habitus ejus σύνεσις, seu εὐσυνεσία: qui apud latinos nomen non invenit hactenus satis accommodatum. Uti & ipse JCti habitus nomen nondum etiam congruum accepit, quoniam a jurisprudentia ejusque affinibus habitibus parum fuit discriminatus. Est autem εὐσυνεσία habitus, per quem de iis mediis, quæ consultando per prudentiam elegit aliquis, recte judicamus. Ἡ μὲν γὰρ φρόνησις ἐπιτακτική ἐστι, inquit Philosophus, (l) ἡ δὲ ξύνεσις κριτικὴ μόνον. (*Prudentia quidem ordinatrix est, synesis vero judicatrix solummodo.*) Sicut ergo media recte eligere, & adhibere, est prudentis: ita de iis electis ab alio judicare, est ejus qui synesin habet. Quot ergo sunt species a materia desumptæ prudentiæ, tot etiam syneseos. Adeoque ut Prudentia, ita & synesis dabitur alia Politica, alia Oeconomica, alia legumlatoria, alia judicatrix, alia consultatrix. Erit ergo hæc quidem σύνεσις legumlatoria, seu prudentiæ legislatoriæ subordinata. Nam de iis quæ per legislatoriam prudentiam sunt ordinatæ leges, judicat JCtus. Neque est quod prudentiam, ad σύνεσιν legislatoriam adjunctam hic suspicemur, ex eo, quod

(l) 6. *Nicomach.* 11. & 5. *Eudem.* 10.

quod ad casus applicare leges JCtum vidimus, quos examinare, & circumstantias indagare, quibusque mediis verum ubique elici debeat, quousque ad judicandum pertinet, judicantis, adeoque judiciariæ prudentiæ est. Nam casus illos dari debere JCto, jam tum olim, ubi hac de re agebamus, indicavimus: ut ita per accidens saltim interdum ad eum, & non per se hæc deveniat consideratio. Sed de perfectione quoque hujus synefeos pauca erunt addenda. Colligetur ea ex prudentiæ perfectione. Quemadmodum ergo prudens Legislator non est, qui sola præcepta leges ferendi habet, & ad quod bonum sint quæque actiones ducendæ, ex iis cognovit: sed præterea requiritur, ut exquisitam singularium & circumstantiarum habeat notitiam, ne qua adsit, quæ præceptum alioqui generale, & utplurimum applicandum, prohibeat (nam & hæc præcepta sunt plerumque contingentia, non necessaria,) ac tandem exigitur, ut sæpissime præcepta illa media adhibendo, & circumstantias indagando, jam habitum sibi comparaverit: eodem plane modo & συνετὸς perfecte, adeoque perfectus JCtus noster erit, tum demum, si indagandi legum caussas & mentem, sive de legibus latis recte judicandi præcepta scientifica, (qualia nos summatim hoc tractatu exponere studuimus, & siquidem recte sentimus, exposita dedimus) compræhenderit, leges deinde omnes, earumque partes singulas, & circumstantias recte cognoverit, ac tandem applicare hæc præcepta iis eousque laboraverit, donec habitum, id est summam ejus operationis perfectionem sibi acquisiverit. Et hic adeo erit quæsitus ille perfectus JCtus.

cap.6. §.9.

§. IX. Quo tamen hæc fiat evidentior perfectio, *de singulis ejus partibus separatim* adhuc aliqua afferemus. Sunt autem eæ *tres*. Scientia præceptorum, notitia sive memoria legum, & applicatio præceptorum ad ipsas leges. *Scientia* illa tum erit *perfecta*, si ex caussis, & quod eæ sint caussæ per illam cognoscatur. Errabunt ergo illi quam gravissime, qui tum se scientiam horum præceptorum habere credent, si memoriæ ea mandaverint.

De Scientia perfecta præceptorum, quæ a JCto exigitur.

rint. Id enim vel psittacus faciet, certe quivis puer, faciliusque fortassis quam Empedoclis versus. Illi ergo dicunt quidem quæ dixit sciens, at neutiquam sciunt. Debet enim qui scire se vult profiteri, etsi ipse scientiam non invenit, vel ordinavit, tamen de arte demonstrandi tantum intelligere, ut de principiis scientiæ, & potissimum de definitionibus, earumque partibus, ac inde orientibus divisionibus, ac demonstrationibus judicare possit: debet præterea examen horum instituere, & lapsum præceptorem nullibi offendens, tum demum consentire, & ita scire dicetur. Quod vero nonnullos absque accurata adeo scientia nihilominus crebro usu, & exercitatione diuturna circa leges versantes, interpretari satis congrue, & in paucissimis aberrare videmus, id exinde potissimum contingit, quod accedens ad notitiam multorum mediorum, cum suis quo destinari solent finibus, naturali ingenii perspicacia, vicem scientiæ aliquo modo supplet. Quam vero nondum hæc sufficiat, & mirum in modum certitudine sit scientia inferior, inde patet, quod summi Doctores scientia destituti, non saltim alii aliis invicem, sed sibi ipsis sæpissime contradicere diversis in locis animadvertuntur: quorum numerum non exiguum huc apponeremus, nisi alii loco hanc congeriem reservaremus. Nunc quæ vir Clarissimus Joachimus *Hopperus* (m) de hoc hominum genere eleganter scripta reliquit, non possum non huc transferre. Ea itaque sunt quæ seqvuntur. *Siquid subinde veræ scientiæ hoc genus homines habere videntur, ea non ratione & arte constat, sed bonitate naturæ, ut Plato ait, & multarum rerum memoria, cum longo usu, & experientia conjuncta, quæ sæpe similitudinem aliquam ac faciem gerit sapientiæ, cum non sit. Nam quemadmodum qui in sole ambulant, licet aliud agant, tamen colorantur: ita qui in continenti rerum usu versantur, aliquid subinde scientiæ colligere videntur, licet eam revera ne prioribus quidem labiis attigerint, verumque JCtum ne pictum quidem, ut dicitur, viderint.* Et paulo deinceps de iisdem ita pergit. *Cum legum duplex sit tractatio,*

(m) *Seduard. seu de vero JCto lib. 4. tit. 7.*

tio, una vera, quæ certa ratione, ac intelligentia constat, (id est præceptis scientificis,) *& altera communis, quæ opinione fertur, vaga & incerta, prior ad veram Jurisprudentiam, posterior ad hanc vulgarem pertinet. Et quidem cum prima brevis sit, & semper sibi consentiens, quoniam certis finibus circumscripta, arteque tota tractata, ea tamquam mensura utitur, ad quam unamquamque rem propositam dimetitur: vulgaris contra, quia mensura caret, nec definitam habet regionem, cujus terminis septa teneatur, nec certum quid, quod sequatur, infinita est, & contentionibus plena, multisque difficultatibus obstricta, ut ex immensis scriptis eorum qui eam, sequuntur, & opinionum varietatibus, quibus summa dissensione certantes, tanquam fluctibus in vasto mari sursum ac deorsum jactantur videre licet. Qui quidem certis quibusdam distinctisque scientiis addicti, & consecrati, alii in aliorum auctoritate delitescentes, cum ipsi nihil clare videant, haud absimiles iis sunt, qui noctu aberrantes eo accurrunt, ubi plurimas voces aliorum æque atque ipsi aberrantium audiunt, vel qui cum ratione non possunt, clamore vincere student.* Hactenus ille, nos institutum perseqvamur, scientiaqve JCto necessaria considerata, legum notitiam intueamur.

X. De legum itaque cum circumstantiis adjacentibus notitia, quam singularium cognitioni Legislatori necessariæ æqvavimus, pauca annectemus, ex quibus qvousqve ejus se extendat perfectio, intelligatur. Qværi autem statim in principio hic poterit, *quonam respectu leges inter singularia referantur*, cum eas universales esse debere omnes, antea probaverimus. Respondemus, universales eas esse qvatenus toti subjecto prædicatum inest, adeoqve respectu τȣ̃ inesse terminorum. Interim in se consideratæ, & spectatæ integræ propositiones, sunt aliqva una, ac certa individua, neqve in species plures possunt dividi. Totus ergo hic in voce universalis est lusus, qvi jam antea nos exercuit. Jam qvanta ad perfectionem τȣ̃ συνετȣ̃ circa leges reqviratur legum memoria, non satis est proclive constituere.

De Memoria seu peritia Legum perfectissima, deque artificiali, ei succenturiata.

cap. 5. §. 2.

re. Ut altius rem, & ab ovo, qvod ajunt, repetamus: sit *memoria* qvantũ ad hanc disputationem (nam exqvisita ejus natura ex Physicis petenda est,) eorum qvæ per sensum, vel intellectum sunt percepta repræsentatio, & asservatio in animo, seu sensu interno facta. Ejusmodi repræsentationes multæ rei ejusdem *experientiam* faciunt, qvæ nihil est aliud, Aristotele (n) testante, nisi *multæ memoriæ*. Diversarum vero, & variarum rerum memoriæ *peritiam* faciunt. Unde legum, vel Jurisperiti recte dicuntur qvi variarum legum, & constitutionum memoriam sibi acqvisiverunt. Hæc proinde *peritia eo* erit *perfectior, quo ad plura sese extendet jura*, qvoqve erit *firmior*, seu *durabilior*, & *omnes circumstantias* plenius *habebit adjunctas*, & expressas. Hæc enim *virtus* est imaginis, seu *repræsentationis cujuslibet*. JCtus itaque non saltim verba legis, sed & auctorem, & occasionẽ ferendi, tempus etiam, & locum, & caussas, non modo universales, ex ratione scientifica Juris naturalis, aut Politica profectas: sed & singulares, nec nisi ope Historiæ de Origine ac progressu Juris ejus, qvod interpretaturi sumus, noscendas; proinde Consiliarios Ministrosqve adhibitos, item impulsores, & eos qvibus sunt latæ, & qvo statu societatis illius, cui sunt latæ, & quæ plures ipsam legem circumstantiæ variare possunt, penitus animo figet, & ita, ut hæreant, quantum fieri possit, diu, ac pertinaciter. Quot vero jura tantam requirant, & tam operosam diligentiam, definiendum erit. Nam qualitatem legum, in quibus perfectus quærendus sit JCtus, jam ante denominavimus, & Civiles eas determinavimus. (cap. 3. §. 2.) Perfectus ergo is fortassis erit JCtus, qui omnia jura mente comprehenderit. Huic enim demum nihil addi poterit. Sed hac ratione hominem JCtum non faciemus, cum non ei, sed soli Deo omniscientia ista competat, ut leges omnes ubivis conditas, & condendas noverit. Nobis vero de homine JCto sermo erat. Humano ergo animo speculationes nostras accommodemus, qvi infiniti capax adeo non est,

(n) *2. post. analyt. cap. ult.*

eſt, ut ne phantaſia quidem efformare illud, ſed ſolo intellectu, idque ægre, concipere poſſit. Menſuram itaque certam, ut huic notitiæ determinemus, ſecundum ſingula jura habitus non ſpecie, ſed numero differre ſciendum eſt, ut adeo JCtus ſit Romanus perfectus, qui jura Romanis ſcripta interpretari, quam optimo perfectiſſimoqve habitu poſſit, Gallus qvi Gallicas leges, & ita conſeqventer. Quæ *Jurisprudentia ſingularis*, ad diſcrimen *Juris naturalis*, unde *Univerſalis Juriſprudentia* recte dicitur. (α) Qvo ita poſito perfectus erit JCtus qvod ad memoriam, qvi unius alicujus reipublicæ leges omnes, cum omnibus partibus, & circumſtantiis qvibuscunqve, memoria conſtantiſſima compræhendit, & ex aliis juribus tantum adjunxerit, qvantum ad interpretandas illas reqviritur. Et hæc erit exactiſſima memoria legum. Qvæ qvoniam ſæpiuſcule: vel ob animi imbecillitatem, vel ob legum inſignem copiam obtineri nequit, ab artificiali auxilium mutuari neceſſe habet. Eſt autem artificialis memoria, repræſentatio eorum, qvæ in animo fuerant aſſervanda, per ſcripturam facta. Cujusmodi ſi ſit multorum facta digeſtio, *Loci communes* vulgo dicti oriuntur. Hæc vero fiet perfectiſſime, ſi ſecundum præcepta Philoſophi, (o) & Analyticam Interpretationem leges in propoſitiones ſingillatim diſtinguantur, & hæ rurſus in ſuos terminos; Illiqve porro ita diſponantur, ut ſubjecto cuique in legibus invento prædicata omnia in iisdem reperta ſubſcribantur, addita affirmatione, vel negatione; paremqve in modum ſubjecta ſua prædicatis. Ita enim indice ordinato titulorum facto, confeſtim quæ de quoqve termino prædicentur, qvæve eidem ſubjiciantur, ubi libuerit, ad manum eunt. Qvem laborem *nos in Digeſtorum quinquaginta libris integris, & aliqua Codicis parte exantlatum* jam eo tempore, qvando ante hoſce XXX annos hæc concipiebamus, & continuare cogitabamus: *ubi per reliquum Codicem*, & *Novellas* Conſtitutiones

(α) v. Unverfährt *Pæd. Jprud. Univerſal. c. 3. §. 2. pag. 41.*
(o) *1. Analyt. cap. 32. & ſeqq.*

nes perduxissemus, suo tempore publicæ luci non invisuri. At abrumpere mox eundem coacti, imperfectum extrudere necdum sustinemus. Præterea non exiguum ad memoriam legum conservandam adjumentum præbebit, earum per Methodicam interpretationem in artis, qvousqve licet, formam redactio: cum nihil tam amicum reminiscentiæ sit, qvam ordo. Qvem qvaliter *institutionibus* saltim induere moliti simus, ex earundem Reconcinnatarum editione (nimis qvidem mendosa, ita ut secundam correctiorem toto animo desiderem,) constare potest. Qvem adeo systemate plenario, Jus Romano-Germanicum universum exhauriente, num imitari conducat, judicent qvi possunt.

De Habitu applicandi præcepta.

XI. Residua est ipsa *applicatio præceptorum*: quæ in eo tota est, ut præcepta interpretandi generalia cognita circa singulas leges aut jus universum ex omnibus alicujus reip. legibus constans, quoad illis indigent, prudentissima ratione atque methodo usurpemus, & adhibeamus, & quomodo procedant experiamur. Id enim si sæpius effectum dederimus, perfectionem aliquam, sive habitum in ea operatione consequemur: ita ut cognita imposterum quavis lege cum suis circumstantiis, scitu ad faciendam interpretationem necessariis, aut certe utilibus, facillime ejus mentem, atque sensum, & voluntatem legislatoris in quoque casu individuo restringendum, aut extendendum, & promptissime colligamus, & ad quem finem ducere possit, perspiciamus, adeoque ex ea ipsa usum legis, & vim omnem sine errore, culpa interpretis quidem committendo, perspiciamus. JCti itaque perfecti erit toties iterare hanc operationem, quoad perfectionem illa plenissime consequatur.

Additio XVII.

De Prudentia Regulas supra dictas, & Species Interpretationum Juri, ac legibus applicandi.

A*pplicatio hæc*, cum sit operationum neutiquam semper facilium,

um, & magni momenti utiqve *prudentiam per partes suas* alias quidem omnes, quod ad methodum vero etiam præcipue prorsus exiget. Eas ergo partes (in Ethicis nobis definitas, singulas & universas, atque inibi æque ac in Jure Naturali toties, alibique semper occasione quavis docendo, ac in universa vita tot annis operando probatas, quod exhauriant omnem & deliberandi, & exequendi bene deliberata industriam laudabilem, instruantq;,) hic quoque tuendo: finem nobis propositum, quousque imbecillitas humana, & materiæ, circa quam occupamur, natura permittit, quam certissime, plenissimeque consequemur. Fiet ergo hæc præceptorum Interpretandi datorum exercitatio, & in actum deductio.

1. *Considerate*, ob oculos habendo finem, *scopum*, ac utilitatem illius, non modo *communem*, atque generalem, positam in necessitate atque dignitate cap. seq. § 3. & 4. jam olim adumbrata; & vel maxime in Conscientiæ coram Deo & hominibus inviolatæ tranquillitate, cujus ullum adeo præsidium naturæ vel artis consulto negligere, ac legulejum merum vel rabulam agere, quando JCtum profitearis, omnino sit impium: sed *& singularem*, & *propriam nunc nobis*, circa præsentem legem. Ubi vel primo omnium est dispiciendum 1. *An aliqua opus sit interpretatione*. Ne contra reg. *9*. generalem cap. II. & illa nitentes speciales plurimas, claro textui, quod ad mentem & verba obscuritatem affingamus, interpretatione superflua, vel inferamus.

2. *Quantum* sit operæ pretium futurum, sollicitæ adeo, ac forte difficilioris etiam in præsenti casu *interpretationis*, ad legem servari dignam, vel sine rationis intellectu, v. gr. ex mero affectu obedientiæ, venerationisve erga Deum, parentes, &c. *Quanta* & *qualis*, sive *quotuplex* numero, & *quousque specie*, vel *gradu quæque* sit *Interpretatio ex usu nunc futura*. Ubi statim necessarias illas *cap. IV. & V.* dictas, *Mentalem* puta *Restrictionem* & *Extensionem, omnibus legibus competere*, denuo est monendum. Cæteroqui vero multæ leges, imo pleræque, in bene

 positis

positis Juribus, citra applicationem in se consideratæ, adventitiis obscuritatibus, ac interpretationibus immunes sint futuræ. Nisi forte *Expositio* seu Explicatio Critica, Grammatica, aut Rhetorica *etiam optimis legibus adhibenda*, sed uti monuimus, proprie dictis interpretationibus haud accensenda, spectetur. Hinc restabit circa illas sola *methodica* interpretatio, seu in ordinem didacticũ facienda digestio. Quæ si Legum perspicuarũ facta sit, ad reliquarũ interpretationem non parum afferre poterit momenti. Quamvis jam hic statim apparitura sit omnibus humanis operibus communis imperfectio: tanto magis, quanto minus ipsum Jus Naturale, ad cujus analogiam hæc methodus sit concipienda, sua plenitudine, atque ordinatione perfecta adhuc gaudet; & plus culpæ qvam credas, etiam a prudentissimis committitur Legislatoribus.

2. *Circumspecte, partes* & *species Interpretationis omnes*, ac *requisita*, & sua cujusque vel præparatoria, vel essentialia *præcepta* pernoscenda, atque cum circumstantiis legis, ejus indigæ, conferenda. Ubi vel maxime illud porro in universum, de Interpretationibus legum, in se spectatarum omnibus, est monendum. Quoties *plures interpretationes* conjunctim ad eundem sensum firmandum collimantes adhiberi possint, toties eo fore *certiorem compositionem*. v. gr. Si vel mentalis una, vel duplex, vel comparata Critica Externa, electivam aut suppletivam, aut emendatoriam orationis vel scripturæ interpretationem eandem suadeant. Interim cum pateat, ex toto hoc tractatu, adhuc multa super hisce accuratius etiam, vel quod ad præcepta sola, nedum eorum exercitationem, hinc inde constituenda superesse: tanto minus illorum quæ habemus, quidquam insuper habendum fore. Cum vel sic adhuc adhibentes omnia, quæ habere possumus, extremam perfectionem haud assecuturi, voluntaria nostra negligentia ulteriorem imperfectionem nobis adsciscere utique non debeamus.

3. *Soler-*

3. *Solerter*, etiam *compositione*, *mixtura*, *intensione*, *remissione-ve* facta, imo *novis* etiam *præceptis*, aut *observandi* & *applicandi* eadem *modis*, si liceat ultra quam nobis, aliisqve factum sit, excogitatis progredi: Imo & hæc ipsa, memorandi subsidiis, ac præparatoriis, vel instrumentis adjuvare, operæ non parcendum erit.

4. *Selectu* facto, ratione certitudinis, & securitatis ab errore, facilitatisque *provido*
& *cauto*.

5. *Dexteritate* deniqve (1) *oportunitatis*, ut occasioni præsenti conducat, nec tarditate vel præcipitantia sua officiat.

(2) *Agilitate*, ut omnibus animi viribus, qvantæ qvidem possit accurationi atqve certitudini, non ulteriori (de quadam enim inevitabili incertitudine tum ante aliqvoties diximus, tum in seq. prox. cap. §. 5. & 6. item dicemus) destinetur.

(3.) *Ordine*, ob multitudinem, & jurium, & regularum, hic vel maxime observando: ubi confusio vel minima nocere plurimum possit. Unde illius etiam exactissima præcepta desideramus: qvaliacunqve, (cum nihil simul sit inventum & perfectum,) nunc daturi. Nempe, *Universim* qvidem ipsum Jus quodcunque consideranti, liquet, *ante de singulis legibus*, *quam universo Jure* cogitationem esse suscipiendam. Qvod si aliqua etiã sit obscuritas *singulis legibus* aliquibus, interpretando eximenda prius, quam in ordinem suum redigi possint: videndum est (præsumendo nempe pro perfectione legis,) qvanam omnium levissima possimus esse contenti. Eritqve adeo earum *ordo præter propter talis adhibendus*. Ut *Expositione* quidem, quatenus sit opus ad intellectum scripturæ illa indigentis, præmissa, si quis adhuc restet proprie dictæ Interpretationis locus.

1. *Analytica interpretatio*, num expedire nos possit, tentetur. Cui, poscente sic materia

2. *Heterogenia*, ad illam requisita, si sit opus, addatur.

3. *Sum-*

3. *Summaria* item, vel
4. *Casualis* an requiratur, examinandum veniat.

Qvodsi ne hisce qvidem adhuc locus esse possit, *propter obscuritatem legis*: manifestum est, *aliquam ex Criticis interpretationibus*, seu explicationibus fore *præmittendam*. Ubi series iterum a minori legis imbecillitate ad majorem procedendo ea orietur, ut videatur, an sufficiat

(1.) *Declarativa Rhetorica*,
(2.) *Grammatica*,
(3.) *Grammatistica*.

Harum nulla sufficiente

(4.) *Comparata interpretatio externa* erit tentanda, pro sermonis aut scriptionis imbecillitate, vel *electitia*, vel *suppletoria*, vel *emendatoria*. Et qvidem potissimum *Grammatico-Rhetorico-Critica*, potius tamen *Grammatico-Critica*, qvam *Rhetorico-Critica*.

Qvod si vero ne sic qvidem sensus unus, vel congruus, ac Legislatore dignus, obtineri possit: tandem *mentalis interpretatio* superaddenda, potius qvidem *perfectiva*, qvam *rationalis*, & hæc tamen potius, qvam *caussalis*.

Qualibet autem *harum* vel *electitia*, vel *suppletoria*, vel *conjecturalis*, pro imbecillitate apparente orationis aut scripturæ. Ita ut quoties electio sit penes interpretem, *electitia* potius qvam *suppletoria*, & hæc quidem potius, quam *emendatoria* adhibeatur.

Potius etiam *Orationi*, *quam scripturæ* quævis harum applicetur. Qvandoqvidem scripturæ, tanqvam orationis mutationem includentis vitium, nisi per se illud manifestum appareat, non nisi deficientibus aliis omnibus interpretationibus ordinario præsumendum. Et hæc de legis in universum spectatæ interpretatione dicta sint.

Singil-

Singillatim vero *ad casus singulos* facienda applicatio necessariæ interpretationis, satis ex dictis c. 4. & 5. constare potest.

(4.) *Constantia* denique ad habitum naturali similem sufficiente, ac quantum materiæ difficultas permittit, extemporalem continuanda.

(5.) *Æquabilitate* superiora omnia citra levitatis desultoriæ, aut pertinaciæ obstinatæ in servandis vel violandis præceptis hisce culpam, sedulo etiam semper observanda.

XII. Exinde concludimus tandem, neqve scientiam præceptorum interpretandi, neque memoriam legum, quantacunque demum ea sit: sed hæc utraque, cum habitu interpretandi, seu perfectione applicandi illa præcepta, & in usum deducendi conjuncta, JCtum demum exhibere perfectum. Ut ita tandem Jurisconsultus perfectus definiatur is, qui legum imbecillitates citra mutationem tollendi scientiam (hactenus a nobis propositam) habet perfectissimam, & præterea memoriam earum legum, quas interpretari cupit, cum aliis, qvantum ad eas requiruntur notitiis, perfectissimam, & tandem habitum præcepta illa applicandi perfectissimum sibi comparavit. Vel ut explicatius singulæ perfectiones determinentur: Jurisconsultus perfectus is est, qui legum imbecillitates manentibus legibus tollendi præcepta omnia ita scit, ut de eorum veritate ex caussis genuinis, & quod illæ sint caussæ, ipsi constet: legumque præterea quarum interpretem est acturus, omnium, cum partibus cunctis, & circumstantiis, memoriam habet firmissimam, & aliarum præterea notitiarum

Definitio JurisConsulti perfecti scientifica quæsita plenissima.

Tt qvan-

quantum ad eas conferunt: ac denique præceptorum illorum applicationem toties exercuit prudenter, ut jam promptissime, & QVANTUM FIERI POTEST, SINE HÆSITATIONE, & DIFFICULTATE eam exequatur. Et hoc erat quod quærebamus.

CAPUT XII.

AUCTARII LOCO adjiciuntur nonnulla, DE HABITIBUS JURISCONSULTO PERFECTO NECESSARIIS, vel per se, vel per accidens, jurisconsultum tamen, haud constituentibus. Item de DIFFICULTATE, NECESSITATE, DIGNITATE, CERTITUDINE & INCERTITUDINE, deq; MUTATIONIBUS INTERPRETATIONIS LEGUM: necnon NATURALIS, & DIVINI JURIS interpretatio quid differat ab ea, qvam tractat JCtus: de INFORMATIONE PERFECTI JCTI. EPILOGUS.

SUMMARIA.

1. *Auctaria quædam addenda, & primo: qui habitus JCto sint omni necessarii, qui plerumque, vel per accidens.*
2. *De difficultate interpretandi, & quod ea augeatur, legislatorum numero aucto.*
3. *Necessitas interpretationis legum.*

4. Di-

4. *Dignitas ejusdem.*
5. *Idem certitudo ac incertitudo, quousque se extendat.*
6. *Mutationibus quomodo subjaceat eadem.*
7. *Quare jurium naturalium interpretatio JCtum non faciat.*
8. *De Jure divino aliqua: nimirum an detur, quale detur, ex analogia utcumque declaratur, & quæ sit ejus interpretatio, & a JCti habitu quantum diversa. Quodq; JCtus perfectus debeat esse Christianus.*
9. *Institutio perfecti JCti, quæ esse debeat, in genere.*
10. *Anacephalæosis dictorum, & conclusio opusculi.*

I.

POteramus hic subsistere, postquam fidem in principio datam liberavimus: nisi ad lucem majorem, & evidentiam eorum quæ proposuimus facturum videretur, si pauca adhuc in genere de JCto, ejusque habitu, quem synesin Legislatoriam imposterum vocabimus, adjungamus. Dabimus ergo & hoc ἐπίμετρον. Et principio quidem, JCto nostro idem quod artificum plerisque usu venire depræhendimus: qui præter operandi præcepta, & operationis habitum, ex crebra versatione circa singularia comparatum, indigent instrumentis, indigent præparatoriis, quæ ipsa artifices qvidem, non faciunt, neglecta tamen artifices fieri non sinunt. Ut rudi exemplo tota res reddatur explanatior: calceolarium intueamur, nec pigeat in sutrinam diverti. Non sufficit sane illi præcepta secandi apte corium, & consuendi certam in formam novisse, circumstantias porro corii, & bonitatis, ac vilitatis discrimina perdidicisse, ut cui parti aptum sit intelligat, ac denique calceamenta plurima confecisse, quamvis hæc fere sint omnia, quæ artem ipsius constituant. Verum debet insuper modulo, subula, seta aliisque instructus esse præsidiis; deinde corium durius, & ad modulum applicari ineptum, emollire, vel vero laxum nimis indurare, aut inæquale & hinc inde protuberans æquare posse, siquidem calceos aptos cupiat conficere. Perinde, si licet parvis componere magna, cum JCto sese res habet. Nam & ipse præter ea, quæ ad synesin ipsius requisivimus, adeo indiget quibusdam, ut sine iis JCtum se præbere nequeat, ex iis ipsis tamen JCtus nullatenus

1 Auctaria quædam addenda, & primo: qui habitus JCto sint omni necessarii qui plerumque, vel per accidens.

3

4

 nus

nus reddatur. Suntque ea, quemadmodum in adducta modo arte
diximus, in duplici poſita differentia. Quippe vel inſtrumenta
ſunt, vel præparationes, ob materiæ, quæ hoc loco ſunt leges,
vitia neceſſariæ: quæ niſi tollantur, leges interpretari non per-
5 mittunt. *Inſtrumenta JCto omni neceſſaria* ſunt. Ratiocinandi
ſcientia, Hiſtorices ſtudium, & Jurium quæ naturalia diximus
ſcientia. *Ratiocinandi ſcientia*, quæ vulgo uno *Logices* nomine
compræhenditur, revera non eſt una. Nam vel ſyllogiſmum
in genere tractat, ejusqve naturam ac proprietates demonſtrat,
id qvod in Prioribus Analyticis Philoſophus eſt executus: vel vero
demonſtrationem, ſeu perfectiſſimum Syllogiſmum contempla-
tur, quod idem egit in poſterioribus Analyticorum. Et hæ binæ
partes vere, & κατ' ἐξοχὴν Logices nomen merentur. Nam ſolæ
abſolute, & bene, imo optime ratione uti docent. Reliqvæ in-
digniores ſunt utræqve, qvarum altera Dialectica, ſive Topica
vocatur, qvæ ex opinionibus receptis, probabiliter utramqve in
partem διαλέγεσθαι, ſive diſputare docet, & loca probabilia, ſeu re-
cepta, & approbata a vulgo, vel plerisqve, vel doctioribus effa-
ta, atqve principia proponit altera σοφιστικὴ audit, qvæ deceptio-
num & errorum fontes recludit. Hæc Sophiſticorum Elencho- vid. C. II. § 9.
rum binis, illa Topicorum octo libris Ariſtotelicis materiam
6 miniſtravit. Has omnes quod noſſe debeat JCtus, repetenti
ſuperiora dubium eſſe non poteſt. Etenim rationes legum vel
naturales, vel politicas quæſituro, omnino demonſtrandi ſcien-
tia erit neceſſaria. Topica vero Opinionibus dignoſcendis,
perinde atqve Sophiſtica depræhendendis erroribus unice op-
portuna eſt. Qvantum vero hæ tres particulæ, ex totius ſcien-
tiæ vel artis Logicæ, (prouti cum ſcientia experientiam nempe
conjunctam capiens, in artem vertit) Syſtemate conſtituant, in
typo Acceſſionum Logicarum noſtrarum, ad *Verulamii* de augmen-
7 tis ſcientiarum lib. VI. oſtendetur. Ex *Hiſtoriarum* porro ſcri-
ptoribus opiniones Legislatorum, & errores, vel eorum aucto-
res, cauſſasqve, & conſiliarios, præceptores, amicos,
affectus,

affectus, cupiditates, harumque rurſus cauſſas varias, temperamenta, mores, educationes, neceſſitatis etiam argumenta, & ſtatus reipublicæ, & Civium mores, unde Politica ſpecialis cauſſa cognoſcitur, & quæ alia nulla cæteroqui ſagacitate conjectanda ſanctionibus ac conſtitutionibus originem præbere ſolent, optime pateſcunt. Neceſſarium ergo & hoc ſtudium omnibus legum interpretibus; eatenus imprimis, quatenus res geſtæ & materiæ, & tempori, legum latarum magis appropinquant.
Jurium naturalium ſcientia, vel plures potius ſcientiæ, exinde 8
etiam reqviruntur in poſitivarum legum interprete: quoniam eæ, ſiquidem naturales ſocietates regunt, nunquam ferme non in multis, imo plerisqve cum illis concordare poſſunt. Quarum cap. 4. §. 9: p. 56.
proinde rationes in promptu erunt ſcientiam hanc animo habentibus: alias demonſtraturo easdem non leves difficultates injecturæ. Neceſſitatem itaque horum trium ſummam videmus, 9
cum ad cauſſas legum omni interpreti indagandas conducant. Prima vero cognitio, Logica nempe, ad præceptorum etiam interpretandi ſcientiam, quam in JCti perfecti definitione requiri docuimus, adjumentum tale adfert, qvo carere ſine ſcientiæ vitio non poterit. Quæ ſequuntur ſcientiæ non ſunt perpetuæ 10
adeo neceſſitatis, ſed pro vitiorum Juris copia, modo requiruntur, modo abeſſe poſſunt. Neceſſaria tamen fiunt, quando inſunt vitia legibus, per eas tollenda, quæ niſi auferantur, legis interpretationem difficilem, imo plane non poſſibilem reddunt. Non ſecus ac (ut aliud ſimile afferam) colorum craſſities & di- 11
verſitas, tabulæve inæqualitas, & penicilli ineptitudo, pictorem etiam optimum exprimere ad vivum nihil permittunt. Sicut ergo ille (niſi ab aliis jam hoc ſit factum) colores attenuare, ac temperare, tabulam lævigare, penicillum adaptare neceſſe habet, & ſi hæc ipſa pingendi artem non conſtituant: ita & JCtus tollere mendas, & defectus legibus qua ſcriptura, qua oratione compræhenſis accidentibus, ſiquidem interpretari eas velit,

12 lit, tenetur. Ut ergo, ubi ita facto opus est, leges in classes concinne distinguat, methodo scientiæ, quantum fieri potest, analoga comprændendat, in propositiones resolvat, easque in terminos secet, illos in Locos communes digerat, subjecta legis generalia in species suas dispescat: requiritur omnino ars dividendi, de Methodo doctrina, deque resolutione ratiocinationum, & propositionum, earumque collectione scientia. Quæ Logices, sive Analytices sunt partes, quarum utramque modo omni
13 JCto necessariam probavimus. Pari modo, & *Grammatices*, & interdum etiam *Rhetorices*, in scripto jure inevitabilis est necessitas. Ita significationes vocum colligere, homonymias, & differentias, ac derivationes, & cætera huc pertinentia coacervare, peregrinarum linguarum, & antiqvarum vocum notitiam sibi
14 acquirere cogitur JCtus. *Criticus* quoqve, & antiquæ literaturæ callens, easdem ob caussas, plerumqve sit oportet, & potissimum ob scripturæ mendas superius indicatas. Nam & hanc
15 nucem frangat oportet, qui nucleum esse vult. Quam tamen hæc omnia a JCti habitu, & synesi Legislatoria differant, in propatulo est. Quin imo *Heterogeniæ* interpretationes cum ex omnibus scientiis possit contingere, ut sint adhibendæ. Unde jam constat, nullam esse scientiam adeo abstrusam, adeo arduam, adeo alienam, cujus non aliqua cognitio a JCto possit exigi, si ejus aliqvid legislator legibus suis, cæteroqvi non intelli-
16 gendis, admiscuerit. Ut adeo non absurde justi quidem & injusti accuratam scientiam, rerum vero *omnium humanarum & divinarum aliquam notitiam*, in JCto reqvisiverit Imperator Justinianus, cum suo, a qvo definitionem hanc mutuatus est Gajo.

De difficultate interpretandi, & quod ea augeatur, legislatorum numero aucto.

II. Elucet hinc, non sine temeritate neganda, interpretationis legum accuratę solidæqve *difficultas*. Qvippe vel solum caussas omnium legum indagare, qvanti sit laboris, evidentissimum est. Qui ipse augetur, numero legum adaucto. Qvod si reliquæ etiam imbecillitates accedant, & scriptura jus compre-

præhendatur, vix exantlandi labores naſcuntur. Nam vel ſola linguę unius cognitio exactiſſima hominem ſibi poſcit integrum. Jam vero ſi Critices ſtudium, ſi Antiqvitatis, ſi Hiſtoriarum infinitam notitiam, ſi de cauſſis voluntatum legislatoriæ inquiſitiones tediofiſſimas, ſi deniqve tot ſcientiarum diffuſa præcepta, quæ poſſunt a Jurisconſulto pro legum imbecillitate varia diverſimode reqviri, conſideramus: quam non unius ætatis ſtudium ad juris alicujus vitioſi exactam interpretationem ſæpenumero ſufficiat, in conſpicuo eſt. Qvare pręſtaret ſane eos, quibus circa leges adeo vitioſas Majeſtas eſt conceſſa, qvantum liceret, citra inſignem mutationem, quæ novitatem reipublicæ periculoſam creare poſſet, tollere vitia pleraque, & auctoritate ſua jus in melius producere. Sed hæc alterius ſunt loci. JCtis interim conveniret mea ſententia, quę conjunctim ſinguli non poſſunt, diviſim omnes expedire. Adeoque ex re hujus noſtri ſtudii foret, eos qui Critica delectantur, varias lectiones colligere, & emendationes per omne juris corpus in unum congerere, adeoque hunc totum laborem abſolvere. Alios quibus Oratoriæ cura eſt, hoc unum per omne jus curare, ut proprietas vocum, & certus ſenſus conſtructionum & periodorum ſibi ubique conſtet. Nonnullos porro Hiſtorica ſola conſiderare, & apponere tempora promulgationis, & occaſiones, ſtatus reipublicę, & cętera conquirendo. Quosdam præterea ſolas continuationum rationes, & ordinem ſectari, & eum ſcientiæ ſimilem conſtituere. Aliquos rurſus Analyticam interpretationem ſolam per omne jus expedire, leges in propoſitiones reſolvendo, & ſiquidem hic labor non diſpliceret, in locos communes redigendo. Diverſos ab his expediret cauſſas legum omnium inveſtigare, & apponere, atque ita ætiologico commentario jus illuſtrare. Denique quosdam conduceret leges ſuperfluas, inutiles, ac abrogatas diſtinguere, item antinomias reſolvere, & quæ plura ejus generis occurrunt, ſeparatim perficere. Etenim hac ratione labores disjuncti leviores, & certiores, omni confuſione ſublata, redderentur: qui nunc in unum con-
fuſis

tusis omnibus commentariorum generibus, nulla ex parte perficiuntur, plerisque ubi non opus erat, multa & nihil ad rhombum, qvod ajunt, facientia congerentibus, ubi vero summopere erat necessaria interpretatio, ne hiscentibus quidem, sed & hac spe fortassis desperata, ulterius nobis blandiri desinamus. Hoc unum addimus: nihil adeo *difficultatem interpretandi cumulare*, atque *legislatorum* copiosam *diversitatem*. Hinc enim varia opinionum, consuetudinum, affectuum, circumstantiarum, dictionumque discrepantia genera oboriuntur, infinitis sudoribus vix discernenda. Cumqve & temporum hic accedant varietates, in qvibus etiam fines rerumpublicarum mutari possunt, & mille circumstantiis variari: qvantæ hinc antinomiæ, diversitatesque legum, & abrogationes ægerrime tollendæ, ac distinguendæ producantur, plusquam manifestum est.

Necessitas interpretationis legum.

III. *Necessitatem* interpretationis legum non opus est argumentis multis demonstrare. Cum enim omnibus legibus defectus binos nativos, contingentiam nempe, & insufficientiam assignaverimus, jam patet, non posse jus ullum extensione, & restrictione carere. Qvippe sine quibus obligatio omnis tolleretur, & injusta summa ex summo jure orirentur. Qvin & si oratio, vel scriptura obscura interpretatione non juvaretur, nullum superfore legibus effectum clarum est. Nam de sensu non constaret. Patet ergo *neque statutis prohiberi posse* omnimodo interpretationem legum. (a) Cum eam ratio naturalis exigat: adeoque ut Doctores (b) confirmant, ipsa sit juris naturæ, qualia immutari legibus positivis haud possunt.

Dignitas ejusdem.

IV. *Dignitas* ex necessitate patet, & difficultate. Nam quo carere respublica nulla potest, etsi sit cum labore summo con-

(a) Bartol. *in l. omnes populi. ff. de I. & I.* Bald *in auth. si qua mulier. C. de SS. Eccl. & in l. 3. C. de lib. præter. & in l. jubemus. §. f. C. ad Trebel.* Dec. *in cap. ex tenore. de rescript. n. 24. Abil.* Pedroch. *respons. de individ. num. 699.* Martin Bonacin. *de ll. qu. 1. punct. 8. n. 2.*

(b) Pedroch. *l. c.* Menoch. *consf. 1. n. 27. & seqq. Simon* de Pretis. *de interpret. ult. volunt. lib. . fol. 11. col. 1. fol. 1. n. 3. &c.*

conjunctum: id sane non laude modo, sed tantum non veneratione dignum est. Utrumque modo de JCto demonstravimus. Unde in facili est conclusio. Ne tamen videamur extollere nimium nostrum ordinem velle, monemus: longo intervallo synesin legislatoriam prudentiam sequi. Quemadmodum servus domino honore longe est inferior, ab eoque dependet, (c) unde & subordinatam illam huic diximus.

V. *De Certitudine* quoque, & *incertitudine* hujus *interpre-* 1
tationis nostræ paucula erunt adjicienda. Eam enim alii majorem, Idem certitudo ac incertitudo, qvousq; se extendat.
alii minorem vero statuunt. *Majorem* justo certitudinem sibi *fin-*
gunt illi, qui juris interpretationem totam in scientia constituunt.
Id quod auctores clarissimi multi jam superius indicati fecerunt.
Scientiam porro dicunt esse rerum necessariarum, & immutabili- 2
um: unde interpretationes esse necessarias, & variationis exper- c. præc. §. 3.
tes, confici putant. Verum hi duplicem errorem errant. Neque 3
enim mera scientia interpretandi habitum facit, id quod ante
plenius demonstravimus. Neque æternarum, & necessariarum, 4
ut illi putant rerum sola & omnis est scientia. Nam cum Aristoteles dicit (d), scientiam rerum esse necessariarum, & earum quæ aliter habere se nequeunt, de vi colligendi, seu probandi, & argumentandi, quæ est in syllogismo demonstrativo, seu caussa demonstrativa, loquitur, quæ, quamdiu est, necessaria est, & immutabilis conclusio. Illi autem singulas propositiones, adeoque præcepta singula scientiarum volunt esse necessaria, id est talia quorum prædicata non possint non inesse, vel non inesse subjecto.
Illud vero in Mathematicis equidem, & Analyticis contingit, 5
non æque in aliis omnibus: in Physicis verbi gratia, aut Ethicis, aut Politicis. (Caussam supra plus semel, & præcipue tota *additione sexta* fusius expositam habemus.) Id quod ipse Philosophus non uno in loco profitetur, & apertissime in ipsis Analyticis, ita scribens (e) τοῦ δ' ἀπὸ τύχης οὐκ ἔστιν ἐπιστήμη δι' ἀποδείξεως. οὔτε γὰρ ὡς ἀναγ-

(c) Hopper. *Seduardi. lib.* 4. *tit.* 28.
(d) 1. *Posterior. cap.* 6. (e) 1. *Posterior. cap.* 25.

καῖον, οὐδ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὸ ἀπὸ τύχης ἐστὶν, ἀλλὰ τὸ παρὰ ταῦτα γινόμενον. ἡ δ' ἀπόδειξις θατέρου τούτων. πᾶς γὰρ συλλογισμὸς ἢ δι' ἀναγκαίων, ἢ διὰ τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ προτάσεων. καὶ εἰ μὲν αἱ προτάσεις ἀναγκαῖαι, καὶ τὸ συμπέρασμα ἀναγκαῖον, εἰ δ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, καὶ τὸ συμπέρασμα τοιοῦτον. (*Ejus vero quod est a fortuna, non est demonstrativa scientia. Nam neque necessarium, neque utplurimum contingens est quod a fortuna est, sed quod præter illa factum est. Demonstratio vero ex alterutro horum est*: id est vel ex necessariis, vel ex ut plurimum contingentibus propositionibus. *Omnis enim syllogismus aut ex necessariis, aut ex utplurimum contingentibus propositionibus est. Et siquidem propositiones sunt necessariæ, necessaria etiam est conclusio: si contingentes ut pluri-*
6 *mum, & conclusio talis est,*) Quibus magis etiam specialia sunt illa, ex Nicomachiis petita, (f) ubi Civilem scientiam ex utplurimum contingentibus procedere fatetur. Verba ita sese habent, ἀγαπητὸν οὖν περὶ τοιούτων, καὶ ἐκ τοιούτων λέγοντας, παχυλῶς καὶ τύπῳ τἀληθὲς ἐπιδείκνυσθαι, καὶ περὶ τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, καὶ ἐκ τοιούτων λέγοντας, τοιαῦτα καὶ συμπεραίνεσθαι. (*Boni itaque consulendum est, si de talibus* (Ethicis nimirum vel civilibus) *ex talibus dicentes, ruditer & typo quodammodo ostendamus verum, & de iis quæ utplurimum contingunt, ex talibus*
7 *dicentes etiam talia concludamus.*) Ex hisce patet ut plurimum esse contingentia in Civilibus præcepta. Sub hisce proinde & nostras interpretandi regulas numeramus: ne majorem quam par est certitudinem iis affingere videamur. Exceptiones itaque & hic dabuntur, & quoties accidens aliqvod oborietur, tol-
8 lens caussam regulæ, ipsa illa cessabit. Sed ad eos qvi omnem certitudinem huic nostro habitui ereptam voluere transimus. Qui sane non pauci fuere, scientiam omnem interpretandi negantes. Inter quos eminet *Angelus Thius* in hæc verba prorumpens. (g) *Sileant tumentes, & ventosi Legistæ, cum inter ipsos, & Philosophos tantum intersit, quantum a divinis rebus distant humanæ, & carentes vita speculativa, sicuti mortui, & lapidei, non veri*

(f) 1. *Nicomach.* 1.
(g) *in præcognitionibus Logicis.*

veri homines judicentur. Mitius Zabarella (h). *Aliud autem est* 9
legislatoria, aliud judiciaria: quæ est illa jurisprudentia, quam profitentur illi, qui his temporibus JCti vocari volunt. Hanc enim legislatoria ignobiliorem esse manifestum est. Idque aperte testatur Plato in Gorgia, & Arist. lib. 1. de arte Rhetorica. Est enim simplex quædam peritia, quæ neque scientia est, neque prudentia, nec ars appellari meretur. Cum sine ratione sit. Hanc enim callere aliquis potest, absque ulla civilis, ac legislatoriæ cognitione. Sed ita esse videtur sub legislatoria, ut empirica est sub arte Medica. Empirica enim cum rationem ignoret, ars nominari non potest, cum ars non dicatur, nisi quæ cum ratione est. Sed in his equidem Logici illi minime 10
fuerunt logici, id est ratione sua recte usi. Nisi forte de *JCto* ejusmodi locuti sunt, qualem se *triduo Cicero*, (i) & *paucis horis Gaspar Scioppius* (k) facturos pollicentur. Sed hæc quidem refutatione non indigent, cum qvalem nos JCtum dicamus, satis sit declaratum: & ipsa præcepta scientifica adducta, qvantum præstari possit, re ipsa probent. Quare id saltim addimus: omnem 11
esse in præceptorum ad singularia applicatione errandi facilitatem relictam. Si nempe sine consideratione circumstantiarum indifferenter ea fiat. Tunc enim præsente aliqua circumstantia, C.4. §.19.
quæ tollit caussam Regulæ, error omnino committetur. Quinimo, qvod neque superius dissimulandum censuimus, non potest hic error omnis præstari a JCtis. Sed necesse est, ubi caussæ voluntatis legislatoriæ circa scripturam, Orationem, vel legem latent: ipsum pro prudentissima, seu optima sententia scripturæ, legis, aut orationis præsumentem falli. Neque hoc magis JCto 12
imputandum, quam Medico artis præcepta sequenti, & singularia omnia rimanti, si quid in corpore lateat, vim medicamenti pervertens, cujus signum nullum uspiam apparebat. Ut adeo & hic liceat cum Philosopho dicere, (l) πεπαιδευμένυ ἐςὶν ἐπὶ τοσȣ̃-

& cap. 5. §. 9. & 10. cap. 9. §. 6, & seqq.

 τον

(h) *de naturalis scientiæ constitutione cap. 33.*
(i) *Orat. pro Murana.*
(k) *Consultatione de instit. studiorum.*
(l) *1. Nicomach. 1.*

τὸν τἀκριβὲς ἐπιζητεῖν καθ' ἕκαστον γένος, ἐφ' ὅσον ἡ τοῦ πράγματος φύσις ἐπιδέχεται. (*Eſt hominis recte inſtituti eatenus accurationem in unoquoque genere deſiderare, quatenus eam rei natura recipit.*)

Mutationibus quomodo ſubjaceat eadem.

VI. Jam quo pacto *interpretandi ratio mutationibus* ſit *obnoxia* videamus, habito reſpectu ad jus circa quod verſatur. Prout enim id ipſum immutatur, neceſſe eſt & rationem interpretandi variari. Uti ergo creſcunt ejus imbecillitates, id quod temporis tractu variis modis poteſt accidere: ita & interpretandi difficultas, & labor creſcit. V.G. ſi ſcripta exemplaria vitientur, lingua ab uſu recedat, & alia ejuscemodi eveniant. Quod ſi decreſcunt vitia juris alicujus, ſimul & interpretandi neceſſitas minuetur. Unde fieri poteſt, ut ubi antea requirebatur interpretatio, V.Gr. cum lex nondum frequentabatur: ibi nunc ſuperflua ea ſit futura, legis ſenſu notorio exiſtente. Quin & fieri poteſt, ut integra interpretandi ratio intereat, & alia fiat: ſtatu reipublicæ & legibus mutatis. Tunc enim jus novum novum exiget interpretem.

Quare jurium naturalium interpretatio JCtum non faciat.

VII. Non inopportunum etiam hoc loco fuerit, rationes exponere, cur *Jurium naturalium interpretationem* a JCti noſtri habitu ſeparaverimus. Qvippe ſiqvidem perfecte tradita fuerit ſcientia ea, interpretatione non indigebit: niſi quatenus à ſcriptura ei oboritur vitium, adeoque per accidens interpres hic ſaltim requiretur. Nam & *extenſio hic eſt ſupervacua*, ubi finita & univerſaliter tradita omnia, quæ applicare, & an inſint, nec ne ſingularibus videre, alterius eſt a ſcientia diverſi habitus, *Prudentiæ nempe*: concludere vero cur inſint, vel non particularem facit ſcientiam, jam olim Ariſtoteli (m) agnitam. In mentali omnis generis hic quoque par hic eſt ratio. Nam, aut proprie, & abſolute dicta illa, aut ipſa ſcientia, ſive per rationes demonſtratio, aut circa ſcripturas & Orationis ex ſcientia Critica Grammatica vel Rhetorica pendebit. Quando vel proprietatem antea invenimus vocum; aut ſcriptionis, per quam commoda expoſitione facta ſenſus verus elicitur; vel vero ex ipſis ſcientia id qvod elici debebat colligo, de verbis

(m) *1. Poſter. cap. 21.*

bis minus sollicitus, vel facilem habens divinationem. Unde patet, quantum a synesi hæc differat operatio. Exemplum addo. In scientia juris naturalis invenio contractum mutui, seu mutuationem esse licitam & honestam. Ratio est. Qvod dum res usu consumenda alicui conceditur hoc pacto, ut individuum aliud ejusdem generis restituat, indigentiæ alicujus sine alterius damno succurritur. Quæro an Petro sit mutuandum. Hic circumstantias lustrare, & videre an ille finis sit huic actui communis, seu an ratio hic procedat, neque accidens aliqvod adsit illam impediens, scrutari, prudentiæ est: invento vero eo, concludere non esse mutuandum, scientiæ particulari convenit. Ita si inveniam Petrum esse infantem: dico cujus indigentia non sublevatur, & tamen cogitur mihi restituere ejusdem generis individuum cum eo quod mutuo accepit, ei non expedit mutuo accipere. Atqui Petri infantis egestas non sublevatur. Non enim novit uti recte mutuo. Ergo ei non mutuandum. Qui syllogismus est demonstratio de particulari facta. Et sic in similibus aliis.

I De Jure divino aliqua: nimirum an detur, quale detur, ex analogia utcumq; declaratur, & quæ sit ejus interpretatio, & a JCti habitu quantum diversa. Quodque JCtus perfectus debeat esse Christianus. cap. 3. §. 2.

VIII. Jure naturali humano perspecto, *Jus positivum Divinum* generatim intuebimur: non alium in finem, quam ut ejus interpretandi dignam sane cognitu Christianis eruditis omnibus differentiam a nostri interpretatione eo magis pernoscamus. Qværetur autem hic fortassis, an aliquod jus inter Deum & homines intercedat, quale quidem nos definivimus. Nempe conservans societatem inter Deum, & homines. Societas enim cum sit communio plurium tendentium operando ad communem finem: videri poterat, indignum Divina Majestate, ad finem tendere; utpote quæ ipsa infinita, & rerum omnium finis unus, ac agendorum & omittendorum terminus existit. Qvod si tamen imbecillitatem nostri intellectus perpendentes, quæ divinæ perfectionis minime capax, eam in imagine tantum, & quasi in speculo multum obscuro contemplatur; & quatenus cum ea habent analogiam humana tantummodo percipit: non videmur minus reverenter de summo Numine locuti. Si, quemadmodum Sacræ lit-

litteræ, & Sanctissimi Patres, manus, pedesque, & corpus ad significanda nobis opera divina, Deo tribuerunt: ita & nos societati aliquid analogum inter nos ac Deum intercedere statuamus. Dum
4 ipse pro summa sua benignitate, ad finem propositum hujus nostræ vitæ, æternam videlicet beatitudinem, præsentibus auxiliis una nos ducit. Si ergo est aliqua *inter Deum & nos quasi societas:* patet eam esse inter admodum inæquales, & inter ens perfectissimum ac omnino independens, cum imperfectissimis ac ab ipso Deo totis quantis dependentibus creatis. Quare ut porro in naturam hujus juris palpando quasi perveniamus: cuinam ex humanis societatibus inæqualibus maxime ea sit similis, inquiremus.
5 Offerunt sese hic earum *tres* præcipue: *Herilis* nempe, Regia, & paterna. Esse societatem quæ est inter Deum atque nos, similem ei quæ inter servos est atque dominum, negari non poterit. Servum enim quis se inficiabitur altissimi? propter quem sumus id quod sumus. Quinimo sicuti servus naturaliter is est, cui non sufficit prudentia propria, ad se suaque regenda, sed aliena est necessaria, qvam habet Dominus; qui propterea eo ceu instrumento suæ felicitatis utitur, & tamen ipsum etiam interea ad bonum aliquod perducit, curans conservationem ipsius, etsi non ipsius, sed sui caussa: (n) Ita & nobis sane non sufficit propria prudentia ad nostra recte gubernanda, sed indigemus Divini numinis præsidio, ad cujus prudentiam nostra collata mera est stultitia. Deus ergo nos habet suæ benignitatis, & misericordiæ, ac beneficentiæ, quasi objecta, in qvibus exerat bonum suum, quibusque communicet munera sua; & quos sui caussa, idest suæ justitiæ & bonitatis caussa ad bonum aliquod, æternam nempe beatitudinem ineffa-
6 bili clementia & sapientia perducat. Ita & *Regia* potest vocari quam Deus in nos exercet beneficentia, adeoque Regia hæc videri societas. Sicut enim Rex naturaliter, ille est, cujus prudentia ita eminet præ subditorum prudentia, ut jam proportio nulla remaneat, ceu inquit Philosophus: (o) imo ut sit tanqvam Deus inter

(n) *Vid.* Aristot. 1. *Polit.* 4. & 5. (o) 3. *Polit. cap.* 17.

inter homines, & sua prudentia totam civitatem seu singulos Civium faciat felices, seu ad summum bonum civile pervenire: ita omnino cœlicus ille Rex, ipsa prudentia existens, nos per eandem reddit felices, & beatitudinis æternæ, siqvidem præceptis ipsius non reluctamur, participes. Sed utut hæc sese habeant, & tam re- 7
gia, quam herilis societas summam habeat cum ea, quæ cum Deo nobis est communione, similitudinem, adeoque parabolis multis Novi Testamenti ansam dederit: longe tamen similior est *Paterna societas*, a Servatore nostro non semel ad exprimendum Divini numinis erga nos amorem adhibita. Neque aliter poterat. Nam priores duas complectitur, & plura superaddit ex iis quæ a Deo in nos conferuntur beneficiis. Nam & parens non secus, ac dominus aut Rex præstat prudentia, indeque naturaliter competenti imperio: & hoc præterea habet, qvod sit caussa filii procreans, adeoque ejusdem auctor, id quod neque in rege, neque in domino est, at utique in Deo, qui magis est caussa nostri, quam ullus patet, imo infinitis modis magis est nostri procreator. Qvippe animæ & corporis auctor, cum patres nostri naturales, saltim ceu instrumenta, exiguum quidquam materiæ, idq; etiam ipsum non a se, sed a Deo acceptum, ad generandum corpus nostrum conferant. Præter- 8
ea hoc habet pater præ Rege, & domino peculiare: quod ipse perficere filios, & ad perfectionem eam, qvam ipse habet, perducere annititur; cum Rex & Dominus in servorum, & subditorum conservatione subsistant. Neque aliter Divina beneficentia nobiscum agit, non saltim nobis conservandis intenta; utpote quorum capillos numeratos esse, nec sine consensu decidere posse, est professa: sed & perficere nos cupit, & tandem Angelis similes, imo superiores, & judices Angelorum faciet, & se conspiciendum nobis a facie ad faciem exhibebit. Quæ sane est summa, qua ad Deum accedere possumus, excellentia. Nam in hoc a paterna so- 9
cietate differt Divina, qvod non plane idem specie secum, ceu pater filium, sed similes nos Deus, & ad suam imaginem procreavit, adeoq; non capaces ultra naturæ concessum modum divinæ perfectionis

ctionis. Jus itaq; divinum quale ſit, ceu per tranſennam videntes:
jam inde diverſitatem cum eo circa qvod JCtus occupatur, colli-
10 gimus. Neq; enim hic conſenſus adeo rem omnem conſtituit. Sed
ſicut filius tenetur conſentire patri, vel invitus, & naſcendi ſorte
ejus præceptis ſubjicitur: ita & nos, non ex noſtro conſenſu, ſed ex
divino beneplacito conſtituti, & creati, vel neſcientes adhuc Deum
eſſe, & modo a matre rubentes, ejus auxilio, etiam tum cum nati
nondum eramus, egebamus, & etiamnum indigemus: adeoq; ex
ea, ex qua orti ſumus voluntate, vivere cogimur. Præcepta ergo
11 hic rectius qvam jura intercedent. Sed de interpretatione quid di-
cemus? An & hic imbecillitates, & exinde neceſſaria earundem
medela? Sane *quatenus divinum* jus eſt, id eſt Deo auctore condi-
tum, *imbecillitates neſcit*; tanqvam ab ipſa perfectione profectum.
Unde legum divinarum poſitivarum etiam præ Naturalibus, &
earum quidem perfectiſſimis civilibus, præſtantiam, & ab imbe-
cillitatibus immunitatē magnam fore, qvatenus a parte Dei modo
ſpectantur, in confeſſo manet, ac a Judæis jam olim nedum Chri-
ſtianis orthodoxis eſt agnitum ſatis. v. *Sepher* Ikraim apud *Voiſin*
ad pugionem Fidei *Raymundi Martini* p. 66. & ſeqq. *Noſtri* tamen
12 *reſpectu*, eædem *non poterunt abeſſe*. Unde cum actiones noſtræ
non admittant neceſſitatem, neque numerum: oriatur neceſſe eſt
reſtrictio, & *extenſio*. Porro cum *ſcripturæ*, & *orationes noſtræ non
careant vitiis*: & ea qvadamtenus hic accident. Qvousqve vero
id fiat, noſtrum non eſt definire, neqve ex noſtris præceptis ha-
ctenus traditis poteſt decidi. Niſi qvod fortaſſis in pœnam noſtram
divinam voluntatem obſcure aliqvando nobis indicari, haud du-
13 bie liceat colligere. *An a nobis fieri poſſit interpretatio* hujusce juris
videamus. Et poterat credi, non poſſe. Cum nos inſtar filiorum
imprudentes eſſe dixerimus, & ex cauſſis interpretatio locum hic
invenire non videatur, cum divinæ voluntatis arcanæ ſint viæ, &
14 nobis incompræhenſibiles. Attamen & aliquam in filio, adultiori
præſertim, patres generaliter præcipientes, requirunt intelligen-
di, & judicandi dexteritatem. Et nobis etiam indulta eſt divinæ
auræ

auræ aliqua particula, ad id sufficiens, ut vitam nostram quomodo
institui velit Deus, secundum sua præcepta, perspicere queamus.
Qvod nisi esset, sane frustra ea scripta forent, nullatenus intelle-
cturis. Quousque ergo ratio nostra feret, divinæ prudentiæ decre-
ta pensitantes, & caussas earum invenientes, synesi similem habi-
tum comparabimus, tanto tamen *perfectiorem* digniorem q;, quan-
to divina præstat humanis *prudentia*. Quippe facile intelligimus,
nullam hic ratiocinandi imbecillitatem adesse. Qvoties itaqve ra- 15
tio nostra subsistit, nec caussas propositionum in divino jure inve-
nit: ea non attenta, nihilominus strictissime eas intelligere, ac cre-
dere debemus, tamqvam ab infallibili prudentia, & omniscia sa-
pientia profectas, quam compræhendere, atqve insequi, nostri in-
genii tarditas, & imbecillitas non potest. Unde de iis quæ captum
nostrum hic excedunt, velle dubitare, ac fidem suspendere, non
minus foret ridiculum, quam si cæcus solem negare, ex eo quod
sibi non luceat, pertinaciter asseveret. Neque vero fieri aliter po-
test, quin in divinis multa non percipiamus: cum ne humana qvi-
dem omnia, cum illis nullam comparationem recipientia, nostro
intellectui cedant, & per diuturnas ac assiduas nostras *speculationes*
vix aliud tandem impetrasse nos agnoscamus, quam ut infinito 16
plura nobis deesse, & ignorari intelligamus. Hæc ipsa vero illa
sunt, quæ tanto sanctiori cum reverentia venerari, & quo minori
ex parte intellectu assequimur, hoc majori cultus devotione pro-
sequenda habemus. Irreverenter sane ac petulanter acturi, si quæ
non capimus qualia sint, a Deo tamen esse percipimus, circa ea
Interpretando, aut ex illis argumentando, (quod ex notioribus
solis Logica sana concedit,) simulare quem non habemus intelle-
ctum, & venditare aliis velimus. Quod tamen plus nimis forte, ab
arrogantioribus qvam religiosioribus Theologis frequentatur. v.
Nicetæ *Spilii* Epist. curios. Qu. VI. §. 4. p. 95. Interim non irreve- 17
renter acturi nobis videmur, si doceamus quid etiam hic, *ex Sy-
neseos* qvidem aliqvo, sed eidem superaccedente directore longe
diviniori *etiam* alio *Fidei habitu*. Qvorum duorum habituum al-
terum, syneseos nempe, Apostolus ipse profitetur, Eph. III. 4.

aliisque locis: alterum Fidei, non nisi a Spiritu Sancto expectamus, per verbum, non instar humani nostri spiritu scribentis vacuum, & cassum, atqve orbum, & ab eo separatum, æque magno ac corpus ejusdem intervallo; sed plenum & gravidum ac fertile, cum illo inseparabilis efficaciæ nunquam non unitissimum ex-
18 istens. Unde patet, quam non accedat ad hanc præstantiam JCtus, sed infinito intervallo sit inferior, & indignior: neque suo habitu etsi perfectissime instructus solo, ad hanc operationem sit idoneus. Hoc præterea ex dictis constare certum est: qvod per-
19 fectissimus JurisConsultus Christianus esse, & Orthodoxæ fidei addictus debeat. Cum absque hoc si sit, quantum a perfectione debita jus, cui tractando incumbit, recedat, æstimare non possit. Tanto enim est imperfectius unumquodq; jus, quanto a Christiana fide, & religione est remotius. Unde & quatenus ei contradicit, obligare Christianum neqvit, ceu ante asseruimus. Sed de hisce hic quidem sufficienter dictum sit.

cap. 5. §. 5. Institutio perfecti JCti, quæ esse debeat, in genere.

IX. Qvod ultimum erit, *de informatione perfecti JCti* nonnihil addemus. Necessario autem, & hic breves sumus. Qvoniam & ex generali docendi, & discendi ratione, omnia hæc dependent, & *rectius in speciali JCto*, seu certi alicujus juris interprete docentur: cum pro imbecillitatibus, & disciplinæ addiscendæ crescant, vel decrescant. Ne nihil dixerimus, generale hoc inculcamus. Nempe id debere præmitti quod ad aliud discendum maxime conducit, & sine eo cui præmittitur intelligi potest. Ubi vero sese offerunt, quæ mutuam ab invicem lucem non recipiunt, faciliora præmittentur, & nobis notiora. Ita exempli gratia scripturæ, & lingvarum cognitio præcedat, peregrinarum etiam si opus sit, & antiquarum; sequantur Grammatices, & Critices initia, & Historiarum cognitio, & postmodum ipsa legum lectio, & memoria, quippe qvæ primis annis est facilior, & accommodatior. Logica tandem, & si opus Rhetorica præcepta succedant: quæ Civilis scientia, seu naturalia jura sequantur. Tandem ipsa interpretandi præcepta, & applicatio eorundem finem labori imponent. Hæc in genere definita

finita sufficiant, specialiora in *JCto Romano Germanico* dabimus: Si quando ille, quod vix promittere ausim, elaboretur. Interim adjuncta illi *Methodus nostra Jus docendi*, feliciter cum aliquibus, & præcipue superstitibus adhuc Civibus meis binis Consultissimis Juris nunc Doctoribus, exercita, *Consiliumque de studio toto hoc instituendo* datum, sufficere B. Lectori debent.

X. Colophonem ergo tandem operi imponemus, & si plura de JCti affectionibus, & aliis ei affinibus huc accumulari possent. Qualia sunt: *cur ad regendas respublicas recte JCti* adhibeantur, cum tamen illorum habitus in synesi subsistat, respublicæ vero per prudentiam regantur. Nempe synesis viam sternit ad prudentiam, & qui diu ex mediis ab aliis inventis finem conjectavit, postea eo facilius posito fine media divinabit. Liquet etiam, cur *signum* sit *vitiosæ reipublicæ JCtorum multitudo*. Nempe leges vacillare, & nimiis imbecillitatibus tantum non labescere indicio est, ubi multi adeo imbecillitatibus tollendis, & emendandis reqviruntur. Possemus attexere pluscula de emendationibus legum per correctionem, à Legislatore, vel magistratu circa leges constituto facienda, deque aliis ad prudentiam Legislatoriam pertinentibus, quæ hinc lucem accipere poterant. Item in unaquaque reipublicæ forma speciatim observanda monere proclive esset, nisi jam satisfecisse nos instituto nostro, & fidei datæ crederemus. Commentandi itaque finem facimus, postquam & Jurisconsultum esse legum interpretem probavimus, (*cap.* 1.) & interpretationem esse vitiorum sine mutatione sublationem docuimus: (*cap.* 2.) Legumque perfectione per partes enumerata, (*cap.* 3.) vitia iis opposita, cum suis emendationibus, interpretandi species exhibentibus, deducta dedimus: (*cap.* 4. 5. & 6.) iisque ipsis, in Jure consuetudinario quatenus insunt, perspectis, (*cap.* 7.) ad Jus scriptum nos contulimus, perfectiones ejus ac imperfectiones, (*cap.* 8.) additis medicantibus interpretationibus, (*cap.* 9.) recensentes. Ex quibus omnibus Antinomiarum genera, & conciliationes erutas dedimus, (*cap.* 10.) tandemque JCti habitum, & illius perfectionem

Anacephalæosis dictorum, & conclusio opusculi.


nem (*cap*.11.) plene definitam habentes, generalia quædam nunc demum προσθημάτων instar superaddidimus.

Qvibus omnibus ita expositis, puto nostris nos promissis uberrime satisfecisse. Interim hoc præmonitum volumus. Non a qvovis Legum studioso hanc nos exigere, quam descripsimus, perfectionem: sed ab eo solo, qui *perfectissimum* se sit *Juris Consultum* professurus: qvalem *vix singulas ætates unicum ferre Cujacius scripsit*, approbatus etiam *Mæstertio* in præfatione doctissimi sui de Justitia Legum Romanarum libelli, primo in 12ma, dein auctius longe in qvarta (uti vocant) forma recusi. Iis vero qui honestissimum studium in turpem quæstum convertere, & *candida de nigris, ac de candentibus atra* facere, vel lucelli cæca, & execrabili cupiditate, vel ambitione vana ducti sufficere sibi autumant,

οἷα τε πολλοὺς
Βόσκει γαῖα μέλαινα πολυσπερέας ἀνθρώπους.

illis vero ταῦτα πάντα ἐν γέλωτι καὶ παιδιᾷ εἶναι, haud illubentes fatemur: & solam legum scriptarum, aut consuetudinis forensis peritiam, cum modica Dialectices, Sophisticesque cognitione, vel nativæ calliditatis usu conjunctam, ad nectendos intricatissimos fraudum nodos cumulate satisfacere concedimus. Verum alia nobis mens, alius animus. Qvem etsi parum commode fortassis testatum nunc fecimus, humani aliquid hinc inde patientes: conatus tamen laudem, vel immeritam, aut certe veniam, ab æquioribus satis certam nobis pollicemur, imo spondemus; cujusvis correctioni placidæ, atque benevolæ aures promptissimas præbituri. Maledicorum vero amarulenta scommata, non magis nobis quam canum latratus, aut rudentium asinorum voces bilem movere, vel responsionem extorquere debent. Cum in ipsorum animis tetrum latitans vitium hac ratione nulla corrigendi spes sit. Qvod ergo reliqvum est, supremi Numinis sempiternæ, & inexhaustæ benignitati, cui unice acceptum ferimus, quod hunc laborem quomodocumq; finire licuit, gratias im̃ortales profitemur: ejusq; ineffabilem clementiam, ut porro animi, & corporis sanitatem ad ulteriora, & si fieri queat, utiliora publicanda indulgere nobis ne dedignetur, anxiis atq; sollicitis precibus serio obtestamur.

I. N. J. C.



I. N. J. C.

INDEX ALPHABETICUS MATERIARUM.

Ex ipso *contextu* operis *capitumque*, ac §orum *serie lemmatica*, *Typoque definitionum* ac *regularum non* æque facile *repetendarum*,

Cujus
Numerus 1. barbarus, *Caput*. II. Romanus §*um*, sequens barbarus, *marginalem sectiunculam*, vel (1) parenthesi inclusus, *regulam*: a *Additionem* designat.

A.

C.

D.

E.

inter.

I. *Javo-*

INDEX

I.

Int



MUSÆ JURIDICÆ
SIVE
OPUSCULA JURIDICA
NOVEM

Edita partim jam, & *recuſa*,
Confecta partim, & nunc *prodeuntia*,
Affecta partim, & olim *edenda*,
Concepta partim, ſed *derelicta*,
& *delineata* ſaltem,
aliis felicius *elaboraturis*

per
VINCENTIUM PLACCIUM,
Hamburgenſem.

ANNO cIↄ Iↄc VIIC.
HOLMIÆ & HAMBURGI,
apud GOTTFRIED LIEBEZEIT.

Q. D. B. V.

I. N. J. C.

TIBI

VIRO

NOBILISSIMO AMPLISSIMO

DOMINO

DIETERICO LANGER-MANNO

JURIS UTRIUSQUE LICENTIATO SPLENDIDISSIMO

CAUSSARUM OLIM PATRONO CONSULTISSIMO

SENATORI EXINDE TOT ANNIS PRUDENTISSIMO

AD SACRAM CÆSAREAM MAJESTATEM

ET MAGNATES ALIOS ALIQVOTIES

LEGATO

PRUDENTISSIMO FELICISSIMO

EXCELLENTISSIMO

INCLYTI COLLEGII

SCHOLARCHICI HAMBURGENSIS

PRÆSIDI DIGNISSIMO

EXOPTATISSIMO PROBATISSIMO

PROTOSCHOLARCHÆ MEO

LAUDES MEAS LONGE SUPERGRESSO

SILENTIOQUE MAGIS VENERANDO

INTERIM PUBLICE NOTISSIMO

MUSARUM HAMBURGENSIUM

DEO TUTELARI

EX MAJORUM GENTIUM MAXIMO

TIBI

TENUES HASCE MEAS

MUSAS JURIDICAS

THEMIDIS FILIOLAS

PALLADIS SORORCULAS

PHILOSOPHIAM JURISPRUDENTIÆ STUDIO

SOCIANTES

APOLLINEM

SIBI PROPITIUM QUÆRENTES

INTERPRES INDIGNISSIMUS

MERCURIUS EX COMMUNIBUS

COMMUNISSIMUS

EX PARNASSI MINORUM GENTIUM

NON DIVIS SED INCOLIS

MINIMUS

QUA POSSUM HUMILITATE

SISTO

COMMENDO

IN TUTELAM TRADO.

NEC

NEC NON ET

TIBI

VIRO

NOBILISSIMO AMPLISSIMO

DOMINO

PETRO ROVERO

JURIS UTRIUSQUE LICENTIATO

SPLENDIDISSIMO

SENATORIÆ DIGNITATIS FULGORE

SCHOLARCHICI MUNERIS AUCTORITATE

SOBRINI VINCULI CONSANGUINITATE

MIHI

DIVINITUS PRÆPOSITO

AD OMNEM

IN

VENERATIONE HUMILLIMA CULTUM

IN

CULTU DEBITUM OBSEQUIUM

IN

OBSEQUIO DEVOTISSIMUM AMOREM

LUBENS MERITOQUE

TENUES ETIAM HASCE MEAS

MUSAS JURIDICAS

OFFERO

DONO DICO DEDICO.

SINITE QUÆSO
MUSAGETÆ ATQUE MECOENATES
SUMMI
PATRONI FAUTORES ORNATORES
LITTERARUM ET LITTERATORUM
HONORATISSIMI
SINITE
LUBENTES FAVENTES
EXTARE
AC LICET INDIGNUS ID OPTET SCRIPTOR
TAMEN
VESTRORUM AMPLISSIMORUM
NOMINUM
MERITO MERITISSIMO
PERENNARE AC PERPETUARI
PUBLICUM HOCCE DOCUMENTUM
DEBITÆ PIETATIS ERGA
VOS
MEÆ
HUMILLIMI CLIENTIS VESTRI
VINCENTII PLACCII.



I. N. J. C.

OPUSCULA JURIDICA NOVENA hoc volumine contenta.



OPUSCULORUM
JURIDICORUM MISCELLORUM
I.

SYNTAGMA REGULARUM INTERPRETANDI

falſarum aliquot.

Ex

JCTI PERFECTI

ſui

Regulis demonſtratis


Refutatarum

per


VINCENTIUM PLACCIUM,

Hamburgenſem.


HOLMIÆ & HAMBURGI,
ſumptibus GOTTFRIED LIEBEZEITS, 1693.




LEMMATA
SYNTAGMATIS
Regularum aliquot Interpretandi falſarum.



XXXVI.







)o(

I. N. J. C.

B. L. S.

Syntagma hocce olim ante hosce XXX annos edito JCto perfecto meo succenturiatum, nunc denuo sisto, paucissimis obiter additis allegatis hinc inde auctum. Quando potuissent errores decuplo plures addi. Sed in exemplum hæc sufficere, atque meditantibus nostra, & recolentibus cœtera in exercitium egregium colligenda relinquere satius visum est. Nec enim ulla ratione sese explorare quisquam melius possit, num nostra intellectu & memoria compræhenderit: quam si quæ consona regulis illis alibi legat, ea suas ad sedes scientificæ Methodi revocare, quæ dissona, redarguere ex caussis veri, falsa unice refutatura solide, allaboret. Quod posterius agens verum omnino depræhendet,

quod Wiſſenbach. præfat. Diatribæ de Mutuo ſcribit hiſce verbis. Recteque quod de Philoſophis Cicero, id de Juris interpretibus uſurpetur: Neminem ægrotum tam infandum, tam abſonum, tamque abſurdum ſomniare, quod non dicat aliquis eorum, qui Jurisperitiam profitentur. Ut adeo neque primus, neque ſolus, poſt Anton. Gvil. Coſtanum Quæſtionum Juris lib. 1. c. 20. pt. n. 1. cogitare debuerim. Qvædam trita ſunt, & percelebrati Juris axiomata, quæ cum multos ante fefellerint, & nunc longe pluribus imponant, operæ pretium me facturum putavi, ſi ea breviter ſtricteque refellerem. Vale.

SYNTAGMA
REGULARUM ALIQVOT INTERPRETANDI FALSARUM
Ex positis in JCto perfecto nostro Principiis refutatarum.

SECTIO I.
De iis qvæ Generalibus nostris Regulis sunt oppositæ.


Tsi prævidebamus fore, ut præsens hoc nostrum institutum in censuras multorum, & repræhensiones incurreret; jactaturis aliis, non esse scientis, utpote jam confirmati, & satis certi de veritate suorum dogmatum, temere de iis disceptare, cum id à Dialecticis, extundendis rerum caussis, & indagandis, rectius adhibeatur remedium; aliis etiam arrogantiæ fortassis, & ambitionis, ac ostentationis inani studio nostro hoc imputaturis, qvasi tantis Doctoribus superiores nos monstrare studuerimus: non tamen à proposito nobis abeundum putavimus. Qvippe, & arrogantiæ notam facile nominis occultatione eluserimus, & qvamvis errores aliqvos summorum etiam Doctorum depræhendisse nos credamus: non tamen obtusa adeo gestamus pectora, ut inde iis doctiores nos, & præstantiores esse, vel nobis, vel aliis persvadere cupiamus. Etenim si ipsis in tanta doctissimarum & abstrusarum decisionum copia; semel atq; iterum error aliqvis subrepsit, qvem fortassis ipsi, studiosius scripta sua relegentes emendassent, isqve nobis animadversus est, propterea in reliqvis omnibus nos ipsis vel potiores, vel æqvales erimus.

Qvinimo nos ita ſentire edocti ſumus: Neminem eſſe qvin in aliqvibus plus nobis didicerit: multos vero eſſe, qvi in multis, & aliqvos etiam poſſe exiſtere, imo certò exiſtere, qvi in omnibus nobis ſint longe eruditiores. Interim tamen & hoc Philoſopho licere putamus, ut à qvovis, cujuscunqve ſit ille opinionis, auctoritatis, ac doctrinæ ſuis rationibus inductus diſſentiat, neq; hic vel patris, vel præceptoris reverentiam morari qvem debere: cum ſine læſione honoris nunqvam non debeat, ac poſſit hac in parte veritatis cauſſa defendi. Neqve enim in philoſophicis erraſſe probrum mihi, vel cuiqvam crediderim: errorem defendiſſe, oſtentaſſe, ſcienter ac conſulto propagaſſe, flagitium dixerim. Hæc animo agitantes, neceſſarium duximus, appendice hunc libellum noſtrum onerare. Cum neqve regulas omnes ſatis expreſſerimus, brevitatis nimio ſtudio, & temporis penuriæ ſervientes: & præterea vereamur, ne nondum ſatis cognita demonſtrandi methodo, interdum argumentorum noſtrorum pondera non ſatis imperitioribus, & opinionibus præconceptis, ac Doctorum famoſa celebritate nimis devinctis æſtimentur. Idqve eo magis, qvoniam non raro ſummi ſunt, ac numeroſi adeo auctores falſorum præceptorum qvorundam, inter ea qvæ refutanda nobis ſumpſimus, ut in communes opiniones abierint, & conſvetudine recepta jam dubitationem ferme ſuperaverint. Qvin & gloſſam nonnulla fovere videbimus, *cui adhærentem, æternum non poſſe errare*, affirmat Barb. *in conſ. Alexandr.* 55. *num.* 3. *lib.* 4. Et ſcribente *Guazzino* ad defenſ. Inqviſitor. & Carcerat. præfat. n. 38. - *Gloſſa in jure noſtro maximæ eſt auctoritatis, & cæteris antecellit. Butrius* in l. 1. qvi pro ſua Jdict. ubi ſubdit, niſi uſus fuiſſet in contrarium *Idolum juris & Advocatorem, & ſicut qvi neſcit æqvitare, debet ſe tenere ad arſonem: ita judex ad opinionem gloſſæ,* ut multas tradit *Maſcard.* de probat concl. 842. vol. 2. & Hieron. *Hiſpanus*, (alias à *Cœvallos*, celebris ille opinionum communium contra communes qvatuor Tomis in folio
con-

constantium collector.) præf. n. 61. &c. De glossæ auctoritate qvoq; vid. *Brunneman.* cons. 28. n. 32. & seqq. à qva nec interpreti, nec judici recedere permittunt. Bald. *consil.* 47. *n.* 2. *lib.* 4. *cons.* 349. *n.* 3. *lib.* 3. *cons.* 250. *n.* 2. *lib.* 1. *cons.* 351. *n.* 4. *lib.* 1. Fulgos. *ad l.* 3. *C. de Codicill. consil.* 21. *n.* 6. Ferrat. *caut.* 17. *n.* 3. Alexand. *cons.* 49. *n.* 12. *lib.* 4. *& cons.* 74. *n.* 24. *lib* 4. *cons.* 92. *n.* 4. *lib.* 2. *cons* 51. *n.* 4 *lib.* 4. *cons.* 92. *n.* 4. *lib.* 2 *cons.* 55. *n.* 30. *lib.* 4. Anch. *cons.* 83. *pr.* Cynus *in l. non norit. C. de contr. & comm. stip.* Curt. Jun. *cons.* 342. *n.* 15. *&* 343. *n.* 14. Jo. de Imol. *cons.* 140. *in f.* Rol. à Valle. *cons.* 14. *n.* 44. *lib.* 3. *cons.* 73. *n.* 13. Jas. *in l. ut vim ff. de just. & jur. n.* 34. Homod. *cons.* 243. *n.* 10. Castilio *cons.* 37. *n.* 35. Castren. *cons.* 168. *in f. lib.* 2. *cons.* 269. *n.* 3. *lib.* 1. Decius *in c.* 1. *de postul. prælator.* Jacob Butrius *in l.* 1. *C. qvi pro sua jurisd.* Socin. *cons.* 80. *n.* 4. *vol.* 1. Fr. Vivius ab Aq. *comm. opin. lib.* 1. *judex in judicando, & lib.* 2. *filius fratri, n.* 4. *&* 5. Mascard. *de probat. col.* 2. *concl.* 842 Palat Rubeus *in cap. per vestras not.* 5. *n.* 8. Bermond. *tit.* 5. *de adulter. n.* 50. Aviles *in c. prætor. c.* 1. *n.* 15. & qvos hi præterea alios adducunt, qvosqve coacervat Cænedo *collectan. part.* 2. *collect.* 18. *n.* 6. *& alii.* Qvæ cum ita vulgo doceantur, neq; tamen negari possit, veritatem omnibus glossis præstare, & glossam, saltim esse probabilem, apud omnes saniores constet, cum humana auctoritate nitatur, Barthol. *in l.* 1. *ff. si cert. pet.* imo sæpe sit erronea, teste Zas. *n.* 2. *ff. usufr. qvemadm. cav.* & aliis pluribus, unde & alii Dd. rectius hanc regulam concipientes, tum demum glossam recipi voluere, ubi non adest alia interpretatio, & melior sententia, & ubi lex definit: hæc inqvam cum ita sint, decretum nobis est, sententias, & glossæ & Doctorum aliqvot de interpretatione, qvæ & maxime freqventer adhibentur, & plurimum à vero abeunt hic proponere, qvo cavere easdem imposterum veræ justitiæ amatoribus liceat.

I. Principio itaqve, ut rem aggrediamur: *Interpretor, id est corrigo, inqvit glossa ad l.* 1. *§. qvi operas, ff. ad SC. Tertull.* item *addo*, & sic Alb. de Rosat. *ad h. l.* & Dd. alii, Bart. Bald. &c. & Everh. *loco à rat. leg. n.* 4. Hoc si admittimus, erit interpretis addere, & corri- An JCti sit corrigere leges ?

corrigere: qvod eſt contra definitionem noſtram, & Reg. 1. ubi manere partes legis voluimus, item Reg. 11. ubi mutationem, & ſeqq. ubi additionem, & demptionem prohibuimus. Verum enim vero cum & vocis interpretari æqvivocationem in JCti noſtri cap. 2. §. 2. attigerimus, & ipſa gloſſa, & DD. alii plurimi per ea qvæ ad cap. 9. §. 5. litt. o. p. q. citavimus, correctionem legum evitandam interpreti moneant: non eſt qvod hæc vocum difficultas qvemqvam magnopere moveat, qvominus firmiter teneat, JCtos leges corrigere nulla ratione per additionem debere. An vero corrigere recte dicatur interpres, de voce qvæſtio eſt, & Ariſtotelem qvoqve *Nicom.* 5. *cap.* 14. & *Eudem* 4. *cap.* 8. ἐπανορθωτικὸν æqvum dixiſſe legimus: nobis rem tenere, & mutationem excludi ſcire ſuffecerit. V. Sebaſt. Sap. *in cap. ſuper qvæſt. extr. de Offic. delegat. n.* 8. &c.

An communis opinio interpretum ſemper admittenda.

II. Magis illorum nocivus eſt error, qvi cenſent Interpretis officio convenire, ut communi opinioni Doctorum, ſive aliorum interpretum jam receptæ ſtet, & inhæreat. Qva in ſententia videmus eſſe Bartol. *in l.* 2. *C. de pœnis jud.* & ibidem alios Dd. multos, imo pleroſqve: Alfonſ. Moditium *in §. lex eſt. Inſt. de J. Nat. G. & Civil.* ibiqve Alexand. *conſ.* 95. *lib.* 2. & *conſ.* 31. *lib.* 5. & *conſ.* 25. *n.* 2. *vol.* 6. Curt. ſen. *conſ.* 43. *n.* 3. & *conſ.* 57. *n.* 9. & 13. & apud Helfr. Hun. *de author. Jur. Civ. & Canon. part.* 1. *c.* 15. Mariam Coratium *præfat. tract. de comm. Dd. opinione n.* 30. Fr. Mant. *de conject. ult. volunt. lib.* 6. *tit.* 6. *n.* 11. Tib. Decian. *reſp.* 70. *n.* 14. Jacob Menoch. *lib.* 2. *præſumpt.* 71. *n.* 4. Alciat. *de præſumpt. regul.* 1. *præſ.* 51. *n.* 2. Petr. Joh. Ancharan. *lib.* 3. *q.* 63. *n.* 6. M. Anton Natta. *conſ.* 149. *n.* 6. 7. *vol.* 1. Jacob Philipp. Portium. *conſ.* 3. *n.* 25. *vol.* 1. Ludolph. Schrader. *conſ.* 13. *n.* 162. *vol.* 1. & *conſ.* 49. *n.* 20. *vol.* 2. Weſemb. *conſ.* 88. *n.* 25. *vol.* 2. Hartm. Piſtor. *lib.* 1. *q.* 30. *n.* 7. Joh. Sichard. *ad auth. ſacr. impuber. n.* 18. *C. ſi adv. vendit.* Conſ. Marpurg. *n.* 136. *vol.* 2. Joh. Borchold. *conſ.* 15. qvibus adde ex Card. Tuſch. *pract. concluſ.* O. *concl.* 150. Corrad. Breviar. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 22. & *ſeqq.* Alexand. *conſ.* 12. *inf. lib.* 3. Barbat. *in conſ. Alex.* 55. *n.* 27. *lib.* 3. Roman. *conſ.* 139. *n.* 2.

n. 2. Ang. Aretin. *conf.* 9. *n.* 10. Rol. à Valle *conf.* 60. *n.* 40. *lib.* 1. & *conf.* 16. *n.* 24. *lib.* 3. Jafon. *conf.* 195. *lib.* 4. *in f.* Socin. Jun. *conf.* 1. *in f.* & *conf.* 3. *in f. lib.* 1. Et præter hos omnes fi confulere placuerit, Ang. Mattheacium *de via & rat. juris, lib.* 2. *cap. ult.* ubi multa in utramq; partem adducit. Neq; negligendi omnino, Menoch. *conf.* 59. *n.* 8. & *conf.* 60. *n.* 12. & Hartm. Pift. *lib.* 2. *p.* 1. *q.* 1. *n.* 84. & accumulans auctores Hieronymus de Cævallos *præfat. in opin. Commun. contra comm. n.* 30. & *feq.* Et *Guazzin.* ad defenf. Inqvifitor. & carcerat. præf. n. 35. ita fcribens: *Judex in judicando præ oculis femper habere debet com. O. cum fit nefas in confulendo & judicando ab ea recedere.* l. 1. v. fane crebrior ff de off. Qvæft. l. Qvæfitum. §. fed fi fundus. ff. de fund. inftr. *cum C. O. fit lex, & tanqvam lex posfit allegari, & ignarus nimium judex effet, qvi contra communem judicaret. Ang.* in l. f. ff. de pœn. jud. *Fel.* in c. 1. in f. de Conftit. *Jaf.* in authent. noviff. n. 22. C. de inoff. teftam. *Alciat.* de præfump. p. 1. reg. 1. *Navar.* in fua apologia de reditibus. q. 1. monito 38. p. 150. de quo late Hieron. *Hifpan.* (de *Cævallos*) tr. Comm. contra C. n. 30. & feq. *Nifi tamen contraria O. effet melioribus rationibus* fulta. *Laurentius de Pin.* conf. 5. n. 86. *Curt. Jun.* conf. 29. n. 11. conf. 60. n. 11. conf. 63. n. 3. ubi teftatur de communiori & veriori opinione *Capi Blanc.* Tr. de potent. & auctor. &c. Dein num. 36. *Sed qvando funt duæ opiniones contrariæ, qvarum una fit communior, altera æqvior in judicando & confulendo feqvenda hæc erit.* Fab. *Turret.* conf. 5. n. 18. & feq. *Farinac.* conf. 59. n. 37. inf. Hier. *Hifp.* (Cœvallos) d. præf. n. 40. & feqq. &c. Addantur *Cubach* Brocard. c. 24. pag. m. 455. & 489. & feqq. *Everhard.* loco legali 95. *Unverfährt* Pæd. Jprud. c. 6. §. 70. & feqq. Et de Opinionis communis etiam contra leges origine, vid. præfat. *Ziegleri* ad c. redintegranda X de reftit. fpol. prolixe. & Phil. *Burchard.* de nœvis Jurisprudentiæ, poft initium ftatim plufculis foliis. Ex qvibus locis omnibus etfi confenfum auctorum fere innumerabilium liceat colligere: non tamen moveri poffumus, qvin & hic aliqvam falfitatem nobis notemus. Cum enim opinionem communem pleriqve non eam

eam qvæ est verior, sed qvæ est freqventior, & pluribus approbata testimoniis, nuncupent, uti ex ipsis citatis eorum locis fieri potest conspicuum, & imprimis ex Ang. Mattheac. & Card. Tuscho. *O. concl.* 149. Immo cum communis opinio constituatur consentientibus septem Doctoribus, inter qvos sit unus antiqvus, juxt. Anton. Mari. Coratium *de comm. DD. opinione tit.* 3. *n.* 19. non possumus non hic ab ipsis dissentire. Nam cum errare omnes possimus: neqve ex consensu omnium, qvod admittebat Salamonius *ex §. Responsa prud. instit. de jur. Nat. Gent. & Civil.* neqve ex plerorumqve veritas æstimari debet: sed ex solis rationum ponderibus. Ipseqve adeo Imperator voluerit l. 1. §. sed neqve C. de Vet. Jur. enucl. ne semper ex multitudine auctorum, qvod melius & æqvius est judicarent, cum possit unius forsitan & deterioris sententia & multas, & majores in aliqva parte superare. Ut ita verisimile qvidem, at non verum possimus qvidqvam judicare, exinde, qvod multi in illud consentiant, Arist. 1. *Top.* 1. & opinio Doctorum qvorumcumqve saltim sit probabilis, non necessaria, teste Accursio *l.* 1. *C. de legg.* & apud Vigel. *Method. jur. controver. lib.* 1. *c.* 3. *reg.* 1. Jo. Bapt. à Villalobos, *comm. opin. A.* 161. *C.* 107. Emanuel Soarez de Ribeira *Thesaur. receptar. sentent. A.* 293. & 294. Fr. Vivæ ab Aqvila *comm. opinion. lib.* 2. *glossa n.* 5. Fichard. *in addition. ad Villalob. F.* 60. §. *contrar. tamen. vers. ult.* Zas. *lib.* 2. *respons. c.* 1. & apud Constantium Rogerium *de juris interpretat. cap.* 3. *n.* 4. Hostien. Jo. Andrea. *in c.* 1. *de constitution.* Panorm. *in c. ex litteris de sponsal.* gloss. *c. judice.* 3. *q.* 7. & *in l.* 1. *versu sed neqve. C. de V. I. E.* Butrio, & Panormitano, *in c. tua de usuris. Idemqve in cap. calumnia, de pœnis.* Angel. *in l. non ignoret. C. de fruct. & lit. expensis.* Nevizan. *Sylv. nuptial. lib.* 5. *num.* 66. & *seqq.* ubi plures citat: & proinde rationes in contrarium admittat, & nulla sit, si rationibus vel legibus convincatur, teste apud Hunn. *l. c.* Matth. Colero *de process. exec. part.* 1. *qu.* 6. *n.* 101. Hartm. Pistor. *observ.* 216. *n.* 62. Jacob. Philipp. Portio, *cons.* 8. *n.* 57. *vol.* 1. Jo. Vincent. Honded. *cons.* 39. *n.* 39. *vol.* 1. & aliis pluribus, Decio. *cons.* 257. *in pr.* Barbat.

*conf.*28.*n.*2.*vol.*1. Abb. *in c.*1. *de constit. & in c. ex litteris. de sponsal. & in c. Tua nos. n.*9. *de usuris.* Alfons. Modit. *in* §. *lex est instit. de J. Nat. Gent. & Civ. dubit.*35. *n.*2. Qvæ est ipsa communis opinio, secundum Curt. Jun. *conf.* 63. *n.* 3. & *conf.* 160. *n.* 12. apud Villalob. *comm. opin. C.* 107. Rimin. jun. *conf.* 405 *n.* 20. Surdum. *conf.* 294. *n.* 29. Unde recte laudat Harprechtus, *comm. in Instit. de J. Nat. G. & C.* §. *responsa.* 8. *n.* 9. cum adductis ibidem. Wesemb. Vultejo, & Mynsingero *ad d.* §. Nielio *disput. feudal.* 1. *th.* 5. *litt. d.* Everhardo. *in præambulo locor. legal. n.* 29. & *loco ab auctoritate n.* 3. & *seqq.* Anton. Fabr. *Jurisprud. Papin. Tom.* 1. *tit.* 2. *princip.* 9. *illat.* 3. dictum illud: tantum Doctoribus credendum esse, qvantum probant. Adde Anton. Mariam Coratium. *comm. de opin. tit.* 12. *n.* 10. & 13. Ut adeo per se nulla sit necessaria veritas Doctorum opinioni tribuenda, nisi quatenus illa cum vero consentit, adeoqve rationem, ex qva nos omnia unice æstimamus, habeat junctam. Communis enim opinio non facit legem. Lancellott. *Polit.* de Advocat. Offic. c. 10. n. 6. neqve mutat veritatem. Ibid. adde *Struv* Exercit. 2. th. 51. Vide si lubet præterea Zasium *in l.* 2 *ff. de Orig. jur.* *Pratejum in lexic. voc. interpretatio*, & ex citatis imprimis Hunnium, & Mattheacium. Unde concludimus inutiliter hanc positam esse regulam, cum saltim eousqve Doctorum opinio valeat, qvousqve cum ratione recta, & præceptis interpretandi à nobis propositis congruit. Qvare & ad ea restringitur multis limitationibus, & fallentiis, qvas hic transcribere, indicatis ipsarum auctoribus, merito pigramur.

III. Ex eodem principio patet, qvod sit parum etiam attendenda regula illa, qvam sibi finxere, dicentes, in interpretatione morem antiqvum esse servandum. Id qvod Odofred. *de libell. formand. part.* 1. *c.* 3. *n.* 3. *ex l. testament.* 18. *C. de testam. & l. de qvibus ff. de ll.* interpretatione non tolerabili extorqvere laborat. Nam qvamvis leges nullæ possint regulas interpretandi ex scientificis principiis ortas, & veritatis æternæ participes mutare, ceu patet ex adductis *cap.* 12. §. 3. *litt. a. b.* adeoqve nobis propositum sit, non refutare

An sententiæ antiqviori interpretum sit insistendum.

refutare leges ab auctoribus à nobis citandis, pro falsarum regu. larum probatione adscriptas, qvas plerasqve omnes non dubita. mus, temere in partes vocatas pronunciare: nihilominus hic ni. mis gravis nobis Odofredi videtur lapsus. Nam neqve lex Co. dicis aliud, qvam de loco asservandarum testamenti tabularum loqvitur, qvi ob fraudes impediendas mutari sine caussa non debe. bat: neqve lex ff. qvidqvam præterea dicit, qvam consvetudinem deficiente lege attendi. Et tamen hic consentiunt cum Odofredo Steph de Phedericis *de interpretat. leg. part. ult. n. 64. & 72.* nec non Alexand. *cons.* 51. *n. 5. lib. 4. & cons. 55. n. 14. & 34. lib. 4.* Jo. de Anan. *cons. 28. n. 3. &c.* Adde *Baldum* apud *Ziegl.* in c. redinte. granda c. 4. n. 12. & *Guazzin* Tr. in defens. Inquisitor. & carcerat. præf. n. 37 ubi sic legas. *Et Doctoribus modernis asserentibus ali. qvam esse communem opinionem, magis creditur, qvam antiqviori. bus. Grat.* cons. 88 n. 2. lib. 2. *Sed opinionem antiqvorum, si non fuerit improbata, judex seqvi debet; cum steterit ad supplicium im. pugnantium, tanqvam aurum in fornace.* Ana. in c. tua nos. n. 4. de usur. *Rom.* in l. si vero §. de viro. n. 102. ff sol. matrim. Hier. *Hisp.* in d. præf. n. 43. *Et in legendo magis qvam consulendo creditur Do. ctoribus. Bart.* in l. si pater n. 2. & ib. *Jac.* n. 15. de instit. & substit. *Alex.* cons. 185. n. 25. vol. 2. *Menoch.* de præsumpt. 72. lib. 2. n. 48. & seqq. *Ac etiam Doctori distingventi magis credendum est qvam alteri, cum distingvens dicatur proximus veritati. Salic.* in l. filiæ cujus n. 2. C. fam. hercisc. *Menoch.* de præsumt. n. 71. n. 47. Et *judex debet inhærere opinioni a consvetudine comprobatæ, licet communis opinio fuerit in contrarium. Alciat.* præsumt. 30. reg. 2. n. 3. *Gomez.* in l. 1. Tauri n. 8. *& stare debet opinioni ultimo loco relatæ, qvando Doctor refert plures opiniones, & nullam expresse approbat.* Jas. in l. pacta novissima. C. de pact. *Felin.* in c. 1. n. 107. de constit. *Grat.* n. 487. qvi ponit ad istam opinionem 7. limitationes. Hier. *Hisp (Cævallos)* præf. n. 79. & seqq. Unde ut paucis hic respondeamus, cum in hominum sententiis & auctoritatibus nulla sit veritas, nisi qvatenus in rationibus, & caussis suis eæ sunt fundatæ: patet

anti-

antiqvitatem nihil hic operari. Imo non putaverim à vero eum ablusisse, qvi hactenus synesin nostram in prima sua juventute positam, inqve antiqvis scriptoribus, & legum commentatoribus vagitus, in recentioribus primam balbutiem se agnoscere ajebat. Qvo posito, sane in contrarium potius regulam hanc flectere, & conformare debebimus.

IV. Hisce ita positis, qvid faciemus illi, qvi absurdam interpretationem perhibet, qvæ non consonat auribus vulgi. Uti ex Sixtin. *de regal.* & Roland. à Vall. *conf.* 82. *n.* 11. probat Forsterus *de Interpret. lib.* 2. *cap. ult. Reg.* 23. *nu.* 3. Sane si nec peritioribus, nec omnibus, nec plerisqve hoc loco accredi quidquam debet, præter ea qvæ rationibus probant: vulgo fidem in interpretando adhibere velle, sane plus quam temerarium, & absurdum omnino fuerit. Nisi forte ad usum vocum vulgi usu tritarum hanc præceptionem, adeoq; *nostram Reg.* 159. restringas, de quibus ex *Flacco* monuimus, quod eum *penes sit arbitrium, & jus, & norma loqvendi.* Cœteroqui vero manebit utiq; firmum, ut quod firmissimum: non ex opinione ulla interpretem legi sensum debere tribuere: nisi quam Legislatorem habuisse verosimile sit. *Reg.* 58. Secus si faciat, totam interpretandi rationem æque atque opiniones verosimilem, id est à falsitate numquam securam consequetur, & perfectionem debitam numquam attinget. Absit itaque à JCto nostro, ut umquam sine ratione sequatur quovis in casu aliorum sententiam ne in ipsum quadret joculare illud, sæpius repetitum D. Hartm. Pistoriis. *lib.* 1. *Qv.* 24. *n.* 37. & *Qv.* 30 *n.* 21. & *lib.* 2. *Part.* 1. *Qu.* 1. *n.* 86. & *Qv.* 5. *n.* 14. Interpretes nimirum imitari aves regales, quarum unam prætervolantem si reliquæ conspexerint, omnes turmatim inseqvuntur: cui congruit illud Mattheacii qui aves, & oves eodem sensu ipsos referre dixit: adde si lubet ipsis laudatos Dec. *conf.* 479. & 481. *n.* 12. &. 576. & 630. Villalob. *opinion. comm. c.* 107. Roland. à Valle. *consil.* 100. *inf. vol.* 2. Bello. *conf.* 59. *n.* 12. & Borg. Cavalcan. *de Usufr. mulier p.* 414. Cardinalem *Manticam* apud Anton. *del Re* de Juramento Calumniæ c. 16. n. 96.

An vulgi opinioni se accommodare debeat interpres.

aliosque. Quin potius ubi rationem inveniet, eam tanquam unicam fidam ducem sequetur: secus neque laudabit, neque vituperabit, sine caussa asserentes. Idem de glossa dictum volumus, cum & illa, nil sit nisi Doctorum singula verba interpretantium opinio. Ut adeo merito *ridiculum* sit *allegare glossam eum habens textum* Gail. 10. 153. n. 8. *Carpzov*. p. 4. const. 35. def. 11. n. penultimo.

An interpretatio possit esse melior sensu.

V. Superflua quoque est, & inepta regula illa: quod interpretatio numquam tantum valere debeat, ut sit melior sensu, quam tradunt Paul. Balzaran. *de Feud. t. 7. de nova fidelit. n.* 21. & apud Forster. *de Interpr lib 2. cap. f. reg.* 21. Cephal. *cons.* 765. *n.* 55. Cum enim sensus legis sit idem, quod voluit dicere Legislator, idipsum vero incumbat dicere interpreti, per *Reg.* 14. patet interpretationem esse ipsum legis sensum, adeoque idem cum lege, & proinde ineptam esse hanc comparationem: vide qvæ citavimus *cap.* 2. §. 4. *litt. vv.*

SECTIO II.

De caussis legum, & rationibus.

VI.

An nullæ sint rationes qværendæ.

PRogredimur ad ea quæ caussis & rationibus legum indagandis contraria nobis auctores dixerunt. Inter quæ primo se offerunt illi, qui rationes nullas quærendas censuerunt, supersederi hoc labore posse autumantes, id quod facere videmus Jo. Fabr. *ad §. f. Inst. si quadr. paup. fecisse dic.* & alios plures Doctorum *ad l. non omnium ff. de ll.* Quam ipsam tamen & nos sumus interpretati *c.* 4 § 11. & aliter plurimi DD. interpretantur, quorum commentaria extant: videantur Donell. 1. *comm. cap.* 13. Anton. Faber *ad h. l.* & alii, Gammar. *de scient. Jur. n.* 22. *&* 23. Connan 1. *comm. c.* 8. Menoch. *de arbitrar. cas.* 81. *n.* 14. Alber. Gentil. 2. *lect. c.* 2. & plures, apud Forster. *de interpr. lib.* 2. *cap.* 1. §. *do caussas num.* 2. Ubi videsis Vultejum interpretationem nostram ap-

pro

probantem. Cum itaque rationem dare τὸ esse legi, & ex ea præcipue extendi, atque restringi, & JCtum æstimari fuse satis sit expositum *cap.* 4. §. 11. & *c.* 5. §. 10. & *c.* 11. §. 1. jam supervacaneum fuerit pluribus contra hanc sententiam disputare.

VII. Contrarius Fabro est Corasius *de arte juris lib.* 1. *cap.* 3. cum aliis summis Doctoribus, qui omnium legum rationes dari posse statuunt. Id quod procedere æque parum posse, liquet ex dictis à nobis *cap.* 4. §. 11. *& seqq.* ubi ex opinione, necessitate, & reliquis caussarum generibus leges proficisci posse docuimus. Unde hoc effatum pariter à vero nos abducet, nisi caussas nomine rationis intelligamus, eatenus ad minimum, quatenus omnes caussas fere aliquid rationis continere exposuimus *cap.* 4. *&* 5. An omnium legum rationes sint quærendæ.

VIII. Non placet etiam Clarissimus Duarenus *de LL. c.* 6. ubi putat ejus juris quod certum est rationes quærere, nos prohiberi, *ex d. l. non omnium ff. de ll. & l. prospexit. ff. qui & à quibus man.* & subjungit. *Tunc enim ratio inquirenda est, cum de juris dubii interpretatione agitur: ne adversus veterum præcepta peccemus, qui in repub. illud maxime improbant, ζητεῖν τῶν νόμων σοφώτερον εἶναι, ut inquit Aristot. lib.* 1. *Rhet. c.* 37. *& Thucid. lib.* 3. *in concione Cleonis.* Hæc ille. Patet tamen ex iis, quæ nos attulimus *cap.* 4. § 4. contrarium. Nempe rationes legum ubicunque inveniri queunt, quærendas esse, & assignandas, & iis deficientibus caussas; cum & omnis lex restrictione indigeat, quæ per rationem ejus quam rectissime, & ea deficiente per caussas alias perficitur: & extensio, cujusque leges possit requiri, quæ secundum *reg.* 129. ex ratione unice dependet. Neque hoc erit legibus sapientiorem esse, vel præter leges, sed cum illis sapere. Quippe quarum non subvertere, sed stabilire usum ex indagata ratione laboramus, & amplificare. An saltim in dubio ratio legis quærenda?

IX. Neque parcere hic possumus Baldo, dicenti *ad l. si defunct. Cod. de suis & legit.* Ubi ratio non est scripta in lege, non posse nos super ea nos fundare. Cui consentit Alexand. *consil.* 55. *inf. lib.* 1. & Anchar. *in c. can. statut. circa f. ext. de const.* Etenim fuse satis An ratio nulla accepranda, nisi quæ in lege sit scripta.

ſatis expoſitum dedimus, quæ ſit neceſſitas, quæve liceat inveni-re fundamenta aſſignandi rationes, etiam non extantes in ipſis le-gibus, nec ab aliis nobis Hiſtorica fide narratas. Quæ omnia plus-quam ſatis hæc refutant. *vid. cap.* 4. §.9.11.13.15.& 17.

An ſufficiat rationem legis ſe ad ſpecies ſolas, non vero ad individua extendere.

X. Non audiendus etiam eſt Jacobus de Arena, *apud* Gam-mar. *de extens. n.* 29. qui ut legem proſpexit ff. qui & a quibus ma-num. in qua ipſe cum multis alii miſere circa eam ſe macerantibus parum, aut nihil perſpexit, interpretaretur, ait: *Quod rationa-bilitas legis attendi debeat in generibus ſingulorum, non autem in ſin-gulis generum, & quod ſufficiat legem eſſe rationalem in genere, licet ratio non poſſit poſtea adaptari ad ſingulas ſpecies.* Quod ſi conce-dimus, jam concidit demonſtrata nobis *Reg.* 19. quod ratio debeat eſſe univerſalis, imo cum ratio, ut diximus *cap.* 4. §. 9. conſtituat propoſitionem ſyllogiſmum facientem cum lege, ſi ea non fuerit univerſalis, neque lex talis erit, adeoque per poſita *cap.* 5. §. 2. jam nihil tuto ſub ea ſubſumetur, & ipſa fiet plane eluſoria.

An in dubio una ſola ratione motus legislator præſumatur.

XI. *Nec illos audio*, infit Coraſius, *de Juris arte part.* 4. *cap.* 5. *qui putant, in dubio variis rationibus motum legislatorem, ubi una probabilis occurrit, cui adhæſiſſe legislatorem veroſimillimum eſt; cum regulare ſit, in actionibus hominum non præſumi pluralitatem.* Di-verſum tamen nos, niſi fallor, clare demonſtravimus. *cap.* 4. §. 9. *Reg.* 39. Id quod etiamnum tenemus, ex eo quod Legislatoris prudentis eſt, leges pluribus modis reipublicæ profuturas potius, quam una ſola ratione id præſtantes excogitare. Pro prudentia vero legislatoris præſumendum eſſe, & *Reg.* 7. docet, & auctores ibidem laudari confirmant. Neque hinc actionum pluralitas in-ducetur: ſed cauſſarum eandem actionem ſuadentium rationa-bilis & prudens circumſpectio. Neque procedit hic argumentum Galeſii, *de exercitat. JCtor. lib.* 1. *n.* 46. ex D. Thoma petitum, dum ait, rationem legis eſſe cauſſam formalem legis, unde fieri non poſ-ſe putat, ut cum duæ formæ ejusdem rei non dentur, ejusdem ta-men legis plures exiſtant rationes. Relicta enim hic majore, ta-men quam evidenti falſitate minor laboret, non poſſumus non in-dicare,

dicare. Nullo enim modo forma, ſed finis legis eſt ratio. Unde ſicut ejusdem actionis plures eſſe poſſe fines, etſi non contrarios, apertum eſt: ita & legis rationes eſſe diverſas, non tamen oppoſitas, nullum involvere abſurdum, recte exinde concludimus. Et quamvis replicare liceat; quod hæ ipſæ rationes, cum non ſint diverſæ, neceſſe habeant tandem in unam aliquam ultimam convenire, adeoque unum quid eſſe: patet tamen neque hoc dictis noſtris officere; cum de rationibus propinquis, non remotis nobis ſermo ſit. Cæteroqui haudquaquam nos fugit: ſi extrema, & ultima hic ſequi placeat, omnes rationes in utilitatem tandem reipublicæ, vel honeſtatem, aut, ut uno verbo dicamus, in conſervationem ſocietatum humanarum convenire. Quam propterea finem ultimum, & omnium rationum ſcaturiginem, & receptaculum poſuimus.

SECTIO III.
De reſtrictiva Legum Interpretatione.

XII.

An nulla detur Reſtrictio.

RESTRICTIONEM omnino nullam admittunt Cephalus *conſ.* 351. *n.* 38. & Albericus de Roſate apud Forſter. *de Interpret. lib.* 2, *cap.* 3. *n.* 3. qui, *ſi ratio*, inquit, *non eſt ſcripta in ſtatuto, eſto quod millies appareret de mente condentium, non recedam a verbis, nec reſtringam ad mentem.* Quæ ſane oratio mentis expers videtur, & contra communem omnium omnino Doctorum conſenſum millies indicatum, quo mentem verbis prævalere dicunt, quorum aliquos nominavimus *ad cap.* 9. §. 9. Unde non eſt niſi quod rideamus ita loquentes, & helleborum potius, quam reſponſionem aliquam offeramus. Quid enim æque inſulſum, quam ſermonem in id unum natum, ut voluntatem indicet utentis, ipſi voluntati præferre? Si quis puer ita ſentiret, num toleraretur?

An ubi verbi legis ibi & continuo lex locum habeat.

XIII. Ex eodem principio rejicimus regulam hanc: quod ubi verba legis, vel ſtatuti conveniunt, ibi & ſtatutum habeat locum, vid. Cacheran. *deciſ. Pedemont.* 58. *n.* 3. & apud eundem memoratos, Alexandr. *conſ.* 54. *col.* 2. *verſ. quibus tamen non obſtant, vol.* 4. Fel. *in cap. nonnulli in pr. col.* 71. *de reſcr.* Hipp. *Sing.* 339. Cæteroqui enim quoties, vel ratio, vel alia cauſſa legis ceſſaret, reſtrictio ſuſpenderetur, & mens legis intercideret. Niſi ergo reſtrictionem hic excipias, falſa erit regula, non ſecus ac antecedens.

An reſtrictiva interpretatio ad orationem & proprietatem ejus ſit referenda.

XIV. Reſtrictionem quoque notandum eſt non omnibus Juris interpretibus eodem ac nobis ſenſu ſumi. Nempe non pauci illud interpretandi genus reſtrictionis nomine denotare amant, quando vox generaliter ſeu late ſignificans aliud, aliud ſtricte, quales Analogas diximus *cap.* 8. *§.* 9. ſumitur potius ex mente legislatoris, per rationalem, vel intellectivam interpretationem inveſtigata, in ſtrictiori, quam latiori ſignificatu, idque ſive in dubio fiat, ſive contra proprietatem vocis per Rationalem Grammaticam interpretationem de quibus *cap.* 9. uberrime commentati ſumus. vide Forſter. *de Interpr. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 2. Gammar. *de extenſ. n.* 40. Hahn. ad Weſembec. *paratitl. ff. de legg. n.* 8. *p. m.* 131. Donell. 1. *comm. c.* 13. Hunn. *de authoritate, & interpr. Jur. part.* 2. *cap.* 3. *& ſeqq.* Stephan. de Phederic. *par.* 1. *memb.* 3. *pr. de Interpret.* Quibus ita poſitis jam non eſt, quod miremur regulas inde orientes v. g. Reſtrictionem fieri ex proprietate verborum. Phederic. *part.* 1. *membr.* 3. *n.* 6. *& ſeqq.* Hunn. *l. c. cap.* 8. & Forſter. *l. c. n.* 24. Item ex communi uſu loquendi, quem hinc patet eosdem, locis citatis, a proprio diſtinxiſſe, de quo poſtea *Regul. falſ.* 53. ſermo inſtituetur. Quæ omnia, ſi de noſtra reſtrictione intelligerentur, forent admodum ridicula, utpote quæ neglectis penitus verbis, ſolam legislatoris mentem, ſive ea verbis conſonet, ſive diſſonet, ubi locum habeat nec ne, in ſingularibus decidit. Colligere etiam hinc licet ſummam, & temerariam vocis improprietatem,

tem, qua reſtringi dicitur lex, quando mens legislatoris vera, propriis vocibus congruens in caſu dato locum habere dicitur. Huc pertinet illud *Vulteji ſcribentis extenſionem æque ac reſtrictionem pendere*, ex latitudine & anguſtia partim rationis & verborum, principior. Jprud. lib. 2. p. m. 56.

XV. Superfluæ quoque ſunt Regulæ reſtringendi, quas accumulant ſine judicio Doctores, inter quos Hunnius *cap*. 3. *part*. 2. haſce enarrat. Nempe quod reſtrictio fiat (1.) ex ratione legis ſtricta. (2.) Ex æquitate. (3.) Ex aliis partibus, cum antecedentibus, tum conſequentibus ejusdem legis. (4.) Ex alia lege. (5.) Ex ſubjecta materia. (6.) Ex abſurdo. (7.) Ex verborum proprietate. (8.) Ex conſuetudine & praxi. (9) Ex communi uſu loquendi. Quarum ſeptima, & nona huc non pertinent, ex iis quæ circa regulam præcedentem diximus. Prima eſt ex iis quas nos primarias poſuimus: ſecunda compræhendit primam, & omnium generaliſſime de reſtrictione loquitur; ac ſi Medicus diceret, corpora debere purgari ſecundum leges artis Medicæ. Nam æquitas exigit, ut ex ratione lex reſtringatur. Tertia vero 4. 5. & 6. indicant fontes, eosque non omnes, unde cauſſæ reſtringendi petuntur, & reſpondent regulis noſtris. 38. *& ſeqq. & reg.* 344. Denique nona legis interpretem conſuetudinem aſſerit, quatenus in legem abiit: id quod plane alterius eſt loci, & a nobis etiam indicatum. *cap*. 7. §. 5. Unde haud obſcurum eſt vitium harum regularum. Ita & reſolve, quod adfert Phedericus, *part*. 1. *membr*. 3. *num*. 4. *& ſeqq*. nec non quæ multis capitibus coacervata proponit Coraſius *part*. 4. *de Juris arte*: ubi poſtrema capita ſolas enumerant circumſtantias, quæ poſſunt efficere, ut cauſſa legis ceſſet, quæ tamen infinitæ ſunt, neque numerum patiuntur. Idem agit Alciatus. *de Verb. Sign. n*. 23. *& ſeqq*. 68. 77. 78. 106. 116. 117. *&c*. & ſatis copioſe Ludov. Carbo a Coſtacciaro, *de legg. lib*. 11. *diſp*. 5. & tantum non ineptiens Socinus *in fallentiis reg*. 229. quosque plures ſingillatim refutare non vacat.

An regulæ plures noſtris addi debeant.

XVI.

Restrictio prohibetur in publice favorabilibus.

XVI. Quemadmodum regulas, ita, quod necessario inde consequebatur, exceptiones quoque, seu limitationes restrictionum Doctores partim superfluas, partim falsas proposuerunt. Principio enim superflua est regula, prohibens restrictionem ubi de favore publico lex loquitur. Coras. *de Art. Jur. part.* 4. *cap.* 7. Everh. *loco a rat. leg. larga n.* 11. Forster. *de Interpret. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 29. *&c.* Aut enim iste favor publicus est caussa legis, & tum eo manente manet lex, cessante cessat; *per Regg. nostras* 70. *&* 117. aut facit cessare rationem legis, & hinc ipsam legem *reg.* 49. Adeoque neutro casu specialis hic erat necessaria admonitio.

Restrictio prohibetur in casu jam concesso repetito a lege universaliter.

XVII. Eodem modo inutilis est regula: restrictionem fieri debere negans, ubi de casu jam concesso lex loquitur universaliter. Quia alias ea foret superflua. Forster. *l. c. n.* 33. Coras. & Everhard. *ll. cc.* & Alciat. *l. c. n.* 17. qui affert exemplum ejusmodi. v. gr. cum JCtus dixit, nunciationem omnibus diebus fieri posse *l.* 1. *§. nuntiatio ff. de Nov. op. nunc.* intelligitur etiam feriatis, cum jam ex Prætoris edicto nunciatio permitteretur, &c. Quæ quidem interpretatio non adeo est inepta, sed ad restrictionis doctrinam nullo modo pertinet. Neq; enim hic lis est, utrum cessante caussa lex cesset, vel non, sed qui sit legis sensus, quæ mens verborum. Quam nondebere sumi talem in dubio, ut lex fiat superflua, etiam nobis animadversum est. *Reg.* 274.

Si ratio nō adsit, vel sit dubia, an cesset restrictio,

XIIX. Inutiles Regulæ restrictionem inhibentes fuerunt hæ quas memoravimus: falsæ plane sunt quæ sequuntur, V. Gr. Si nulla, vel dubia sit ratio dispositionis, eam non posse restringi. Forster. *l. c. n.* 27. Hunn. *l. c. inf.* Supersunt enim caussæ aliæ, ex quibus restringi pariter legem, posse docuimus *c.* 4. *§.* 7. *& seqq.*

An restrictio cesset ubi quis indebite perditurus sit lucrum.

XIX. Idem judicium nostrum est de eo præcepto, quod Forsterus subjungit. Nempe restrictionem vitandam, ubi quis indebite perderet lucrum. Nam aut indebite illud ad lucrum refertur, idque non debitum intelligitur, & plane falsa est regula, cum ratione lucri illius indebiti nihil legis essentiæ decedat; immo

mo ipſum lucrum non debitum peti per legem nequeat: Vel per ſe ſpectatur, ita ut mens ſit verborum horum, non debere reſtrictivam interpretationem adhiberi, ubi quis ſine cauſſa lucrum perderet, & hoc eſt idem dicere nobiſcum, cum ratione non ceſſante neque legem ceſſare volumus. Nam ſi cui per legis reſtrictionem ſine cauſſa lucrum aliquod adimitur, non ceſſavit legis cauſſa, adeoque perperam reſtringemus: adde Gammarum *de extenſione n.* 27. 28.

XX. Contrarium priori eſt, ſed æque erroneum illud, jam Coraſio refutatum, *de arte jurisp.* 4. *c.* 6. Legem ſcilicet non reſtringi, ubi de lucro captando agitur, ſive potius aliquem lucro immerito privari, quam ut lex reſtringatur, *vid. Dd. ad leg. omnes populi ff. de Juſtit. & Jure*, Everhard. *de rat. leg. ſtricta n.* 11. Alciat. *de V. S. n.* 18. Hunnium *l. c.* Thadeum Piſon Soacium *de princ. juris cap.* 19. Gammar. *de extenſ. n.* 27. *& alios.* Qui error omnis ex lege profſpexit, 17. §. 1. ff. qui & a quibus man. non plene perſpecta ortus eſt, cujus rationem ceſſare credebant: id quod tamen *l. c.* Coraſius contra recte docet. Cæteroquin & hic manet regula dudum recepta: cauſſa nimirum ceſſante legem ceſſare. An lex non reſtringatur ubi de lucro captando agitur.

XXI. Neque etiam hanc impediet ſententia eorum, qui in iis, quæ pro forma, uti ajunt, ſtatuuntur, cauſſa, & ratione ceſſante, formam manere poſſe autumant. Etenim & hic, advertente una Coraſio *l. c.* aut ratio non plane ceſſat; dum plerumque præter eam quæ ex natura actus oritur, ſpecialis eſt, fraudum cautio, & evitatio: vel vero ea plane intercidente, lex ſimul intercidet, vide Alciat. *l. c. n.* 19. Hunn. *part.* 2. *c.* 7. An reſtrictio ceſſet in iis quæ pro forma ſtatuũtur.

XXII. Alia porro ex dicta lege profſpexit obiter inſpecta, temere facta eſt a Doctoribus reſtrictionis inhibitio. Dum illam negligi volunt, ubi lex cavet, quod velit ſecundum litteram intelligi. Hunn. *l. c.* Forſter. *l. c. n.* 26. Nam neque *L. proſpexit* hoc vult, neque per eam, aut ullam aliam, hoc fieri poteſt. Cum hiſce interpretandi præceptis ex jure naturali, ceu docuimus, An reſtrictio ceſſet, ubi lex monet, quod velit ſecũdum litteram intelligi.

cap. ult. §. 3. ortis, prohibitio fieri per leges positivas nequeat. Quinimo lex secundum litteram utique intelligitur, ubi locum habet: sin vero locum non habeat, neq; intellecta ea opus erit.

An verba geminata prohibeant restrictionem.

XXIII. Denique non debemus etiam sequi errorem statuentium: verbis geminatis restrictionem non applicandam esse. Etsi inter eos auctores sint non ignobiles, & nominatim Menoch. *consf.* 706. *n.* 237. Alciat. *de V. S. lib.* 1. *n.* 16. Hun. *part.* 2. *c.* 7. Everhard. *loco a vi geminationis. n.* 4. item Hartm. Pistor. *lib.* 1. *q.* 24. & *n.* 55. & apud eum adducti: Salicet. *in l.* 2. *C. de noxal. Act.* Gozad. *consf.* 4. *n.* 26. & *consf.* 30. *n.* 3. & Roland. a Valle *consf.* 56. *n.* 21. *vol.* 3. a quibus non dissentiunt Bartol. *in. l. si de certa Cod. de transact.* Jason. *in l.* 1. §. *nunciatio n.* 5. & quos citat Achil. Pedroc. *resp. de individ. n.* 310. A quibus tamen omnibus rectius abeunt Corasius. *De art. jur. l.* 4. *c.* 7. & Forster. *de interpr. l. c. num.* 30. &c. Neque enim verba geminata sufficiunt ad demonstrandum, quod voluerit Legislator legem quovis in casu contra omnem rationis cessationem valere Etsi negari nequeat, verbis geminatis vim majorem inesse, videsis, Corset. *de verbis geminatis* Guid. Pap. *sing.* 359. & Everhard. *loco de vi gemin.* Card. Tuschum *tract. concl.* 28. *G.* ibique nominatos, & quos magno numero adduxit *l. c.* Forsterus, quales sunt Paris. *lib.* 1. *consf.* 6. *n.* 29. & *consf.* 54. *n.* 67. & *lib.* 2. *consf.* 12. *n.* 29. & *lib.* 4. *consf.* 5. *n.* 64. & *consf.* 32. *n.* 39. Cephal. *consf.* 126. *n.* 18. Crav. *consf.* 105. *n.* 4. & *reliqui*, & citatos supra nobis *ad Reg.* 334.

An æquitatis caussa a juris scripti rigore non sit recedendum.

XXIV. Cum ex restrictione maxime æquitas resultet, pauca circa eam quoque Doctorum errata propalabimus. Ibi vero continuo offendimus, Bartolum, Paulum de Castro, Salicetum, & alios, apud Petrum Follerium *Praxis censualis. ad hæc Juris mod. rig. num.* 31. qui recedi a juris scripti rigore ob æquitatem non scriptam, haud quaquam deberi docuerunt. Quod idem est ac si dicas, restringere legem licitum non esse JCto, de quo supra Regul. falsa 12. Contra hos tamen ibidem recte Jo. Roger. Moder. *de Offic. Judic. in caussis cap. in pr.* & præterea Angel.

gel. Mattheac. *de via & ration. Juris lib.* 1. *c.* 11. *n.* 15. Harprecht. *in Instit. de Jur. Nat. G. & Civ. §. fine scripto 9. n.* 51. ibique adducti plures textus, & auctores pugnant: attestantes, quod æquitas in scriptum plene redigi nequeat, cum quo sensit ipse Folleri-us. Neque id abs re. Cum enim æquitas sit, vel illud justum, quod leges ex cessantibus caussis ob alicujus accidentis interventum, cessare facit: vel vero illud quod legem ultra declarata valere ex iisdem causis innuit, patet cum illi casus sint infiniti; compræhendi eos omnes scriptura non posse. *vid. cap.* 4. *§. ult. & c.* 5. §. 2. & *ult.* Quo posito, nisi æquitatem non scriptam scripto rigori præferemus, sæpissime æquitatem rigori posthabebimus, contra ea quæ demonstravimus, *reg.* 208. & 209. Imo omnis de restrictione, & extensione doctrina cessabit, si præter scripra a legislatore nihil admittemus, adeoque ad regulam falsam duodecimam relabemur. Quare his refutandis chartam, & otium ulterius non impendemus: vide *Duaren. lib.* 2. *disp.* Connan *lib.* 1. *Comm.* Donel. 1. *Com.* 13.

XXV. Huic affinis est error æque gravis, illorum, qui æquitatem non valere contra scripturæ verba & proprietatem existimant: addentes, ubi legis æquitas scripturæ regugnat, retineri eam significationem, quæ verbis convenit, quamvis ex ea non possit talis sententia colligi, quæ rationi conveniat. Bolognet. *c.* 34. *n.* 9. ex sæpius memorata l. prospexit, & cum eo una faciens Hunn. *par.* 2. *cap.* 4. Quem in errorem miror doctissimum Dionys. Gothofred. condescendisse *ad l. placuit* 8. *C. de Judic.* Nisi forte ipsius verba ita accipienda sunt, ut intelligat, ubique fieri cessante caussa legis restrictionem, ubi casus ipse lege non est plene expressus. Id enim si fiat nota est regula, quod casu legis præsente omnis cesset disputatio. Item quod contra expressam legislatoris mentem nulla fiat interpretatio. Cæteroqui & vocis maxima improprietas præsumenda est, ut iniquum evitetur, cum longe minus sit culpandus qui voce multum abusive utitur, quam qui iniquam sancit, *vid. Reg. nostram.*

An æquitas non valeat contra proprietatem verborum.

nostram. 304. *& circumjacentes.* Videntur autem, ut generaliter hoc moneamus, non aliunde in hos est similes errores Interpretes nostri devenisse, qvam quod rationes & caussas legum subtilissima indagatione certas constituere nescii, cum ex falsis, ac temere adhibitis viderent multa consequi absurda, non jam remedii sinistram adhibitionem, sed ipsa remedia in culpa esse existimaverunt. Non secus atque imperiti artis medicæ, si ex pharmaco inconvenienter adhibito lædi se sentiant, non jam temperare, sed fugere ejus usum incipiunt.

SECTIO IV.

De Regulis ad Extensivam interpretationem pertinentibus.

XXVI.

An extensio nulla sit necessaria.

A Restrictione ad Extensionem ordinis ratio nos defert. Eam plane sublatam voluit supra castigatus Albericus à Rosate. Qvi cum rationes dictorum nullas, aut certe nullis æquipollentes adferat, neque responsionem meretur. Aliter Johannes Eichelius, qui *de interpret. ll. cap.* 28. nullam esse interpretationem extensivam per se necessariam, id est inevitabili, ceu nos docuimus, legum vitio oppositam, sed in jure Romano per accidens saltim eam requiri, hisce nobis persuadere argumentis annititur 1. Qvod Universales fieri leges omnes & possint, & debeant, & qui extendi proin leges velit, universalitatem iis neget, vel imminuat, adeoque vitium tribuat, quod culpa legislatorum Romano juri inest, qui responsa singulis data corpori juris inseruerunt, qvæ proinde ad alios sunt extendenda *l. c.* §. 3. 2. Quod etsi verba strictiora esse mente legislatoris possint, illa tamen accipere eo significatu quem Legislator ea habere voluit, non sit extendere, sed dicere quod legislator dixit, adeoque scripti juris sententiam indagare, declarare, exponere. §. 4 *l. c.* 3. Quod si fieret protractio ultra ea, quæ verbo, vel mente Legislator compræhensa habuit, cum legem scri-

ſcriberet, fieret aliquid vel contra, vel præter Legislatoris voluntatem, quod ab interprete quam longiſſime abeſſe debet. §. 5. 4. Quod hoc foret leges condere, adeoque non foret officio interpretis conſonum. §. 6. *ibid.* 5. Qvamvis alia magis, alia minus lege compræhendantur V. G. ut antecedentia conſequentia &c. ea tamen lege compræhendi, adeoque extenſionem non poſſe parere. Hæc ſunt Eichelii argumenta, quibus pauca reponemus. Et primo quidem de univerſalitate legum, jam olim c. 5. §. 2. reſponſum à nobis eſt: videlicet eam non poſſe hoc loco tantam eſſe, quantam in ſcientiis, ſed actionum ſpecies individuas interdum complecti debere, ne de ſubſumptione lis relinquatur. Adeoque certum eſt, & indubium, etiamſi illa reſponſa prudentum, & reſcripta Imperatorum eſſent in univerſales propoſitiones redacta, & ita corpori juris noſtri inſerta; id quod optima ratione per interpretationem Analyticam, & Methodicam fieri poterit: nihilominus æque, ac absque hac ſi foret, extenſionem ſubinde requiſitum iri. Quod ſi regeras, translatis in legum corpus univerſalioribus illis propoſitionibus, quæ in ſcientiis proponuntur, compræhenſa omnia fore; cum tamen hæ non tam leges forent quam regulæ, quæ pro ſpecialiorum caſuum differentiis ſuas quoque accipiunt additiones, vel diminutiones, ne ſic quidem omnis plane extenſio poſſet excludi, etſi multum imminueretur. Ne jam de legibus ex reliquis cauſſis a ratione naturali, & generali Politica diverſis dicam, quæ univerſales illas regulas non admittent. Manet ergo inevitabile eſſe hoc vitium. De reliquis argumentis nihil eſt, quod ſimus ſolliciti. Nam de ſecundo conſenſimus, & aliter etiam Extenſionem noſtram definivimus, & hanc male cum illa confuſam eſſe, mox *Reg. falſ.* 29. ulterius deducemus. Tertium nodum jam ſolvimus cap. 4. §. 9. Quid quod hic etiam Ariſtotelis habemus præterea conſenſum, qui id quod diceret interrogatus nunc legislator, interpretem quoque dicere debere nos docet. *v. cap. 4. §. 9. & cap. 5. §. 5.* Et exhinc quoque à quarto nodo nos extricamus. Si e-

nim præter mentem Legislatoris nihil dicitur, neque lex nova conditur. Quinta objectio in λογομαχίαν videtur tendere, & jamdum *cap.5. §.3.* diximus, licere unicuique quo velit per nos nomine uti. Quare non reprehendemus nunc Alexandr. *conf. 75. n.3. vol.5.* neqve Menoch. *conf.324. n. 10. conf. 402. n. 108. &c.* neqve Socinum Jun. *in §. divi. n.152.* & *seqq.* & *in l. sciend. ff. de legat. 1. n. 137.* vel Baldum. *ad l. quod vero de legat. 1. & glossam ib. in clem. 1. de elect.* & Tiraquell. *in l. si umquam verb. libertis n.45.* & 46. cum Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. §. 17. proœm. n. 105.* Forster. *lib. 2. cap. 2. §. 1. n. 21.* Gutier. *pract. lib.3. qu. 17. n. 84. & seqq.* Rebuff. *in comm. ad tit. ff. de V. S. ad l. in lege censoria 203. §. itemque de servis.* Surdo *decis. 270. n. 8.* Abb. *conf. 75. n. 3. lib. 1.* Rolando a Valle *conf. 72. n. 44. lib. 1. & conf. 27. lib. 1* cum Petra *de fideicomm. qu. 5. n. 94.* & Fusaro *de fideicomm. substit. qu. 678. n. 7.* apud Knipschild. *de fideicomm. nob. famel. c. 7. n. 105.* & 110. ibiqve Paris. *conf. 50. n. 96.* Decius *conf. 372. n. 7.* Castrens. *conf. 261. n. 3. part. 2.* Donell. *1. comm. 14.* Reinking *de regim. sec. & eccles.* Barbos. apud Argentoratenses *de ll. th. 10.* qui cum aliis pluribus non extensionem esse, sed comprehensionem perhibent, ubi ab eadem ratione proceditur. Imo intellectivam eam dicit Alexand. *conf. 34. n. 8. lib. 5. &c. vid. citatos ad cap. 5. §. 3. litt. f.* Interim tamen hoc probare non possumus, qvod a similitudine potius, qvam identitate rationis progrediendum esse monent pleriqve modo laudatorum, qvi tamen partim similitudinem cum rationis identitate confundunt, partim distingvendo eandem decipiuntur. Vid. præterea Bald. & Dd. *ad l. de quibus ff. de leg. & in l. qui liberis in pr. ff. de Vulg. & pupill.* Innocent. *in cap. si adversarius ff de eo qui mittitur in possess. rei serv. caus.* Bart. *in l. si constante part. 1 qu. 9. ff. solut. matrim.* Gammar. *de extens. n. 90. & 91.* Alciat. *de V. S. lib. 3. n. 11.* Tiraquell. *in l. si umquam C. de revoc. donat.* Aymo. *part. 4. de antiq. temporis.* Alfons. Modit. *in §. lex est. Inst. de J. Nat. G. & civ. dubitat. 56. n. 1.* Gales. *de exercitat. Jurisper. lib. 1. n. 34. & lib. 2. c. 63.* Nam similia per se nihil probare,

bare,

bare, ſed declarationi ſoli ſervire notius eſt, quam ut dici hic a nobis debeat. Ex ſola ergo rationis, vel cauſſæ identitate conſtat, legem a caſu expreſſo ad non expreſſum trahi. Quæ operatio extenſionis nomen propterea accepiſſe mihi videtur, vel qvod ratione legis ſæpenumero parum obvia, imprimis iis qvi eas indagandi præcepta, & habitum nondum ſibi comparaverant, ea qvæ exinde decidebantur, non contenta fuiſſe viſa ſunt, adeoque extenſam eſſe legem creditum fuit: vel qvod revera mens legislatoris a dictis & cogitatis, ad non dicta, & interdum etiam non cogitata, ſed emergentia noviter extenditur. *vide latius expoſita cap. 4. §. 9. & cap. 5. §. 3. & ſ.* Non credendum itaque Fr. Hotom. *Obſervat. lib. 7. cap. 18.* ubi infit: *caſus omiſſos ſupplere, & ſcriptum ad non ſcriptum interpretatione producere numquam licuiſſe.* Neque aſſentiendum P. Edm. Manincor. *Maximar. Jur. Canon. & Civ.* 41. *E.* dum extenſionem a caſu ad caſum *vetitam ex l. commodiſſime 20. ff. de liber. & poſthum.* conatur probare: & quæ cætera hujus generis multa apud auctores inveniuntur, ex eodem fundamento refellenda. Quæ inter nihil magis miror, quam acutisſimum alias *Eybenium* in Obſervationibus ſuis ad Inſtitutiones Juſtin. minime proletariis, lib. 3. Obſ. 12. n. 3. ſcribere adeo indiſtincte. *Nihil juris ſubverſioni aut internecioni magis comparatum, quam legum extenſiones ad caſus omiſſos: quæ tamen frequentes & familiares Juris Doctoribus. Quibus in hac quæſtione ſanam mentem gratuler. &c.* Sed cum ipſe perperam factarum extenſionum exempla deinde notabilia ſubjiciat mera: quin de male factis extenſionibus ſolis hæc intellecta velit, dubium eſt nullum v. & *Struv.* exercit. 33. th. 13.

XXVII. Huc pertinet illud ubique obvium, & in ore & calamis JCtorum: Expreſſionem unius, & ſilentium, ſeu taciturnitatem alterius, hoc omiſſum, illud poſitum, & approbatum ſolum indicare. vid. Bonacin. *de leg. diſp.* 1. *qu.* 1. *punct.* 8. *propoſit.* 1. *n.* 26. & apud ipſum gloſſ. Burr. Suarez. Salaſ. &c. Manincor. *max.* 8. *L. &c.* Neque enim ſatis argumenti eſt, legislatorem noluiſſe exten- (An expreſſio unius & taciturnitas alterius ſit ejus excluſio.)

extenſionem ubi ratio eſt eadem, vel plane major & prægnantior (quæ per ſe vim legis habet, per adducta, *cap.* 4 §. 9. *litt. v. or.* & Cald. Pereir. *de empt. cap.* 1. *n.* 7. Surd. *de alim. tit.* 1. *qu.* 28 *n.* 7. *&c.*) quod omiſit ea ad quæ fieri debet extenſio, etſi facile potuiſſet addere. Quinimo ſi addidiſſet, non foret opus extenſione & multa accidere poſſunt, ut aliqua facile apponenda omittamus, ſi expoſitis nulla difficultate deducantur. Ne nunc repetam exoriri multa, quæ prævidere, adeoque exprimere legislator non potuit. Et tamen *Lipſienſes JCti* noluerunt revocationem donationis concedere, contra ſtupratorem puellæ 13. annorum, quæ licita erat ob injuriam verbalem. v. *Philippi* Eclog. 38. ad Inſt. de donationibus. Mea ſententia ſane nimis religioſi verborum Juſtiniani ſectatores hac in parte. v. *Philippi* Ecl. 57. lib. 2. tit. 13. ubi contra *Struvium* Jprud. lib. 2. tit. 17. §. 5. rectius ſentit. Ita nec ad Epiſtolam vel nutum verbum *audiverit* §. *f. tit. de fideic. hæred.* audent extendere, vel juraturo fiduciario Philip. Ecl. 103. n. 6. 7. & *Schultz.* Synopſ. Inſt. de ſing. rebus per fid. rel. ibique *Beyer.* p. 468. Cum tamen ratio ſit evidenter eadem.

An ſi lex generaliter loquatur, exempla tamen allata ſola compræhendantur.

XXIIX. Clarum hinc eſt, quam non procedat illud Cujacianum apud Vultejum *in Inſt. de excuſat. tutor. pr. n.* 6. relatum, quod ita ſonat. *Si lex loquatur generaliter, deinde hinc inde ſpecialia adferat exempla, reliqui caſus qui in iſta lege non afferuntur, licet ratio generalis in illis locum habeat, lege tamen non compræhendi.* Quod paradoxon viro ſummo excidere potuiſſe ſubit admirari. Neque enim ab ipſo negatum meminerim, a rationis paritate legem extendi. Et tamen iſta exemplorum omiſſio, ſæpe eſt inevitabilis, ob copiam, ſæpe ſuperflua, ob nimis obviam ſimilitudinem, certe ſemper excuſabilis: ut ita reſtrictionis prohibitæ indicium firmum nullo modo præbere queat.

An extenſiva interpretatio, ex oratione

XXIX. Extenſivam interpretationem perinde ac Reſtrictivam *Reg. falſ.* 14. dictum habemus, ad orationem nonnulli perperam referunt, definientes eandem, quod verbis latiorem ſigni-

significationem tribuat, cujus doctrinæ inconvenientia ex allatis inibi manifesta est. Vide tamen si lubet eam foventes, Donell. 1. *comm.* c. 14. Grammat. *decis.* 92. *n.* 14. Gammar. *n.* 40. *de extens.* Phederic. *part.* 1. *de Interpr.* Hahn. ad Wesemb. *n.* 8. *de legg.* Forster. *lib.* 2. *c.* 2. *&c.* cum *Vultejo* supra citato. Atque hic lapsus caussa est deinde ineptarum illarum, & inanium regularum. Ex. gr. Legem non debere extendi ultra proprietatem verborum. Videatur Bonacina *l. c.* ne quidem in favorabilibus illud permittens. Cui adde alios plures, & imprimis Bartol. *cons.* 56. *in f. lib.* 2. apud Tusch. *concl.* 659. *n.* 9. *O.* Menoch. *cons.* 197. *n.* 122. adde Bald. & Imol. *ff. de hæred. instit.* apud Alciat. *Resp. lib.* 9. *cons.* 78. *n.* 9. qui negat, vel ex identitate rationis legem extendi debere ad casum ad quem verba nequeunt applicari, adde quæ infra dicemus, *reg. fals.* 55. ejusq; proprietate sit æstimanda.

XXX. Sicut æquivocationem, ita, & regulas extendendi supervacuas, & inutiles pari ratione hic quemadmodum in restrictione videmus, quæ vel revocari ad nostras queunt, & iisdem compræhenduntur, vel vero huc non pertinent. Quales vide apud Carbon. *de legg. lib.* 11. *disp.* 5. Phederic. *part.* 1. *&* 4. Cæpollam *de extensiv. interpretat. cap.* 6. Donell. 1. *comm.* 13. Forster. *lib.* 2. *c.* 2. §. 1. Hunn. *part.* 2. *cap.* 18. Cujus numerum sicuti supra, ita & hic an exemplum reliquorum examinabimus. Nempe docet ipse extendi legem. 1. Ex ratione larga & latiore legis. 2. Ex æquitate. 3. Ex aliis partibus ejusdem legis. 4. Ex alia lege. 5. Ex subjecta materia. 6. Ex absurditate. 7. Ex contrariis. 8. Ex consequentibus. 9. Ex publica utilitate. 10. Ex particulis implicativis. Horum locorum primus nobis est indicatus Reg. 70. Secundus est generalis, & eum complectitur, & ad totam extendendi facultatem pertinet, ceu supra exposuimus. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 10. fundamenta, caussas & rationes indagandi, aliqua innuunt: nonus rationem politicam continet. Idem de aliis quæ adduntur a DD. est sentiendum. Et omnes illa de correlativis, contrariis, adjunctis, similibus, comparatis, surrogatis, parificatis, unitis, accessoriis, An fundamentis extendendi nostris alia sint addenda.

effectibus &c. ab Everhardo, Forstero, Phederic. Alciato, Antonio Gabriel. *commun. concluſ. lib. 6. de ll. & conſt. concl.* 3. & aliis ab hiſce adductis innumeratæ præceptiones, eatenus ſunt veræ, & locum habent, quatenus cauſſarum vel rationum paritatem continent. Quæ cum ſæpe in illis ſit exigua, hinc tot fallentiis, uti vocant, tot limitationibus, illæ ſubjacent, quibus noſtris utentes regulis, carere ſine omni diſpendio poſſumus.

An a materia legum ſint petendæ extendendi regulæ, & an in correctoriis ceſſet *extenſio*.

XXXI. Longe & numeroſi, & fugiendi magis errores exinde auctoribus ſunt oborti, quod materias legum diſtinxere: & ex iis cautiones de adhibenda, vel omittenda extenſione, eruere laborarunt. Cum tamen cujuscunque ſit generis materia, ea hic variare nihil queat: ſed ſemper maneat Regul. noſtra 98. Eousq; eſſe extendendum ex quavis cauſſa, quouſque de contraria Legislatoris voluntate nullum adſit indicium. Nullius itaque momenti eſt, quod in correctoriis extenſionem non valere, docent, Faber. Aretin. & Jaſon *ad inſtit. quibus ex cauſ. manum. non lic. item de l. Fuſ. Canin. ſubl.* cumque Vultejo *ib.* & Dd. *ad l. præcipimus. C. de appell. §. f.* (Quæ tamen de illa lege in ſpecie loquitur. Id quod conceſſum eſt & liberum legislatori) Knipſchild. *de fideicomm. fam. nobil. cap.* 11. *n.* 319. & Bartol. *ad authent. quas actiones C. de SS. Eccleſ.* Gammar. *n.* 118. *& ſeqq. contra* 120. 137. *& ſeq.* Alc. *lib.* 2. *de V. S. n.* 29. *pauc. caſibus exceptis* 36 37. Phederic. *part.* 4. *n.* 18. *& ſeqq.* Forſter. *lib.* 2. *cap.* 2. §. 2. Cævall. *qu.* 103. *n.* 19. & multi magno numero in partes vocati à Card. Tuſc. *Pract. concl.* 663 E. *Luduvell. diſp.* 10. *in inſtit. th.* 5. *litt. p.* Everhard. *loco a ratione legis larga n.* 22. *& ſeqq.* Cacheran. *Pedem. deciſ.* 21. *n.* 13. Tartagn. *conſ.* 29. *n.* 1. *lib.* 3. Decian. *conſ.* 1. Grammat. *deciſ.* 92. *num.* 11. Portol. *cap.* 6. *n.* 15. Menoch. *conſ.* 235. *n.* 14. *&* 15. *conſ.* 537. *n.* 3. *conſ.* 314 *n.* 3. *&* 4. *conſ.* 418 *n.* 28. Decius *in Authent. quas actiones C. de SS. Eccleſ.* apud Alfonſ. Modit. *in §. reſponſa prudent. Inſtit. de J. N. G. & Civ. dub.* 9. *n.* 5. Id quod alii rurſus limitant, excipientes eum caſum ſi ratio ſit in lege expreſſa: v. Everh. & Forſter. *l. c.* & Gomez. *reſol. Tom.* 1. *c.* 11. *num.* 12. Everhardus etiam ex illa regula, cui licet majus licet etiam minus,

vult

vult dependere omnem hujus capitis extensionem. *l. c. n.* 12. & quæ plura parum attendenda, nescio quo sæpe afflatu auctores concepta in chartam conjecerunt. Nos uti modo diximus, hasce tricas, tanquam cruces ingeniorum superfluas, & sine ratione excogitatas, merito rejicimus: contenti nostra præcepta suis fundamentis superstruxisse. Ex quibus facile patet, correctorias, & omnes alias leges, ex suis caussis & rationibus eousque extendi, donec vel expresse, vel tacite constet Legislatorem id noluisse. Ex quo consit, regulas quoque sequentes omnes esse inanes: quas nunc enumerabimus saltim, ex eodem principio reprobandas.

XXXII. Prima harum sit, quod pœnales leges non extendantur. Id quod asseritur apud Alciat. *de V. S. lib.* 2. *n.* 37. 39. Coras. *part.* 4. *de art. jur. c.* 8 Bonacin. *de leg. lib.* 1. *q.* 1. *punct.* 8. *propos.* 4. *n.* 26. Bart. *in l. pater. de condit. & demonstr.* *Bald. in l. si sine. de in jus voc. & in l. cum proponas. C. de hæred. instit.* citante Mopha *de rat. stud. lib.* 2. *tit. extens.* Cardinal Tusch. *concl. pract.* 661. *E.* Menoch. *consi.* 192. *n.* 25. *& consi.* 432. *n.* 21. quem vide de recup. possess. remed. 11. n. 58. refutantem ita sentientes. & remed. 15. n. 15. 17. 18. &c. Addantur *Perez.* & *Carpzov.* apud *Philip.* Eclog. 38. ad Inst. de donat. n. 15. Grammat. *dec.* 27. *n.* 8. Abba. *cons.* 75. *n.* 7. *lib.* 1. Everhard. *loc. à rat. leg. larga. n.* 63. Surd. *in consiliis sæpius.* Menoch. *de arbitr. jud. c.* 216. *n.* 22. Hieron. à Cævall. *qu.* 108. *n.* 102. *q.* 833. *n.* 25. Argentoratenses. *Collegii sui disputat. de ll. th.* 10. *adducentes in hunc finem l.* 1. §. 13. *& l.* 2. §. 28. *ff. ad S. C. Tertull. l.* 25. §. 2. *&* 3. *ad l. Jul. de adult. l.* 9. §. 3. *de pœnis.* Alfons. Moditius *in* §. *lex est. Instit. de J. N. G. & Civ. dubit.* 25. & imprimis ridiculus Imola *ad l. si vero* §. *de viro, ff soluto matrimon.* concludens, si lex sit mere pœnalis, non posse fieri extensionem ex identitate rationis, ad casum qui non sit omnino similis, vel ad alias personas. Quasi vero ratio possit esse eadem, in casibus nullam habentes invicem similitudinem; vel vero aliunde similitudo ista casuum, quam ex rationis identitate æstimari debeat. Sed hisce quidem totidem, & plures fortassis auctoritates opponere licuerit. Sane aperte extensionem pœna-

An pœnales leges non extendantur.

pœnarum licitam pronunciant. Guido Papa *singul.402.§.in pœnal.* idem ſentire memorans Baldum. *in feudor. tit. quæ ſit prima cauſſa beneficii admittendi, §. Porro ſi domino.* Villalobos *opin.comm.E.*152. adducto Jo.Nicol. *in l.generaliter.n.26. C.de ſec.nupt.* qui cum ipſo communem eam dicit, & apud Alfonſ. Modit. *in §. reſponſ. prud. inſt. de J.N.G. & Civ. dubit.*54. Abb. & Roman. *conſ.* 429. & idem Modit. *in §. lex eſt. dubit.*59.& *dub. 66. n.* 4. cum Bartolo, Baldo. Abb. Jaſone. Fabro. Curtio Juniore, Aretino, Alexandro. &c. (a) Bartol. ſibi contrarius ad legem ſuperius modo citatam, in l.Quemadmodum. l.de agr. & cenſ. ubi docet omnes Romanas leges utcunq; pœnales recte porrigi ad ſimiles caſus noſtri ſeculi. Imo favorabiles eſſe, v. *Oldendorp.* conſentientem p.26. ubi Actionem de albo corrupto, ita extendit. Angelus extendit Interd. Quod quis Juris in aliũ ſtatuit, ad doctores reſpondentes. *v. Hoerſolt.* p.1.a 6.n.5.& part. 2.act.1. §.9. quib. plures addere ſuperſedemus, ne rationibus minus, quam auctoritatibus pugnare videamur. Quare cum rationem cauſſari legem, & τὸ eſſe dare ei demonſtratum ſit, *cap.* 4.§.9. & extenſionem ex ſola ratione, dependere inde deductum ſit. *cap.* 5. §. 10. merito cum Galeſio, *de exercit. jurisperitor. lib.* 2. *n.* 65. pronunciamus. Quotieſcumque caſus proponitur legibus non deciſus, modo ille rationem cum alio deciſo eandem habeat, repeti deciſionem illam omnimodo debere: ſive pœnalis, ſive correctoria, ſive limitans, ſive exorbitans materia illa ab auctoribus, quos ne quidem in ipſis harum appellationum definitionibus concordare videmus, nuncupentur.

An in correctoriis & pœnalibus ſimul ceſſet extenſio.

XXXIII. Quod de correctoriis & pœnalibus diſpoſitionibus ſeorſim, idem multo magis de correctoria ac pœnali ſimul ſtatuendum duxerunt Doctores. Vide præter nominatos modo pleroſque, Jaſonem *in l. de quibus n.* 14.*ff.de ll.* apud Villalob. *opin.comm.* 153. *E.* communem eam dicentem ſententiam, & Anton. Butr. *in cap.f. de conſuetud.* Hunn. *cap.* 16. & 17. *part.* 2. *de auth. & interpr. jur.* Cardin. Tuſch. *concl. pract.* 661. & *ſeq.* ubi plures laudantur.

Everh.

Everh. *loc. de rat. leg. larga n. 24.* ibique ſtipatas auctoritates, ex modo dictis improbandas.

XXXIV. In exorbitantibus extenſioni locum pari errore nō concedunt Dd. apud Tuſch. Card. *Pract. concl. 664. E.* Panor. *in c. tua. n. 4. de ſentent. excom.* Gaill. *lib. 2. Obſerv. 14. n. 11.* Surdus *de Alim. ſæpiuſcule* Phederic. *part. 4. n. 45.* Forſter. *lib. 2. cap. 2. §. 3. &c.* Ubi etſi per exorbitantia ea intelligas, quæ juris communis rationi adverſantur: tamen ne ſic quidem vim ullam regula ſortietur. Cum ſive in jure naturali, ſive in civili ratio communis fundetur, ex ſpeciali politica nihilominus extendatur, per dicta *cap. 5. §. 5.* Id quod voluere fortaſſis Doctorum alii, & in iis Caſtrenſ. *in l. ſi quis serv. ff. de furtis:* dum limitarunt hanc regulam ita, ut ſi reip. utilitas verſetur, & neſcio quibus aliis pluribus caſibus, extenſio liceat. Sed ridiculum eſt ponere regulas inutiles, easque poſtea fallentiis ſeu limitationibus velle reſtringere, imo perimere. Rectius itaque contra hoſce ſentit Bartolus, *in l. ſi quis ſtante qu. 1. p. 1. ff ſolut. matrim.* & cum eo alii, apud Forſterum *de ſucceſſ. ab inteſtato lib. 8. cap. 17. n. 13.* An in exorbitantibus ceſſet extenſio.

XXXV. Singularia jura non extendi, iidem auctores aſſeverant. Hunn. *p. 2. c. 18.* Oldendorp. *de jure ſingulari.* Card. Tuſch. *Concl. Pract. 659. E.* Forſter. *lib. 2. c. 2. §. f. n. 4. &c.* Ubi aut ſingulare intelligitur ita, ut ſit perſonale, & incidat in privilegii naturam, *de quo vid. Reg. noſtr. 118.* vel quod habet ſpecialem rationem, & repetimus modo dicta: nempe extenſionem nullo modo hic negligendam. An ſingularia jura non extendantur.

XXXVI. Ab exceptione quoque extenſionem ſeparant Card. Tuſch. *l. c. n. 6.* ibique Roman. *conſ. 337. n. 8.* Cum tamen exceptio non ſit lex, ſed legis privatio, & ceſſatio, ex accidente cauſſam ejus tollente: neceſſario ubi idem accidens, vel aliud cauſſam legis in quocunque diverſo caſu tollit, in eo exceptio facienda omnimodo fuerit. Ut adeo etiam exceptio lege compræhenſa ad alios caſus eodem fundamento recte trahatur. An in exceptionibus ceſſet extenſio.

An in enũciativis, & narrativis recte dicatur cessare extensio.

XXXVII. Ridiculum etiam admodum est, quod interpretes docent: in verbis enunciativis, & narrativis, admitti non posse extensionem, ut est apud Forster. *lib.* 2. *c.* 2. §. *f. n.* 6. & 10. Cum enim per ea verba nil disponatur, neque vis cogens legi addatur, jam lex esse desinet ejusmodi oratio: & nulla hic cura interpreti amplius incumbet. Quippe quem circa leges solas versari volumus. An autem ejusmodi leges in jure Romano dentur, cum eodem Forstero *lib.* 1. *c.* 15. & *seqq.* in JCto nostro Romano Germanico decidendum relinquetur.

An a necessitate orta non extendantur.

XXXIX. A necessitate non fieri extensionem *ex l. quæ propter* 162. *ff. de R. J.* & *aliis*. Forst. *l. c. n.* 5. citatis textibus docent Interpretes. Quod aut intelligendum est de necessitate cessante, & ad nostram *Reg.* 84. redit, quæ cessante necessitate legem perimi permittit: aut vero de quavis necessitate etiam manente accipitur, & falsissimum est. Aut enim necessitas illa cum ratione conjuncta est, & rationis instar tractatur; aut vero ei consona, & præstat vicem rationis absentis: aut deniqve contra rationem est; & ne pro imprudentia Legislatoris ultra quam ea expressa est statuatur, extensionem respuit. Quorum postremum cum rarissimum sit: non ex eo, sed ex utplurimum contingentibus regula erat capienda.

An odiosa non extendantur.

XXXIX. Odiosa non extendi, aut eo sensu scriptum est, quo nos C. 9. §. 5. nempe in sententia dubia præferri sensum odia cessare facientem vel minuentem; ita juvatur *a cap. odia de R. J. in.* 6. sed ad extensionum regulas non pertinet, per dicta supra § 30. vel de extensione ex ratione, & caussa dicitur, & aperte falsum est; cum non minus hic, quam alibi ea maneat. v. Bald. *in l. si quis ff. ad L. Aquil.* Menoch. *consf.* 243. *n.* 20. & congregatos apud Card. Tusch. *Concluſ. Pract.* 664. *E.* &*c.*

An statuta non extendantur.

XL. A statutis exulare jubent extensivam interpretationem unanimi consensu, non tamen laudando nobis, neque laudato omnibus, Bartol. *in l. omnes populi q.* 156. & 60. *ff. de Just.* & *Jure.* Straccha *decis.* 20. *n.* 10. Cacheran. *decis. Pedem.* 58. *n.* 3. Gram-

Grammat, *decis. 92. num. 4. & seqq.* Phederic, *part. 4. n. 46. & 60.* Panorm, *in c. translat. de constitut. in vers. an re Lex. n. 4.* Dd. *ad l. quibus, ff. de ll.* & immensa copia collecti auctores apud Hunn. *part. 2. cap. 28.* Hartman. Pistor. *lib. 1. Qu. 3. num. 21. & Qu. 33. n. 27.* Alciat. *respons. l. 2. cons. 19 n. 1.* & alibi. Quod tamen alii restringunt, aqud eundem Hunnium indicati, ita ut excipiant casus, quibus ratio in statuto expressa est, vel unica saltim dari potest, & quæ plura sunt ejus farinæ. Longe tamen rectius Lanfrancus de Oriano, *de interpret. statutor.* & Coras. *part. 4. de art. juris cap. 9.* & Angelus Mattheacius *de via & rat. jur. lib. 2. c. 15.* atque alii, qui statuta æque atque alias leges ex suis caussis & rationibus extendi nos erudiunt. Neque turbare nos debet, quod hac ratione a jure communi abitur, cui consona sunt reddenda secundum mentem Doctorum statuta. Quinimo contrarium sæpius nobis observandum esse, fateamur oportet: nisi pleraque statuta superflua, ac frustra condita asserere malumus. Haudquaquam etiam huc trahenda regula nostra. 185. Cum ea in dubia verborum sententia invenienda, quo a prudentia legislatoris minus recedatur: non vero in extensionis æquissima ratione sit a nobis observanda proposita. Quod vero Phedericus *l. c.* & alii, Imperatorem casus omnes decidere voluisse jactitant, adeoque ejus menti statuta repugnare credunt, risum meretur. Neque enim Imperator casus in societatibus particularibus, quibus proprie statuta conduntur, aliquando orituros somniare potuit. Sed soli lucem fœnerari quorsum attinet.

XLI. De Consuetudine itidem extensionem repellunt auctores fere iidem omnes: vid. Alciat. *resp. lib. 9. cons. 154. num. 3.* Gammar. *de extens. n. 176.* Menoch. *cons. 163. n. 9. & 10. cons. 226. n. 41. cons. 145. n. 27.* Bart. apud Alciat. *lib. 2. de V. S.* Bald. *in cap. 1. circa f. qui feudum dare possunt.* Curt. Jun. *cons. 26. n. 10.* & extantes apud Hunn. *de author. & interpret. jur. cap. ult.* Nicol. Intrigliol. *tractat. feud. qu. 11. n. 2.* Aymo Cravett. *cons. 170. n. 4. vol. 2.* An consvetudo non extendatur

vol. 2. Angel. de Gambigl. *conſ.* 23. *n.* 21. Joh. de Amicis. *conſ.* 5. *n.* 9. & *conſ.* 8. *n.* 66. Erneſt. Cothman. *reſp.* 84. *n.* 25. *vol.* 1. Ludolph. Schrader. *tractat. feud. part.* 10. *ſect.* 20. *n.* 263. Joh. Vincent. Honded. *conſ.* 55. *n.* 36. & *conſ.* 87. *n.* 49. *vol.* 1. Idque ſive intelligas a caſu ad caſum, Pariſ. *conſ.* 13. *n.* 39. *vol.* 1. Surd. *deciſ.* 131. *n.* 9. Natta. *conſ.* 46. *n.* 2. *vol.* 1. Virg. Pingizer. *quæſtion. Sax.* 26. *n.* 57. Joh. Sichard. *ad l.* 1. *n.* 6. *C. quæ ſit longa conſuetudo.* Jacob. Philip. Portius *conſ.* 106. *n.* 57. *vol.* 3. ſive a perſona ad perſonam: Andr. Rauchbar. *quæſt. Sax.* 36. *n.* 5. *part.* 1. Ludolph Schrader. *feud. part.* 10. *ſect.* 20. *n.* 166 & *conſ.* 6. *n.* 54. *vol.* 1. Honded. *conſ.* 55. *n.* 36. *vol.* 1. Borgin. Cavalcan. *deciſ.* 36. *n.* 311. *part.* 2. ſive a re ad rem: Decian. *reſp.* 51. *n.* 123. *vol.* 2. Joh. Gædd. *conſ. Marpurg.* 24. *n.* 161. *vol.* 3. Neque tandem de loco ad locum, vel de ſocietate, aut provincia una ad aliam. Quod ipſum per ſe fieri non poſſe *cap.* 7. *§.* 5. demonſtravimus. Accedunt hiſce omnibus enumerati a Gabrielio *comm. opin. lib.* 5. *de præſcriptionibus concl.* 2. *n.* 14. & *ſeqq.* Bartol. *in Authent. qui rem. in ſi C. de SS. Eccl.* Jo. Andr. *in addit. Specul. ſuper rubr. de feud. col. penult.* Oldrad. *conſ.* 237. *col.* 1. & *conſ.* 248 *circa f.* Abb. *in cap. quoad translationem in ult. not. de offic. delegati.* Jo. de Lig. & Petr. de Anchar. *in cap. cum ex officii col.* 2. *de præſcript.* Bald. *in auth. ſi quas ruinas. col.* 1. *C de SS. Eccleſ. in aliam col.* 1. *ff. ſolut. matrim. in l. ſi pupillos §. f. ff. de rebus eorum.* J. Andr. *in reg. contra eum in ſolutione qu. de R. J. in* 6. *in Mercurialibus.* Bellon. *deciſ.* 626. Anton. de Butr. *in c. ea noſcitur. col.* 2. *pr. de his quæ fiunt a prælat.* Dom. *in c. ſi Epiſc. in f.* 2. *col. de ſuppl. negl. prælat. in* 6. Paul. de Caſtro. *in l. imperium col.* 1. *in medio ff. de jurisd. min. jud.* Alex. *conſ.* 106. *vol.* 2. *col.* 2. & *ſeq.* Feli. *in c. eum ex injuncto, col.* 3. *de hæret.* Curt. *conſ.* 44. *col. f. vol.* 2. Rot. *in nov. deciſ.* 390. Staphil. *de litt. grat.* & *inſt. char.* 97. Bertrand. & *conſil.* 56. *colum.* 1. *volum.* 2 *conſil.* 76. *colum.* 1. *volum.* 3. *conſ.* 15. *col.* 2. & *conſ.* 27. *col. pen. vol.* 2. Marian. jun. *conſ.* 54. & *conſ.* 191. *col.* 3 *vol.* 2. &c. Quibus tamen omnibus contradicentes adducit. *gl.* 1. *in l. de quibus ff. de ll.* & *ibi*, Bald. *col.* 14. necnon

Inno.

Inno. *in cap. dilecto. de Off Archid. col. penult.* & ibi Anton. de Butr. *col. 6. & seq.* Aret. *in cap. Reatina dist.* 63. Bald. *in addit. Specul. in tit. de jurisd. omn. jud super rubric.* Flor. *in l. si quis diuturno. ff. si servitut. vend.* Hostienſ. *in c. ea noſcitur. col. 2. de his quæ fiunt à prælat.* Ægid. *deciſ.* 589. Abb. *in cap. translato in f. de conſtit.* & ibi Dec. *col. fin 1. & 2. lect. & in l. 2. colum. 2. ff. de jurisd. omn. jud.* Pariſ. *conſ. 25. col. 5. vol. 1. & conſ. 19. n. 52. & conſ. 21. n. 44. vol. 1.* Rip. *in cap. cum Eccleſia Sutrina n. 125. verſ. 3. differentia de cauſ. poſſ. & propr.* Quibus adde, præter laudatos nobis, *cap. 7. §. 4. litt. e.* Angel. Mattheac *de via & rat. jur. lib. 2. cap. 1.* Coraſ. *part. 4 cap. 8.* Bald. *in auth. Omn. C. Comm. de ſucceſſ. n. 33.* & alios. Et vero vel de conſuetudine legis vim non habente ſermo eſt, & tota hæc diſquiſitio non eſt locis hujus: vel vero de lege conſuetudinaria; & ea, non obſtantibus auctoritatibus adductis, haud ſecus atque ſcripta extenſionem patitur ex dictis. *cap. 7. §. 4.*

XLII. Diſpoſitionem à tempore ad tempus non trahi, ne ex rationis quidem identitate, temere aſſeritur apud Alciat. *reſponſor. lib. 5. conſ. 102. n. 9. & lib. 8. conſ. 5. n. 7.* &c. Neque enim ratio eſt, cur quod in præſenti tempore decernitur, id ex eadem ratione in poſterum quoque regulariter obſervari non debeat. Etſi caſus poſſint interdum accidere, in quibus certo tempori alligata ratio ad ulteriora transferri non ſit idonea. [Quod omne ex regulis noſtris, dato caſu qualicunque deciſionem liquidam accipiet. Sive de legibus retrorſum ſive antrorſum trahendis ſit quæſtio. De quorum utroque multæ ac miræ Doctorum regulæ, implicandis quam explicandis controverſiis aptiores. Quas nunc huc coacervare piget, illud Poëtæ reputantibus: An lex à tempore ad tempus non extendatur.

Turpe eſt difficiles habere nugas.
Et ſtultus labor eſt ineptiarum. Quibus ſane pleraque ſcatent: reliqua congrue dicta, minimum tamen confuſe, neque demonſtrate, adeoque nulli certo uſui ſunt apta. Quem ſola ſolida ſcientia ſolidum præſtat.]

E XLIII.

An a persona ad personam non extendatur.

XLIII. A persona ad personam non fit extensio, per Menoch. *cons.* 235. *n.* 11. *cons.* 724. *n.* 21. Socin. Jun. *cons.* 129. *n.* 8. *lib.* 3. Idque etiamsi Princeps verisimiliter concessisset: secund. Abbat. *cons.* 57. *circa f. lib.* 1. apud Card. Tuschum *conclus. Pract.* 659. *n.* 5. *E.* Quibus adde apud Knipschild *de fideic. c.* 7. *n.* 106. Aretin. *in l. Gallus.* §. *& quid si tantum ff. de lib. & posth.* Dec. *cons.* 292. *n.* 6. Roland à Valle *cons.* 56. *n.* 24. *vol.* 3. Mantic. *de conj. ult. vol. l.* 3. *tit.* 19. *n.* 8. Maschard. *de probat. concl.* 1342. *n.* 4. & *seqq.* Quod tamen nisi de privilegiis, seu personalibus juribus intelligatur: itidem absurdissimum est. In iis vero neque communis caussa, neque voluntas legislatoris ulterius patens invenietur, vid. *regg. nostr.* 71. 72. 118.

An exempli caussa in lege scripta non extendantur.

XLIV. Exempli caussa quæ in lege scribuntur, ad extensionum præcepta non pertinere, à Cæpolla *de extens. cap.* 1. *n.* 79. & *seqq.* scriptum legimus. Id quod tamen negant Anton. de Rosell. *si vero,* §. *de viro, ff. solut. matrim.* Domin. de S. Gemin. *in c. si Papa in pr. de privil. in* 6. &c. apud Forster. *de interpr. lib.* 2. *c.* 2. §. *fin* 8. Nos si ad legem illud exemplum pertineat, nulli dubitamus decernere; idem hic quod in aliis licere: imo magis, quoniam clarior fit regula per exemplum allatum. Quod si ad legem non faciat, neque ad nos pertinebit, quibus extra leges nulla nunc consideratur interpretatio.

An in nomine proprio cessare extensio recte dicatur.

XLV. Superflua & nimium quantum inepta est oratio, dicentium in nomine proprio regulariter extensionem non vigere. Cæpoll. *l. c. n.* 97. *& seqq.* Quam approbare videtur Forsterus *l. c. n.* 11. Quamvis enim nomen proprium necessario in juribus personalibus, seu privilegiis adhibendum veniat, ubi extensio exulat, per *Reg.* 43. modo allatam: nihilominus illud perpetuum non est. Et sæpissime singularis oratio, universalem propositionem indicat, ceu *cap.* 8. §. 13. fuse significatum est. Ibi ergo orationem, legis natura non attenta, considerans, miros in interpretando errores committat necesse est.

An in ca-

XLVI. *Quando aliquis casus præter naturam, aut naturæ*

con-

consuetudinem contingit: hoc casu recurrendum est ad Principem; ut definiatur, non autem judex proprio ausu determinare debet, verba sunt Steph. de Phederic. *part. 4. n. 1.* Quæ ad eum casum sunt restringenda, si ex legibus per similitudinem nihil potest decidi. Cæteroquin, etsi autoritas Legislatoris non sit inopportuna: non tamen necessaria est; sed a judice, qua JCto, decidi lis poterit. su præter naturali cesset extensio.

XLVII. Idem nostrum est de eo quod sequitur ibidem judicium. *Si nempe casus novus non est quidem contra naturam, nec naturæ consuetudinem: tamen vel propter effrænatam cupiditatem, vel propter humanæ naturæ conditionem, quæ multas & novas formas edere properavit.* Nam & tunc ipse necessarium ad Principem refugium autumat. Nos si extensivæ interpretationis fundamenta suppetunt, idem etsi proficuum, tamen non omnino necessarium, & inevitabile pronunciavimus, *c. 5. §. 3.* An in casu ex vitio orto cesset extensio.

XLIIX. De consvetudine pauca observanda restant. Et imprimis hic improbanda est licentia Petri de Ancharan. *ad cap. cum ex offic. de præscript. &c.* Menoch. *cons. 9. n.* 22. *& cons. 75. n.* 79. qui *ex Dd. ad l. de quibus ff. de legib. & Parpal. repet. l. placet C. de sacros. Eccles. n.* 91. putat concedendum, ut ex vicinorum consuetudinibus attentis, defectus nostrorum suppleamus. Quod etsi Legislatori fortassis non fuerit inconveniens, quomodo tamen JCto competat, non video. Cum consuetudines ex vicinorum consensu ortæ, nos invitos ligare nullo modo possint. Vide dicta superius. *reg. fals.* 41. *& cap. 7. §. 5.* Unde recte Gammar. *de extens. n.* 169. *Statuta vel consuetudines, neque in simili, neque in principali trahuntur extra suos subditos.* Cum quo una faciunt, præter Paul. a Castro *cons.* 372. *in fin.* laudati ab Hunnio *cap f.* Andr. Rauchbar. *q. 36. n. 5. part.* 1. Cacheran. *decis. Pedem.* 29. *n.* 17. Joh. Borcholt. *cons.* 13. *part.* 1. Andr. Knichen. *de pact. invest. part. 1. c. 1. n.* 90. *& seqq.* Wesemb. *cons.* 40. *n.* 70. *par.* 1. Sichard. *ad l. 1. n. 5. & 6. C. ne filius pro patre.* Decian. *resp.* 19. *n.* 67. *vol.* 3. Joh. Gœdd. *cons. Marpurg* 32. *n.* 185. *vol.* 3. Honded. *cons.* 101. *n.* 33. *vol.* 1. Cothmann. *resp.* 84. *n.* 34. *vol.* 1. &c. An consvetudo ad vicinos extendatur.

Qvomodo in jure partim consvetudinario partim scripto fiat extensio.

XLIX. Colophonem huic de extensionum erroribus tractatui addet, non ignobilis quæstio, nobis nondum decisa, facili tamen negotio decidenda. Quomodo videlicet facienda sit extensio, si jus alicujus reipublicæ partim scriptum sit, partim consuetudinarium. Super eo dubio vid. varie differentes Dd. *in l. de quibus ff. de ll.* & *cap. fin. ext. de consuetud.* Everhardus *loco de rat. leg. larga n.* 77. ita refert. *Si sit dubium, an recurri debeat ad simile legis, an ad simile consuetudinis; ut quia occurrit casus, non determinatus a lege, nec a consuetudine, sed reperitur simile legis & etiam consuetudinis: communiter concluditur, quod si casus occurrens est de materia consuetudinis, recurrendum est ad simile consuetudinis; si vero casus occurrens est de materia legis, recurrendum est ad simile legis. Si autem materia est indifferens, recurrendum est ad illud simile, quod est rationabile. Si autem utrumque est rationabile, recurrendum est ad simile legis.* Quæ verba antequam examini subjiciamus, primo ex nostris principiis rem decisam exhibebimus. Quotiens itaque actio aliqua occurrit, de qua lex nulla nec scripta nec consuetudinaria reperitur, per extensionem tamen utrinque fieri potest decisio: (Secus enim si contingat, vel utrobiqve vel alterutra in parte extensio cessabit,) non tam materiam, quam rationis bonitatem putem spectandam, ex ea enim prudentia & imprudentia legislatoris æstimatur, pro qua est decernendum. Ubi itaque melior ratio, adeoque lex melior est oritura: ibi extensio fiet. Sic enim pro legis perfectione statuetur. Quod si utravis ex parte æqualis est ratio, consuetudo, utpote lex perfectior, extendetur potius, quam scriptura. Etsi rarus hic futurus sit casus, ubi utrinque æqve perfecta, æque rationabilis lex existat. Ex hisce conspicuum est, frustraneam esse materiæ contemplationem: frustraneam alterius similis quæsitionem: denique reprobandam plane decisionem pro lege potius quam consuetudine factam, etsi injustum ex ea oriri non queat, cum præsupponatur, æque perfecta, ac rationabilis, atque ea quæ in consuetudine consistit.

SECTIO

SECTIO V.

De Interpretationibus reliquis circa leges a ſcriptura abſtractim ſpectatas, videlicet Analytica, & Methodica.

L.

DE Methodo in jure ſervanda multa a multis ſunt tradita. In quibus etſi non ſint pauca, quæ & partim veritati parum conſonant, partim admodum ſunt ſuperflua: neutiquam tamen ea omnia nobis nunc vacat ſub incudem revocare. Nam & ex Logicis principiis omnia fere dependent, & ad jus Romanum a Doctoribus pleraque referuntur. Non itaque de Methodo Compoſitiva, ſeu ſynthetica, & diſſolutiva ſive Analytica, item de definitiva, & aliis hic adhibendis ordinum rationibus, diſputata Coraſio *de jur. art. par.* 1. Ang. Mattheac. *de via & ratione jur. lib.* 1. *c.* 28. Hahn. in Weſembec. *in tit. de juſt. & jur. num.* 1. & aliis pluribus, examinabimus, ne in longum nimis odioſa hæc exemplorum congeries excreſcat. Sed ne nihil tamen ad hunc locum penitus attulerimus, communem illam, & omnibus miris adeo laudibus elatam Methodum Weſembecianam nullo modo ſufficere nobis debere dicemus. (vide mira ejus præconia apud Forſter. *de Interpr. jur. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 4.) Etenim præter cæteros defectus, ex traditis nobis deducendos, & quantum a methodo maxime ſcientifica, quæ in jus Romanum induci poterat, hæc ipſius recedat, indicantes; ille imprimis evidens eſt, quod dum cauſſas ubique omnes ſpeculatur Weſembecius, ex omnibus vero non demonſtretur in jure, neque ſcientia legum conſtet, & nimis obviæ cauſſæ non ſint proponendæ & operoſe conſiderandæ; ſæpiſſime ridiculus ipſe evadat, adducendo cauſſas nimis communes, & omnibus lippis & tonſoribus notas. Interim tamen hactenus eam ipſi laudem non denegamus, quod ipſe ſui temporis confuſionem omniũ optime ſuſtulerit. Sed hoc

An Methodus Weſenbecii ſufficiat.

hoc tantum dicimus, ad meliorem nihilominus nos ordinem anniti debere: qualem non obscure indicavimus, *cap*. 6. §. 4.

An Analytica interpretatio Hotomanni cum nostra conveniat.

LI. Ab Analytica porro nobis dicta interpretatione multum diversa est illa Hotomanni, in perfecto JCto, eodem nomine celebrata. Etsi ipse non unum interpretandi genus eo complectatur. Nam quam Analysin a Proculo *in l.55. de A.R.D.* ipse *l.c.pag.m.*1102. adhibitam scribit, ea est circumstantiarum, ad applicandam legem generalem casui singulari, necessaria inspectio. Quam vero deinceps *pagg.seqq.* declarat textus divisionem, species imo pars aliqua nostræ est: ad accurationem tamen ejus non utique accedit; dum non omnes propositiones, atque syllogismos satis accurate legibus exsculpit. In quo & Summistæ antiqui defecere, qui tamen & hoc suæ addiderunt diligentiæ, quod legis subjectum, vel prædicatum universalius ex legum aliarum comparatione, sæpe numero formaverunt. Id quod ad methodicam interpretationem pertinere *cap*. 6. §. 4. docuimus.

SECTIO VI.

De Regulis falsis ad juris scripti interpretationem pertinentibus.

LII.

An aliunde quam a communi usu sit proprietas vocum in legibus æstimanda.

ETiam de scripto jure pauca delibabimus: ea imprimis quæ necessaria maxime sunt, & minus longe petita in medium proferentes. Unde ante omnia sese offert, de proprietate vocum in legibus apud multas vulgata, & confirmata dissensio. Qvalis est illorum, qui à communi usu vocis proprietatem separant, & divellunt: negantes ex communi loquendi usu proprietatem esse existimandam, variasque regulas facientes, quibus ubi propria, ubi communiter usitata vocis significatio debeat præferri in lege determinetur. Videatur Coras. *de art. jur. part.* 4. *cap.* 3. Everhard.

hard. *loc. à ration. leg. larga. n.* 37. M. Mantua. *Isagog. mod. ad tollendos inexplicabiles argum. mod. pag. m.* 4. *b.* Alciat. *de V. S. lib.* 2. *n.* 24. Gammar. *de extens. n.* 81. *& seqq.* Jason *in rubr. ff. de damno infect. n.* 7. apud Villalob. *comm. opinion. V.* 50. Jo. Fichard. *addit. ad Villal. C.* 107. Fr. Vivius ab Aquil. *lib.* 2. *comm. opin c. statutum in partibus.* Turzanus *comm. opin. cap.* 29. & auctores nominati supra, regul. fal. 14. Quæ tamen opinio ratione commoda nulla juvatur. Neque lex ut in aliis, ubi rei veritas, & naturales caussæ haberi possunt, ita & hic vulgi judicium adspernatur: quod verbis effingendis hactenus sufficit, ex iis quæ disseruimus. *cap.* 8 §. 4. imo quod ex propriis improprias voces, & contra, reddit.

LIII. Hac proprietatis vocum ab usurpatione vulgi facta distinctione, fuit necessarium Doctoribus, alia statuere principia, ex quibus proprietas vocis discerneretur, & agnosceretur. Quæ legi possunt, apud Bartolum, & Dd. *ad l. omnes populi ff. de just. & jur.* Decianum *vol.* 2. *resp.* 1. *num* 38. Coras. *de art. jur. part.* 4. *cap.* 1. *& ad rubr. de servitut. n.* 19. Everhard. *loc.* 3. *de definitione. & l.* 4. *ab Etymologia.* Constantium Rogerium *de interpretatione pag.* 27. *& seq.* Alciat. *de V. S. lib.* 1. *n.* 7. Gammarum *de extens. n.* 82. *& seq.* M. Mantua *l. c.* Carbon. *de legib. lib.* 11. *disput.* 5. Hahn. in Wesemb. *Paratitl. de Legg. n.* 8. Jo. Eichel. *de interpr. ll. cap.* 15. *n.* 5. &c. præ reliquis omnibus aberrantem Phederic. *part.* 3. *n.* 64. *& seqq.* qui viginti & duos modos proprietatem inveniendi proponit. Quos omnes hic percensere non est nostri instituti, cum ad definitionem proprietatis à nobis datam collatæ, nullo negotio quousque sint admittendæ, nec ne appareat. Reliqui Doctorum eo plerique redeunt, ut tres proprietatis fontes aperiant: auctoritatem, etymologiam, & definitionem. Horum primum & nos agnoscimus, imo unicè agnoscimus. Secundum Etymologiam nempe, quam cum allusione quarto loco aliis addita, nonnulli volunt coincidere, non esse satis firmo argumento in significatione vocis constituenda, clarum est. Nam si eam esse propriam denotationẽ vocis asseveres, quæ cum origine ipsius congruit, multis modis decipieris. Id quod exemplis innu-

An ab Etymologio, vel allusione, vel definitione proprietas rectè colligatur.

innumeris vocum earum probari poteſt, quæ à ſententia priori quam habebant, cum primo ab etymo ſuo derivarentur, in aliam diverſiſſimã plane tranſierunt. Ne nunc & a contrario ſæpe aliquid denominari, & obſcuriſſimas eſſe, & dubioſas originum divinationes multis adſtruere laborem. Unde laudandus Simon Vaz. Barboſ. qui in *L. C. ſuis lit. A. n. 152.* nondum probabile argumentum ab Etymologia, etſi multum frequens eſſe teſtatur adductis multis Doctoribus: additque non valere illud, ubi repugnat communi uſui loquendi, ex Anton. Monach. Lucenſ. *deciſ. 3. n. 53.* & non concludere neceſſario: ex Card. Tuſcho. *Tom. 1. litt. A. concluſ. 500. n. 1.* De argumento vero ab Alluſione prodit, arridere quidem illud, ſed non neceſſario, concludere, ex Tobia Nonio *ad pr. inſtit. de teſtam. n. 30.* immo illud damnari ab antiquis omnibus, per dicta Ripæ *in l. 1. n. 18. ff. de acquir. poſſ.* & Cujac. *obſerv. lib. 1. c. 37. &c.* Ex definitione quoque tantum abeſt ut proprietas vocis demonſtrari poſſit, ut antequam vocis definitio poſſit fieri, ſeu ei attribui, certus ſenſus primo, illi ſit conſtituendus, vel res certa accipienda, quæ per eam denotata ſit, cujus dein eſſentia ſpeculando indagetur. Interim uſus ſuus amplus, in vocis proprietate diſtincte concipienda, erit nominalium definitionum bene factarum, ad uſus obſervatos ita menti repræſentandos, ut omnis in poſterum confuſionis anſa ſubmoveatur. Quem in finem & inclytus *Feldenus* de illis prolixe ſatis egit part. 2. lib. cap. §. p. Quibus ita ſe habentibus manet ſolus uſus vocis, ex quo de ſignificatu ejus, & vi omnis æſtimatio fieri debeat, prouti *cap.* 8. §. 4. a nobis fuit demonſtratum.

An a vocis proprietate nunquam ſit recedendum.

LIV. Proprietatis naturam nobis definitam defendimus: ſubſequens eſt, ut quando a proprietate recedendum ſit videamus. Id autem fieri debere, ſunt qui negent quam pertinaciſſime. Quod agit Farinac. *conſ.* 45. *n.* 17. qui interpretationem quæ verborum proprietati repugnat, dicit eſſe non poſſibilem: & *Kohl.* Exercit. IX. n. 1. p. m. 112. a. quando ſcribit *textum legis non trahendum ad thema aliud, quam quod in lege principaliter quæritur.*

Cum

Cum quo consentiunt supra Reg. fals. 25. & 29. enumerati: qui neque extensionem, neque restrictionem ultra proprietatem verborum admittunt, & ubi verba legis deficiunt, etiam dispositionem deficere pronunciant. Consuli poterunt Marsil. *singular.* 339. Manincor. *Maxim. jur. V.* 25. Anchar. *consf.* 266. *in fi.* & alii, apud Cardin. Tusch. *concl. Pract.* 198. *M.* Alciat. *responf. lib.* 2. *consf.* 10. *n.* 8. *lib* 5. *consf.* 106. *n.* 5. *lib.* 8. *consf.* 58. *n.* 14. Sed cum hi ipsi rursus variis modis plerique limitent hanc suam sententiam, parum abest quin idem nobiscum dicant: nempe ordinarie à verbis non recedi, sed ob caussas, & regulas nobis. *cap.* 9. §. 7. enumeratas.

LV. Et has ipsas licet in varias partes discerpant Hunnius *part.* 2. *cap.* 8. Socinus *in reg.* 461. cum suis fallentiis, & alii, eas tamen aut superfluas, aut ad principia nostra reductas contineri, qui accurate rem perpenderint, clarissime videbunt. Adeoque quotquot earum aut majorem imprudentiam legislatoris, seu majus legis vitium non præcavent, aut expressæ legislatoris voluntati non innituntur, falsæ sunt existimandæ regulæ, & rejiculæ.

An alia fundamenta a proprietate orationis recedendi dari possint, quam a nobis sunt proposita.

LVI. Hinc, ut unicum illud exemplum afferamus. Nimis benignus, & lenitatis studiosus fuisse videtur Matthias Stephan. dum *in tractatu suo de Jurisdictione lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 64. in pœnalibus à propria vocis significatione propterea vult recedi ut sententia fiat benignior, sive pœna minor: ubi tamen pœnæ majori nulla aderat conjuncta injustitia, nullus rigor; imo sequebatur absurdum ex sententia mitiori, & proprietatis læsio manifesta erat, & inexcusabilis, prouti locum citatum inspicienti, & cum allatis à nobis *cap.* 9. §. 7. conferenti apertius patebit.

An in pœnalibus cõtra proprietatem lenior sententia semper sit sequenda.

LVII. Non semper mentem, & voluntatem scripto præfert, notat Hotomannus *de perfecto JCto. pag. m.* 115. *b. ex l. si alii fundum.* 19. *ff. de Usu & usufr. legat.* Sed neque illa lex hoc dicit, neque etiamsi diceret, defendi posset. Quippe ubi voluntas legislatoris certa est, sive dura sive injusta ea sit, aut quodcunque aliud vitium habeat, à JCto non est deserenda: per demonstrata nobis *cap.* 5. §. 5. Et si aliud sequitur interpres quam id quod voluisse scit legum

An mens scripturæ sit aliquando posthabenda.

gum conditorem, jam non ejus mentem interpretando, ſicut illi incumbebat, declarat: ſed aliam in medium adfert, & legem novam condit, quam voluiſſe cum fingat. Legem quoque 19. *ff. de Uſufr. leg.* non loqui de legibus publicis, ſed de legatis manifeſtum eſt. Et quamvis ea comparare hiſce velis, tamen & hæc adhuc in dubio eſt quousque congruat, & procedat ſimilitudo. Et quod maximum eſt, ne quidem hæc lex dicit: ſi voluntas teſtatoris conſtet, eam tamen non eſſe ſequendam. Sed hoc dicit, ſi quis illis verbis leget, & hoc velit dicere, illum erore labi, & aliud quam voluit exprimere, adeoque ejus voluntati non ſtari, quoniam ſcilicet ex ſcriptura non appareat. An vero, ſi aliunde conſtet, ei ſit ſatisfaciendum, nec ne: de eo nulla per hunc textũ facta eſt deciſio.

In ambiguo an neutrum valeat.

LIIX. In ambiguo, id eſt, ſi duplex mens legislatoris ex verbis eruatur, utra ſit accipienda ſecundum Doctores, videamus. Et vero ſunt qui in ambiguis neutrum valere affirmant. Inter quos nunc nominare libet Baptiſtam de Sancto Blaſio *de privilegiis dotalibus Centur.* 1. *num.* 19. & Phederic. *de Interpret. pr. num.* 16. qui præcipue inſiſtunt in ambiguo 3. ff. de rebus dubiis. Quæ tamen nihil minus dicit. Quippe ita ibi Paulus loquitur. *In ambiguo ſermone non utrumque dicimus, ſed id duntaxat, quod volumus.* Id quod optime concordat cum *Reg. noſtra* 149. ubi unum ſolum ſenſum legi tribuendum diximus, & cum Reg. 14. ubi à voluntate Legislatoris abeundum non eſſe monuimus. Nobis ergo quid voluerit in ambiguo Legislator, incumbit inveſtigare. Cujus rei præcepta *Reg.* 188. *& ſeqq.* ſufficienter, niſi fallimur, ſunt propoſita. Hæc mens eſt primæ partis in hac lege. Pergit deinceps idem Paulus. *Itaque qui aliud dicit, quam vult, neque id dicit, quod vox ſignificat, quia non vult: neque id quod vult, quia id non loquitur.* Quæ verba hoc velle clarum eſt, quod loquens improprie, & obſcure, non dicat quod verba præ ſe ferunt proprio ſenſu accepta, neque proferat ſeu ſufficienter indicet id quod mente tenebat. Quod itidem nobiſcum concordat. Interim etſi non exprimat verbis quod vult, neque velit, quod expreſſit. Si tamen aliunde con-

ſtet

ſtet de voluntate loquentis, illam eapropter non minus pro lege acceptandam eſſe, inibi non docetur.

LIX. Fundamenta præferendi in dubio, ſeu multiplici legum ſenſu hunc vel illum, nimis ſunt multa, & numeroſa, ut adeo ſine tædio omnes circa illa errores non poſſint recenſeri. Neque adeo hoc opus eſt labore, cum ex natura legis ſatis perſpicue nobis deducta, contrarias opiniones omnes per ſe refutent. Quam tamen hac etiam in parte à vero fœde aberrarint auctores, ex hoc uno Pedrochii apud Forſter. *de Interpret. cap. ult. Reg.* 47. *n.* 2. deducto loco plusquam manifeſtum eſt. Qui interpretationem in dubio pro ea faciendam eſſe ſenſu ſtatuit, qui majore rationum copia nititur, etſi eæ ſatis apte poſſint diſſolvi. Quo ſane quid dici poterat falſius? Si enim diſſolvi poſſunt allatæ rationes, falſæ ſint oportet. Sin ſunt falſæ, non ſunt rationes, niſi ſolo nomine: quod & ipſum indigne, & improprie [non aliter, ac cadaver hominis appellationem] ſuſtinent. An pro rationibus ſolubilibus pluribus ſit facienda interpretatio.

LX. Antequam huic ſectioni finem imponamus, unum ſaltim hoc præmonitum volumus. Nempe rationem illam interpretandi Hermagoream, qua totus ille Hotomanni JCtus plenus eſt, & quæ Forſtero *lib.* 1. *cap.* 4. ſub Rhetorices nomine compræhenditur, neutiquam eandem eſſe cum noſtra, vel Grammatica, vel alia ſcripti interpretatione: imo diſtinctam interpretandi ſpeciem non eſſe, ſed plurium ſpecie diverſarum interpretationum una voce compræhenſarum mixturam, quæ & aliqua ad interpretem non pertinentia comprahendat. Nam quatenus ab hypotheſi ſemper ad theſin revocatur quæſtio: & de ipſa lege ſæpe diſputatur, & de iis quæ ad legem non pertinent. Quatenus vero juſtum cum æquo contenditur, de reſtrictione quæritur, vel de extenſione. Quatenus vero de ſcripto & non ſcripto quæritur vel de conſuetudine, vel de extenſione dubitatur. Denique ſi de ſcriptura, quis ſit ejus ſenſus, controvertatur: ex Grammatica decidendum erit. Sin ambiguitas proponatur, ex rationali, & intellectiva, ſi contrarietas, ex antinomiarum ſolutione auxilium petemus. An Hermagorea interpretatio cum Rhetorica conveniat.

SECTIO VII. & ULTIMA.

De Antinomiarum conciliatione.

LXI.

An in veris Antinomiis neutrum valeat.

HActenus descripti juris interpretatione, circa quam haudinviti multa indicta reliquimus, imprimis, quæ ad Criticam licentiam pertinent, cui suos limites ex ipsius artis principiis, proprio aliquo tractatu ponendos, jam ante *cap.* 9. § 8 monuimus. [Unde illud etiam redarguetur, aut limitabitur certe Magni *Vulteji* dictum. Princip. Juris l. 2. p. 58. *confugientes ad emendationem legum ignorantiam suam indicare.* Sane nimis generaliter. Nam nisi fiat illud immodice, licebit utique, imo necesse fuerit, per ea, quæ de interpretatione emendatoria Oratoria diximus. Et quis non juvet legem littera vel syllaba mutata? Maxime quando illius etiam non tam mutationis, quam restrictionis sibi constet ratio, exposita non una cap. IX. §. 8. Sed hæc & alia plura merito prætermus. Quando in iis non tam ut JCti, quam ut Critici errarunt. Itaque in illis consideranda tandem nunc ultima sit Antinomiarum conciliatio. De qua itidem quam paucissimis dejungemur: etsi multas etiam hic, inter totum & tantum, inter quia & qua, & alias ridiculas distinctiones, auctores effinxerint, quibus quocumque modo elabantur. Nos illud præcipuum, & maxime omnibus fere auctoribus, qui de legum conciliatione scripserunt, receptum animadversione saltim aliqua notabimus. Nempe quod antinomias veras si inveniant neutrum valere indistincte pronunciant: idque textibus quibusdam juris in partes vocatis, quales sunt *l. Ubi pugn.* 188. *ff. de R. J. l. si is qui ducenta* 13. *§. verum ita* 3. *ff. de Rebus dubiis. l. Si Titius* 16. *ff. de hæred. instit. & l. Scripturæ* 14. *C. de fide instrum.* Quorum tamen nullus de publicis legibus loquitur. Sed & hic error jam supra *cap.* 10. §. 2. refutatus est, adeoque hic prolixiore mentione

one non indiget. Quin electionem faciendam ejus legis quam maluit, vel maluisse præsumitur Legislator, non desunt qui nobiscum confiteantur: & nominatim citati jam ante cap. 10. §. 2. litt. c. d. & hic recitandi, Phedericus, *part. 2. membr. 2* [*Vultejus* princ. Jur. lib. 2. p. m. 58.] Donellus apud Hunnium *lib. 1. c. 2. qu. 2.* Duarenus *de ll. cap.* 10. Ubi jam suo tempore politum illud Tullii acumen *lib. 2. de inventione* id advertisse liquet. Cujus tamen verba cum aliqua consideratione sunt legenda, & sano sensu accipienda, ne contra nostra principia, cum quibus optime congruunt, pugnare videantur. Ita ubi infit, legem esse potius conservandam eam, in qua pœna infligatur, & si id in utraque fiat, eam præferendam in qua major statuatur, non intelligendus est de alio casu loqui, quam ubi juste, & condigne ita statuitur. Prouti & verba sequentia id innuunt, ubi ait. *Nam maxime conservanda est ea quæ diligentissime sancita est*: id est, uti nos centies inculcavimus, a majore prudentia profecta. Ita ubi legem particularem, seu parti scriptam dicit præferendam, in quo consentit ei Phedericus *part. 2. membr. 2. n. 33.* non intelligenda est particularis lex eo sensu, ac si prædicatum ejus saltim alicui insit subjecto, sed pro speciali lege sumenda est, ut idem sit cum illo communi, & Doctoribus pervulgari dicto; *speciem in jure generi semper derogare*; & ubi lex magis ad casum accedit, magis eam cogere, ubi vero eundem casum habet, plane necessariam esse, & omnem dubitationem tollere atque excludere.

Verum enimvero, etiam huic sive appendici, sive syntagmati nostro finem tandem imponimus. In quo si cujusquam expectationi minus a nobis satisfactum est, (neque enim vel hic ulla ex parte nobis quod Jovi negatum ajunt antiqui, obtigisse credimus, ut omnibus placentes, omnium puncta feramus) sciant illi, numquam nobis propositum fuisse alias regulas præterquam earum nonnullas, quæ & communissimæ, & falsissimæ, & maxime domesticæ, & ex domesticis Conclusio.

 princi-

principiis refellendæ, ſponte quaſi certe non magnopere quæſitæ, ſeſe offerebant, in medium producere: eumque omnem laborem ſaltim in eorum gratiam ſuſceptum nobis eſſe, qui auctoritatibus inhærere edocti, animum demonſtrationibus paſcere parum adhuc aſſuevere. Cæteroqui ita ſemper animati fuimus, ut recta & vera ſtatuminare, quam falſa & erronea convellere laudabilius reputaverimus. Privatas etiam cauſſas, quæ hunc tractatum, alias fortaſſis nonnihil adhuc longius protraherdum, abrumpere nos coegerunt, pluſculas adducere poſſemus, ſi tanti rem credere fas nobis eſſet. Quare quod reſtat, in fine libelli ipſius dicta repetentes, Lectori benevolo quidquid hoc opellæ eſt, omne quam optima nota commendamus: veniamque nobis, ſi aliorum erratis invigilantes, ipſi a vero alicubi præter ſpem deſcivimus, ſerio rogamus.

FINIS.

OPU-

OPUSCULORUM JURIDICORUM MISCELLORUM II.

THESES INAUGURALES

DE

INTERPRETATIONE LEGUM.

QVAS

DIVINI NUMINIS AUSPICIO

Ex decreto & auctoritate magnifici D. Rectoris amplissimi & consultissimi ordinis Jurisconsultorum, in Academia Aurelianensi,

Pro obtinenda in utroque Jure Licentia placidæ eruditorum disputationi subjicit

VINCENTIUS PLACCIUS,

Hamburgensis


Die Januarii d. 5. *Anno* 1665.

HOLMIÆ & HAMBURGI,

sumptibus GOTTFRIED LIEBEZEITS.

I. N. J. C.

B. L. S.



Isputatiunculam hancce num recudi facerem, aliquantisper ambegi mecum: eo quod insequens typus plenior, elevare hujus usum videbatur, ac superfluum reddere; in eo unice positum, ut *breviarium JCti perfecti*, qualis ille *priori editione* prodiit, *exhibere*. Veruntamen aliter demum visum. Præterquam enim quod parum intererat tantillæ fortassis in tanta seculi hujusce scripturientium promiscue copia, pejus etiam perituræ parcere chartæ: longe breviorem, & quasi typum typi videbatur præstitura, eo minus rejicienda, quo majorem applausum suo tempore promeruerat, & Academiæ Regiæ, cui hac ratione ipsius JCti mei perfecti, quem Pseudonymum in Italia editum nulli Dnorum Professorum ostenderam, approbationem honeste suffurabar, & p. m. *Dni. Avunculi mei senioris*, beati *Vincentii* GARMERI, qui non facile quid ultra meritum laudare solitus, haud aliter hoc opusculum sibi, ac si suum esset, placere, disertis verbis perscribebat. Ut alios nunc taceam superstites, quorum multi descriptione quoque dignati sunt hasce theses, nedum laudatione. Vale.

NOBI-



NOBILISSIMO AMPLISSIMO

ET CONSULTISSIMO

D. VINCENTIO GARMERS

J. U. D.

INCLUTÆ CIVITATIS HAMBURGENSIS

SYNDICO MERITISSIMO

ET H.T. AD AULAM CÆSAREAM

ABLEGATO,

NEC NON

NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO

ET EXPERIENTISSIMO

D. JOANNI GARMERS

PHIL. & MED. D.


EJUSDEM INCLUTÆ CIVITATIS

PATRIÆ COMMUNIS NOSTRÆ

PHYSICO ORDINARIO


ET POLYHIATRO CELEBERRIMO.

DOMINIS AVUNCULIS SUIS



CONTINUA OBSERVANTIA ET INDEFESSO
ANIMI CULTU
PERPETUO PROSEQVENDIS
THESES HASCE INAUGURALES
STUDIORUM SUORUM ACADEMICORUM
QVALESCUNQVE FRUCTUS
DEBITÆ PIETATIS
ET
GRATI OBSEQVII
TESSERAM
D. D. D.
VINCENTIUS PLACCIUS.
HAMBURGENSIS.

HONO-





HONORI

CLARISSIMI, JURISQVE SCIENTIA PRÆSTANTISSIMI

VINCENTII PLACCII HAMBURGENSIS

POSTQVAM J. V. LICENTIATUS SUMMA cum laude creatus esset, Aureliis A. D. cIↄIↄCLXV. D. V. Januarii.

Dicatum Elogium, virtutis, & amicitiæ caussa.

NIl VERO est melius, nil JUSTO, denique PLACCE
Quo præstet, plane nil homo majus habet.
MENS est, mens divina, DEO qua jungimur ipsi:
Cætera sunt nugæ. cætera PLACCE nihil.
Mens autem vero gaudet, mens vivit honesto:
Noscit homo verum, justaque sanctus agit.
Hæc animi partes supremaque munera. Nauci
Est homo, qui nescit vera, nec æqua facit.
Quis neget hoc? nulli, credo, tam cornea fibra est,
Ut neget, & solem, qui negat, ille neget.
Quæritur interea verum, longeque recedit:
Quæritur & justum, nec propè semper adest.

Democriti jacet in puteo venerabile verum:
Nescio quæ justum crypta profunda tegat.
Per dubias umbras, & per discrimina cæca
Dux opus est. QVÆ mens cogitat illa regit:
Et quoque quæ jubeat. RATIO ut prudenter agamus
Dictat: & hæc Phœbi, qui nitet, instar habet.
Dux ratio est, ratio orta DEO, quoque illa refulget,
Postque Deum, verum justaque sola docet.
Hæc animat leges, jurisque interpres habenda est
Optima. Divinæ est hoc rationis opus.
O utinam sequerentur eam mortalia corda.
Sæpius affectus plus ratione valet.
Invenit hæc certos per verba latentia sensus,
Dictaque quæ vix sunt dicere dicta potest.
Hæc tu PLACCE probas insigni docte papyro,
Lumina das per quæ justa videre licet.
Hinc chartas Astræa tuas præcingere lauro
Jussit, & in frontem serpere, PLACCE, tuam.
Gratulor. Et non me fallunt interprete Musæ,
INTERPRES, PANDIT QVI PIA JURA DEI EST.

Hamburgi scribebat

MICHAEL KIRSTENIUS.

DE INTERPRETATIONE LEGUM.

CAPUT PRIMUM.

Interpretatio Legum quid ſit, & unde ejus Regulæ, & differentiæ petendæ.

THESIS PRIMA.

JURISCONSULTI proprium officium eſt interpretari leges, immo hanc ipſius differentiam ſpecificam crediderim, ut ita recte definiatur legum quatenus legum interpres: etſi cum eo qui latius ſumere hanc vocem malit, logomachiam exercere non ſit animus.

II. Conſtat certe non inſuper habendam JCto interpretandi ſcientiam, ſed omni ſtudio allaborandum eſſe, ut ſicut in auctoritatem ejusdem corporis legum, ita & in exponendi, ac intelligendi ejusdem rationem conſentiatur.

III. Regulas ſcientificas interpretandi conſequi non licet, niſi ante quid ſit lex, & quid legum interpretatio, ac quotuplex, rite conſtituatur.

IV. Lex, quam hic poſitivam, & civilem intelligimus, a Demoſthene, cui Papinianus, & Marcianus ſuffragantur, definitur: Decretum hominum prudentium, correctio eorum quæ ſponte aut invito delin-

qvuntur, communis ſponſio civitatis, ſecundum quam vivere oportet omnes qui ſunt in civitate. Hoc eſt, ut clarius aliquanto loquamur, propoſitio ex Civitatis conſenſu facta, ut dirigat partes ejusdem ad finem aliquem communem.

V. Interpretari leges ſecundum Pomponium, aliosque Jurisconſultorum noſtrorum eſt, commoda explicatione leges in melius producere, id eſt, ut penitius eſſentiam hujus operationis rimemur: Tollere defectus, ſive vitia legum impedientia quominus legislatorum voluntatem recte indicent, idque manentibus legibus, ſive citra immutationem earumdem.

VI. Hiſce ita poſitis continuo patet veritas & demonſtratio regularum interpretandi maxime generalium, quibus Doctores non ſine fundamento ſubinde utuntur, v. g. *Interpretationem legum ita fieri debere, ne leges perdant eſſentiam, perfectionem, vimque ſuam: & in dubio, ubi id evitari nequeat, præferendam eſſe illam, per quam minimum horum pereat, ſive minori defectu ac imperfectione lex laboret.* Item *interpretationem non debere fieri legis clare, neque debere addere legi, vel demere partem aliquam, neque contrariari voluntati legislatoris, vel diſſentire ab illa, aut adhiberi ubi jam ab ipſo Legislatore ſufficiens adjecta eſt, & quæ hiſce non abſimilia ſunt alia.*

VII. Jam ut differentias porro interpretationum, atque regulas magis ſpeciales indagemus, vitia legum quæ manente ea

tolli

tolli possunt, & sine immutatione essentialium legis partium emendationem recipiunt, erunt inquirenda. Hisce enim opposita remedia erunt interpretationes illæ quas quærimus, & pro diversa sua natura diversas regulas applicandi habebunt.



CAPUT II.

De singulis interpretationum speciebus, earumque regulis.

VIII.

Considerata itaque probe definitione legis superius proposita, ejusque partibus cum perfectione sua singulis perspectis, recedentes ab iisdem defectus citra mutationem emendabiles hosce invenimus.

1. Quod leges sunt propositiones contingentes ut plurimum, adeoque non semper & necessario procedunt, sed exceptiones suas patiuntur.

2. Quod non omnes casus possunt legibus comprehendit, ut adeo semper aliqua insufficientia adsit legibus.

3. Quod interdum leges nimis universaliter concipiuntur, adeoque ad singulos casus difficilius applicantur.

4. Quod quandoque leges non proponuntur singillatim, sed plures in discursum sæpe etiam aliena & superflua continentem confunduntur.

5. Quod interdum leges sine ordine & confuse nimis habentur.

6. Quod leges plerumque scriptura indigent, quæ cum sine oratione esse nequeat, ratione utriusque harum multi in significanda, & exprimenda bene legislatoris voluntate defectus oboriun-

oriuntur. Hasce itaque imbecillitates legum singulas cum suis medelis nunc contemplabimur.

IX. Initium a contingentia illa legum, sive a defectu necessitatis faciemus. Quæ cum in eo legem vitiet, quod non omni casui de quo loquitur, applicare illam liceat, sed exceptos quosdam casus habeat: remedium aptius non recipiet, quam certum aliquod fundamentum, ex quo pateat quibus in casibus procedere legem noluerit legislator. Ita enim & quando valere eam voluerit constabit. Hoc autem fundamentum in eo est positum: ut pernoscimus causam quæ permovit legislatorem ad legem hanc condendam, eamque causam conferamus cum casu dato, circumstantias ipsius sedulo lustrantes, ut videamus an aliqua adsit quæ causam legis cessare faciat. Ita enim cessante causa cessabit effectus, adeoque lex ipsa. Hanc operationem interpretationem Restrictivam communiter Doctores appellant, quam adeo definire licet interpretationem indicantem qui casus apparenter lege comprehensi, revera, ob cessantem in iis legis causam, excepti, & tamquam non comprehensi haberi debeant.

X. Ex hac definitione generalia bina consectaria colligo. Nempe 1. de omnium legum causis sollicitum esse debere interpretem juris. 2. Circa singulas leges ipsi aliquam interpretationem incumbere. Nam cum omnes leges sint contingentes ut plurimum, & nulla regula in jure tam firma existat, quin aliquam admittat exceptionem, restrictio omnibus necessaria sit oportet.

XI. Antequam restringendi regulas præcipuas subjiciamus, necesse est de causis legum, tanquam unica illarum scaturigine, inveniendis paucula præmittamus. Causæ omnium actionum huma-

humanarum primariæ ſunt voluntas, appetitus, vis, conſuetudo, natura, & Fortuna. Duæ poſteriores, tamquam plane extra nos & potentiam noſtram poſitæ, hoc loco attendi non debent. Voluntas eſt appetitus cum ratiocinatione conjunctus. Ratiocinatio autem illa triplici indifferentia eſt poſita. Vel enim ex propriis & genuinis principiis progreditur, & verè hoc nomen tuetur, ac propriè dictas rationes gignit: vel vero ex iis quæ probabilia ſunt progreditur, & opinionem producit: vel denique ex falſis, & errorem parit, neque jam amplius rationis nomen niſi analogice ſuſtinet. Omnes hæ, ſicut & aliæ cauſæ vel patent ex ipſa legislatoris confeſſione, vel ex aliorum teſtimoniis, vel ex ſignis ſuis atque indiciis, & ipſa ſui natura: quæ imprimis in rationibus legum proprie dictis eſt manifeſta, utpote quæ vel in juris naturalis, vel Politices principia deſinunt. Appetitus eſt facultas animæ, qua non attenta ratione, à ſenſibus, & phantaſia movemur ad aliquid appetendum, vel fugiendum. Hæc itaque cum non tam homini quam beſtiis propria ſit, patet quod raro legum cauſſa eſſe poſſit, niſi vel cum ratione conjuncta ſit, vel certe ei non magnopere repugnet. Id quod & de vi, & de conſuetudine dictum volumus, quarum hæc cauſam aliam ſemper præſupponit, illa actionem voluntariam non facit, ut ita potiſſima cauſarum legis conſideratio ad voluntatem recidat.

XII. Ex hiſce jam licet colligere fundamenta ſequentium regularum. Nimirum: *Ratio legi aſſignanda ſemper eſt univerſalis, numquam particularis. Rationes legum præ reliquis cauſis diligenter ſunt attendendæ. ſive ex naturali jure. ſive ex Politicis præceptis dependeant. Rationes ejusdem legis plures, ubi dantur, ſunt aſſignandæ. Cauſa legis ceſſante ceſſat lex ipſa. Si plures ſunt ejusdem legis cauſæ vel rationes, quamdiu una earum manet, lex manet. Ex ſpeciali aliquo legislatoris affectu v. g. favore vel odio ortæ conſtitutiones ceſſant in caſibus & objectis, ubi affectus ille ceſſavit. Per neceſſitatem introducta ceſſante illa ceſſant. In Reſtringendis legibus non te-*

merarii, sed parci, & considerati esse debemus, & quæ plura huc pertinentia Doctorum lectio, & diligens meditatio suggeret.

XIII. Ad secundam legum imperfectionem progredimur, qvam in eo collocavimus, quod omnes casus legibus comprehendi nequeunt; quoniam & infinitæ sunt actiones humanæ, & mutationibus ac novationibus quotidianis obnoxiæ. Et huic itaq; malo remedium est inventum, & quidem tale, ut conferentes casum datum, de quo lex non est expresse lata, cum alio lege aliqua comprehenso, qui causam seu rationem decidendi eamdem habet, legem hanc illi casui perinde ac si super eo lata foret applicemus. Quę Interpretatio extensiva, seu intensiva vulgo appellatur, & proinde est interpretatio legum insufficientiæ succurrens, trahendo legem ad casum expresse ea non comprehensum, ob causæ identitatem. Hinc adhibitis iis quæ de causarum indagatione Th. 11. dicta habemus, sequentes Regulæ derivantur. *Omnis extensio in defectu legis demum fit, & ubi lex est, ibi inanis est extensio. Extensio sine causæ paritate non admittenda. Ex qualibet causa eousqve facienda est extensio, quousque ex ea legislator fuerat operaturus. Ubi eadem ratio, ibi eadem lex, nisi tamen contraria Legislatoris voluntas clare pateat. Ex qualibet causa cessat extensio, si per eam lex vitio aliquo essentiali inquinetur. Extensio non fit contra jus naturæ, honestatem, pietatem, utilitatem reipublicæ, vel rectam rationem. Si plures sint causæ ejusdem legis, si ex singulis eam valere voluit legislator, singulæ ad extensionem sufficiunt, sin ex conjunctis, omnes procedant necesse est: Lex in erronea opinione fundata non extenditur. Jura singularia, & ex speciali affectu certis personis, locis, &c. data extra illas non extenduntur*, & quæ plura adscribere nunc non libet.


XIV. Notandum hic est, interdum usu venire ut caussa legis vel ratio non appareat, neque dexteritate ulla erui queat, item ut circumstantia legem restringi volens lateat, & tum neque extendi neque restringi posse. Quod quando & quomodo fiat hic determinare prolixum nimis foret. Item interdum rationem vel caussam dari legis generalem, quæ totam legem non exhauriat. Si nempe specialis aliqua determinatio ex arbitrio Legislatoris mero pro-

profecta adsit. Exempli causa, ratio patet cur minoribus curatores dentur, sed quod usque ad xxv. annum præcise, non vero ad vigesimum-sextum, vel vigesimum-quartum curatela continuanda sit, illud arbitrarium erat Legislatori definire, quo certus terminus definitus litium occasionem impediret. Cujusmodi sexcenta alia in jure obvia sunt. Hæ igitur determinationes extensionem & restrictionem ex generali ratione factam seqvuntur. Sed de his satis.

XV. Consequens est ut de reliquis legum vitiis dicamus: quorum tertium numero erat nimia legum universalitas, quæ facit ut leges difficilius ad singulas actiones, quibus gubernandis scribuntur, applicare possint imprimis ii, qui à singularibus abstrahere animum minus sunt assueti. Huic ergo ut obviam irent defectui Doctores, casus singulares legibus illis correspondentes excogitaverunt, ut ita liceat casualem hanc interpretationem appellare, in qua facienda unice observandum erit, ne casum a lege differentem ponamus, vel talem qui circumstantiam aliquam contineat, quam propter lex cessare seu restringi necesse habeat.

XVI. Alia ab hac legum obscuritas, adeoque imperfectio inde oriri dicta est, quod interdum leges plures, quas singillatim præstiterat proponere, eadem oratione connectantur, cui inseruntur quandoque propositiones, immo discursus etiam alieni, & ex diversis scientiis petiti. Occurritur huic malo per resolutionem harum dissertationum in suas propositiones, quam propterea Analysin, seu resolutoriam interpretationem sunt qui dixere. Quod si expediat etiam propositiones illas adjunctas alienas, ac differentes à materia legum intelligere, patet ex diversis scientiis, pro diversitate materiæ hasce interpretationes dependere, adeoque heterogeneas à nostris esse.

XVII. Tandem & confusionem, atq; ordinis neglectum deturpare legum aliquod corpus, imprimis majusculum animadvertimus. Cui medetur ordinatio aliqua, & in methodicam dispositionem facta legum digestio; quæ quidem eo melior erit, quo erit scientificæ similior, etsi plane talis esse nequeat, cum scientia in universalibus ex suis principiis per species gradatim descendendo demonstratis subsistat, leges vero positivæ non semper ex demonstrativis principiis ortæ circa singularia occupentur.



CAPUT III.

De interpretationum speciebus Juri scripto propriis.

XVIII.

Recensitis hactenus ex ipsa legum natura & coordinatione orientibus imbecillitatibus, proximum erit, ut ex scriptura in eas redundantes lustrentur. Quæ consideratio eo minus erit supervacanea, quo plures leges hodie scriptura quam usu fere receptas habemus. Est autem scriptura signum haud immediatum ipsarum legum, sed mediante oratione, quam per ductus litterarios repræsentat. Oratio vero demum est signum ipsarum legum immediatum, per sonos articulatos easdem indicans. Unde patet hinc duplex origo imperfectionum: videlicet ex scriptura, & ex oratione. Quamvis itaque non alienum omnino foret utriusque perfectiones, & imperfectiones per partes hic considerare, quoniam tamen nimis prolixa hæc est speculatio, instituere eandem hoc loco prohibemur. Suffecerit igitur summam hinc orientium difficultatum ad aliquot capita reduxisse, quæ hæc sunt.

1. Si leges quidem ipsæ indicentur per orationem & scripturam, sed alterutri adsit aliquod vitium sui generis.

2. Si & oratio & scriptura nullum essentiale habeat vitium, sed leges

leges imperfecte indicentur, neque satis exprimentur. Sive quando non satis est scriptum, vel dictum.

3. Si plura sint dicta vel scripta, adeoque vel oratio vel scriptura duos possit eadem bonitate sua manente habere sensus.

4. Si diversum quid a mente legislatoris vel per scripturam vel per orationem exprimatur. Singula horum cum suis remediis jam inspiciamus.

XIX. Primo itaque casu, si aliquem habeat defectum scriptura, ut sit minus usitata vel distincta, aut oratio, ut sit minus propria (id quod nunquam est præsumendum nisi sit clarum) pro ea vi significandi quæ superest, intellectus est constituendus. V. gr. *Scriptura antiqua pro eo quem olim habuit significatu, nova pro eo quem modo accepit, peregrina pro eo quo apud alios valet, ambigua pro usitatiori intelligetur. Sic & in oratione, voces vel constructiones antiquæ, novæ, peregrinæ eadem ratione exponentur. Quod si vox homonyma binos sensus æque usitate sustineat, accipietur is per quem constructio manet melior. In Synonymis præferetur significatio latior: in analogis ea quæ totam rei communiter significatæ essentiam & solam complectitur. Ita porro metaphoræ ex similium, metonymiæ ex oppositorum natura intelliguntur. Ex constructionibus etiam ambiguis illa eligitur, quæ voces singulas magis proprias, vel loquendi rationem magis usitatam & puram relinquit.*

XX. Quod si secundus adsit defectus, & oratio ac scriptura quousque adest sit perfecta, sed non adsit sufficiens, id quod deest ex signis voluntatis legislatoriæ pro virili supplere interpres annitetur. Colliguntur autem illa vel ex causis atque rationibus, de quibus indagandis Th. xj disseruimus, vel ex testimoniis aliorum. Quæ si nulla adsint, neque quicquam in interpretis potestate positum supererit.

XXI. Idem fundamentum est certum sensum inveniendi, si vel oratio, vel scriptura binos sensus æque proprie, atque usitate exprimat. Nam & tunc voluntas legislatoris est consideranda, quæ cum semper maxime rationabilis in dubio præsumatur fuisse,

adeoque legem perfectissimam condidisse, hinc patet, considératis legum per partes omnes perfectionibus, *quod in dubio praeferri debeat sensus ille qui facit legem ut plurimum procedere ei qui raro, & qui obligatoriam, ei qui elusoriam: item reddens legem usitatam, ei qui contra: faciens utilem reipublicae ei qui inutilem, vel noxiam reddit: ut & faciens ad salvationem animarum ei qui secus: porro probus improbo, honestus inhonesto, justus injusto. Æquus stricto juri, vel iniquo, rationabilis, & habens rationem vel causam meliorem ei qui deteriorem praeferetur. Hinc semper praevalebit in dubio sententia congruens loco, tempori, materiae subjectae, personae dantis legem, vel accipientis, reliquisque circumstantiis: item quae est aptior & accommodatior rebus agendis, forone, & praxi, vel quae dirigit actiones magis necessarias, vel saepius occurrentes: quae damna minuit, & moderatur. Consequenter in dubio fiet interpretatio pro favorabilibus, cujusmodi sunt, res sacrae, causae piae, personae miserabiles, matrimonia, beneficia Principum, honores, ultimae voluntates, libertas, omnisque liberatio, & alia aliunde colligenda. E contrario odiosa ut excludantur semper annitemur: qualia sunt prioribus opposita, v. gr. poenae, onera, obligationes, exhaeredationes liberorum, servitutes, dolus, & dolosi, delicta & delinquentes, infames, contumaces. Quod si in ambiguo significatio alia sit latior, alia strictior, haec in odiosis, illa in favorabilibus praeferetur. Si harum differentiarum nulla appareat, medium sequemur. Caeteroqui potior est interpretatio per quam lex fit possibilis, verum continens, minime absurda, nec absurdi consequentis caussa, non nimis subtilis, neque cum periculo conjuncta, neque litium ac controversiarum occasiones praebens. Denique quae nulli alii legi contrarium sensum gignit, prae ea qua antinomiam parit acceptabitur. Verum dicat aliquis posse contingere ut in dubio uterque sensus vitium adferat legi. Quod si fiat, patet pro minori fieri electionem, vel si plura utrinque oriantur ejusdem gravitatis, pro paucioribus, si diversi ponderis, pro levioribus decidi. Quae omnia specialius persequi tantum non infinitum foret. Unum addimus, videlicet si quando e duabus sententiis utra ob suam bonitatem ex hactenus dictis praeferenda sit alteri non liqueat (id quod raro accidet) reliquas causas th 9. nominatas, earumque signa attendi, & exinde de voluntate legislatoris judicium formari debere.*

XXII. Ultimum scriptae legi accidit vitium, si ex oratione & scriptura recte & proprie, sicuti fieri debere th. XIX. diximus, intellecta, sensus talis nascatur, qualem legislatorem voluisse nullatenus sit verisimile. Quo in casu *potius mentem ac voluntatem, quam verba & scripturam conservari debere clarum est. Colligimus autem sensum voluntati legislatoris esse contrarium, si summam imprudentiam arguat, legemque insigni*

insigni aliqua labe deturpet. Tunc itaque interpres omni solertia rimabitur, ut per vitium aliquod, seu impropriam acceptionem orationis, aut scripturæ quantum fieri possit levissimam, & talem quam verisimile sit legislatorem admisisse, defectum illum tollat, & sententiam legis rectiorem constituat. Ita rectissime menda scripturæ aliqua, vel improprietas orationis tolerabilis admittitur, ne lex fiat elusoria, superflua, impossibilis, abrogata, contraria alteri, absurda, absurdi consequentis caussa, ratione destituta, vel eidem repugnans, impia, injusta, inhonesta, damnosa, aut inutilis reipublicæ, circumstantiis non congruens, vel alio majore vitio laborans.

XXIII. Vereor ne minus plene pertractatæ legum imbecillitates videantur, nisi de Antinomiis celebri adeo & quotidie occurrente materia, particularis aliqua instituatur tractatio, tametsi, quantum mihi videtur, ex hactenus allatis facile præcipua huc pertinentia elucescant. Nam & in dubio contra eas semper præsumi, atque omni interpretatione ut evitentur recte studeri diximus, & cætera quod attinet, maximam partem ea ex commemoratis antea dependent. Quippe vel veræ sunt Antinomiæ, vel falsæ, aut apparentes saltim. Illæ si observantur, vel utraque lex servatur ab interprete, dum per verisimilem aliquem orationis, aut scripturæ defectum repugnantia tollitur, quo imprimis annitendum est: vel si hujus rei nulla adsit occasio, alterutra servatur, & quidem ea quæ est perfectior, aut si neque hoc liqueat, ea quam voluisse vehementius legislatorem ex signis colligitur. Quorum omnium si nulla appareant vestigia, irreconciliabilis erit antinomia, & neutra contrariarum legum vim suam obtinebit. Falsæ autem Antinomiæ non sunt antinomiæ, sed phantasmata seu imaginationes de iis factæ in animis non attendentium vel non intelligentium, dum decepti similitudine aliqua antinomiæ, credunt eam adesse. V.gr. si quis inter exceptionem & legem, vel inter legem abrogatam & manentem, antinomiam statuat. Unde in propatulo est non esse hic interpretationem novam quærendam, sed attentionem & cognitionem accuratam de natura scripturæ, orationis, legis & oppositionis adferendam, quo minus ejusmodi imbecillitas legi contra thes. 6. affingatur.

CAPUT IV.

De consuetudinaria lege, ejusq; interpretatione.

XXIV.

POst juris scripti interpretationem satis fuse pro præsentis instituti ratione consideratam, non incongruum fuerit ad juris consuetudinarii interpretationem nos convertere. Est autem Jus consuetudinarium, seu consuetudo ΚΑΤ' ἘΞΟΧΗ'Ν ita dicta, Jus moribus constitutum, adeoque lex consuetudinaria erit lex moribus constituta, seu quod eodem redit, lex per actiones & exercitia in opinionem & operativam facultatem civium introducta. Unde confestim elucescit, quod sicuti Paulus Jurisconsultus ait, non fuerit necesse scripto hoc jus comprehendere, quodque adeo omnia præcedendi capite recensita vitia locum nullum hic inveniant, & per consequens neque iis respondentes interpretandi species. Quinimo & reliquarum pleræque hic penitus exulant. Neque enim hic vel confusio, vel connexio partium reprehendenda, neque universalitas declarationem exigit. Sola ergo restat insufficientia, & contingentia omnibus legum speciebus communis. Unde extensionem & restrictionem etiam hic locum invenire concludimus, secundum superius allata præcepta adhibendas. Sed jam finem præsens sibi dissertatio postulat: quare terminamus hic nostram hanc alibi plenius pertractatam synopsin, perperam dictis veniam a sapientioribus petentes, atque sperantes: rectius etiam aliquid indicaturis gratitudinem exactissimam pollicentes

OPUSCU-

OPUSCULORUM
JURIDICORUM MISCELLORUM
III.

ARS
INTERPRETANDI
JURA,

Typo exiguo;
quod ad definitiones, divisiones, &
Regulas suas,
ita quasi Tabellis delineata,
ut unius horulæ, imo breviori spatio
repeti commode queat.
per
VINCENTIUM PLACCIUM,
Hamburgensem.

HOLMIÆ & HAMBURGI,
sumptibus GOTTFRIED LIEBEZEITS.
M. DC. XCIII.

I

I. N. J. C.

B. L. S.



Um Regulæ, quæ Artem interpretandi leges constituunt, æque ac ipsæ definitiones, divisionesque specierum, ipso textu JCti continuo exhibitæ, (ubi demonstrationibus suis illæ quoque firmantur,) non æque ad usum & memoriam sese commode satis, oculis, & adspectui, atq; hinc repræsentationi sistere viderentur: ex re visum, ita illas hic, quantum ejus fieri potuit, succincte maxime repræsentare. Ut *vel* (1) *totidem, qvot impressæ* sunt, *foliolis*, usurpari, *vel* (2) *conglutinata bina* aut *terna*, pro cujusque placito, pauciores etiam paginas efficere & (3) *mundæ* relictæ *paginæ collectaneis annotandorum allegatorum* inservire vel (4) ipsa *folia* paginis aversis mundis *conglutinata continuum textum*, ita malentibus *reddere possent*.

Quocunque vero modo usurpatæ, poterunt artem hanc tanti momenti futuram JCto vero, neque sub hoc nomine Legulejum solum, aut (cum quo genere hominum nihil hic nobis commercii esse volumus) rabulam acturo, vel semihorulæ spatio, (maxime quod ad primarias Romanis numeris distinctas a secundariis Regulas,) repetendam sistere.

Ut adeo prolixitatem, aut confusionem, præceptorum minimum nemo juste in excusationem neglectæ illius artis vertere amplius possit. Vale B. L. & hocce DEI munere etiam bene utere.

I. N. J. C.

INTERPRETATIO considerata *generatim* Cap. II. §. 1. definitur *Operatio faciens cessare impotentiam significandi in signis manentibus. Additione I.* ac §. 2. *speciatim* Juris & *Legum.* §. 3. cujus notanda

1. *Definitio*: *Operatio faciens cessare vitia Juris & Legum, qua signorum, voluntatem latoris indicantium, manentibus legibus.*
2. *Historia* compendiaria *Addit.* II.
2. Summa Regularum generalissimarum. §. 4. *Quarum*

Anticipata *Primaria* I. 1. Legis essentiam conservare interpretando.

Consectaria. 2. non destruere.

II. 3. perfectionem conservare interpretando.

4. non minuere.
5. sed perficere in totum,
6. ex parte, qua possit.
7. Legi prudentiam tribuere summam,
8. imprudentiam minimam.

III. 9. Claræ nullam interpretationem adhibere.

IV. 10. nil mutare,
11. nil addere,
12. nil demere,
13. nil corrigere.

V. 14. Legem ex voluntate Legislatoris interpretari.

15. non contra,

VI. 16. neque præter Legislatoris Interpretationem,

VII. 17. omni obscuritate liberare,

Succenturiatæ, IIX. 343. integram pernoſcere. Cap. X §. 4.
IX. 344. unam ex alia interpretari.
4. *Species alienæ* confuſæ §. 5. 6. ordinandæ ex LLum imperfectionibus § 7. cognoſcendis ex perfectionum oppoſitione. Cap. III.
noſtræ c. IV. Impropriè ſic dicta, & Authentica, Doctrinalis
Propria c. IV. eaq; ſuperius definita, quæ dividitur, ut ſit,

I. Neceſſaria, & Inevitabilis, ac naturalis.
I. Mentalis ſive Intellectualis, & cauſalis late dicta
(1.) Abſolute ita dicta Cap. IV. cujus §. 4. *addit. VII.* definitur *Interpretatio cauſſas legibus ſuis aſſignans.*

**Regulæ,* I. 18. Omnium LLum cauſſæ quærendæ.
II. 19. Cauſſa Legi aſſignanda univerſalis. §. 8.
20. non particularis.
III. 22. non ſemper ſola à Llatore addita. §. 9.
23. Niſi circumſtantiis ita cogentibus.
24. Secus ſi ſit, melior quandoq; ſuggerenda.
IV. 28. Nedum aliena fide cauſſa Legis acceptanda quæcunq;
29. Niſi nil obſtet.
30. Alias verior indaganda.
V. 86. Cauſſæ Legum caute aſſignandæ.
VI. 87. potiſſimum politica ſpecialis.
VII. 88. Specialiter determinans generalem: ut acceſſoria ſequitur
89. Cauſſæ legum quandoque latent omnes invincibili ignorantia JCti.
IIX. 90. plures pro ſignorum probabilitate majori ſeligendæ.

** *Species* peculiares. 1. Rationalis late dicta, ſeu Ratiocinans. §. IX. & *addit.* IX. 1. 2. cujus

Definitio: *Interpretatio rationes legibus ſuas aſſignans.*

Regulæ. I. 21. Ratio Legis præ aliis cauſis quærenda, §. 8.

II. 25. Falſa à Legislatore expreſſa non acceptanda.

III. 26. Naturalis vel Politica Llatoris utique.

27. & Sola;

IV. 31. vel aliena.

32. modo ne falſa,

V. 39. multiplex quærenda.

40. vel naturalis.

41. nedum Politica præterea generalis, aut

42. ſpecialis.

43. naturalis, & poſt Politicam generalem quærenda.

44. ut & plures politicæ generales.

45. poſt ſpecialem Politicam non quærenda naturalis.

46. neque ſpecialis politica alia.

VI. 47. Politica ſpecialis poſt generalem non quærenda.

48. nec generalis poſt ſpecialem.

Species iterum 1. Rationalis ſtricte dicta, ſeu κατ' ἐξοχὴν Juridica Naturalis, & Philoſophica *add.* IX. 1. 2. cujus

Definitio: *Interpretatio mentalis, rationes in Jure Naturali fundatas legi poſitivæ aſſignans.*

Regulæ I. 33. Naturalis ratio Legis omnium prima quærenda. §. 9.

II. 34. *ex Jure Naturali* demonſtrato, vel

35. demonſtrando.

2. Politica

2. Politica sive statistica *Addit.* IX. Cujus

Definitio. Interpretatio mentalis rationes ex Doctrina Politica de Ratione status legi assignans.

Regulæ. I. 36. Ratio Politica Legis ex Politicis quærenda §. 9. vel

37. demonstranda de novo.

II. 38. conjectura assignanda.

3. Opinabilis, sive opinosa, opinans, opinata, opinativa, opinatoria, Addit. IX. n. 3. Cujus

Definitio. Interpretatio mentalis, opinionem Legislatoris, ut legis caussam assignans.

Regulæ. I. 51. Opiniones probabiles absente ratione Legum quærendæ,

II. 52. à Legislatore additæ amplectendæ in alia caussa vetet.

III. 53. Non si melior suppetet ratio,

54. vel opinio.

55. Sed utraque deficiente.

56. ne tamen sit falsa plane, adeoque melior quærenda, quæ

57. excludat reliquas caussas.

IV. 58. sit loco expressæ.

59. multiplex seligenda pro bonitate vel conjunctim æque bona si sit, tenenda.

2. Caussalis stricte & proprie dicta Mentalis Interpretatio, *Addit.* IX. n. 4. Cujus

Definitio: Interpretatio Mentalis caussam à rationibus diversam quamcunq; Legibus assignant.

Regula. I. 66. Caussæ irrationabiles omnes æquivalent JCto, §. 13.

Species ſubordinatæ 1. Affectuoſa *Addit.* IX. n. 5. Cujus
Definitio : *Interpretatio cauſſalis affectum Legislatoris cauſſam legi aſſignans.*
Regulæ. I. 63. Rationi ſi fieri queat, ſemper attemperanda. §. 13.
II. 64. non contraria Rationi, admittenda.
III. 65. contraria rejicienda, & melior cauſſa quærenda.
IV. 67. ex conjecturis indagandis.
V. 68. affectus plures æquivalentes ſimul acceptandi,
69. diſpares pro bonitate majori.
2. Conſuetudinaria *Addit.* IX. n. 6. Cujus
Definitio: *Interpretatio cauſſalis conſuetudinem Legislatoris legis cauſſam aſſignans.*
Regulæ. I. 75. Conſuetudo Llatori confeſſa, ut cauſſa legis, admittatur, deficiente meliori cauſſa. §. 15.
76. Secus ſuppetente.
77. irrationabilis pro nulla habenda.
II. 78. ex ſignis indaganda JCto.
3. Violenta. *Addit.* IX. n. 7. Cujus
Definitio: *Interpretatio cauſſalis, vim ſeu neceſſitatem coactivam aliquam legi cauſſam aſſignans.*
Regulæ: I. 80. Vis & coactio pro legis cauſſa non capienda, meliori ſuppetente. §. 17.
81. Secus Legislatore eam aſſerente admittenda.
II. 82. ex ſignis indaganda.
III. 83. conjunctim quandoque multiplex.
(2.) Reſpectiva ſive Applicatoria, vel applicativa vel Mentalis. Addit. IX.
definita: *Interpretatio, judicans de applicatione legis ad caſum datum facienda vel omittenda*: *ex mentalis*

Interpretationis late dictæ aliqua specie. Ejus *summæ species sunt.*

1. Restrictiva. §. 3. cujus

Definitio: *Interpretatio judicans, quinam casus ob cessantem legis caussam in non comprehensis eadem sint habendi.*

Regulæ Generales. I. 91. cauta sit, &
II. 92. cessantibus demum caussis omnibus,
93. non manente aliqua etiamnum, proinde
94. rara,
95. quandoque ob ignorantiam invincibilem JCto nec possibilis.

Speciales. pro speciebus, quæ sunt:

(1.) Rationabilis. §. 10. Cujus

Definitio: *Interpretatio restrictiva ope mentalis rationabilis facta: sive ex ratione* (vel naturali vel Politica, vel opinativa) *restringens legem.*

Regula: I. 49. Ratione cessante cessat lex.
II. 50. ubi eadem ratio, ibi eadem lex.

(2.) Opinativa. §. 12. Cujus

Definitio: *Interpretatio restrictiva, ope mentalis opinativæ, seu ex opinione Legislatoris, pro caussa legis assignata, legem restringens.*

Regulæ: I. 60. Opinione legis caussam dante unicam, cessante cessat lex.
II. 62. multiplici non nisi omni cessante, lex cessat.

(3.) Affectuosa §. 14. Cujus

Definitio: *Interpretatio restringens legem ex affectu cessante Legislatoris.*

Regulæ: I. 70. Cessante affectu caussa legis unica, cessat lex. Ex. gr.
71. Favores in damnum non interpretando.
72. Onera non extendendo ultra personam.

 II. 73. Plu-

II. 73. Plures affectus cessantes omnes legem cessare faciunt, imo rationabiles soli.

(4.) Consuetudinaria. §. 16. Cujus

Definitio: Interpretatio restringens legem ex consuetudine Legislatoris cessante.

Regula. I. 79. Cessante consuetudine, ut caussa legis, cessat lex.

(5.) Violenta §. 18. Cujus

Definitio: Interpretatio restringens legem ex necessitate, Legislatorem ad condendam eam adigente, cessante.

Regulæ: I. 84. Cessante necessitate, cessat lex, sive unica sola.

II. 85. sive multiplici demum omni.

2. Extensiva. c. V. §. 3. Cujus

Definitio: Interpretatio tollens legum insufficientiam eandem applicando ad casum non comprahensum ob identitatem rationis.

Regulæ. I. 96. Extensio fiat ob solam caussæ paritatem. §. 4.

Generales. II. 97. deficiente demum expressa lege.

III. 98. quousq; Legislator videtur extensurus.

vid. Reg. 100. & *seqq.*

IV. 126. admodum caute.

127. facilius à casu ad casum, quam à persona ad personam.

128. difficili restrictione.

V. 129. ex sola ratione legis potissimum.

Speciales, prout alia species (1.) Rationabilis. §. 5. Cujus

Definitio: Interpretatio Extensiva ex ratione legis, seu naturali & philosophica, seu Politica, seu probabili facta.

Regulæ:

Regulæ: I. 99. Ubi eadem ratio, ibi eadem lex, donec contraria pateat Legislatoris voluntas,
II. 100. ex ipsius expressione, vel
III. 101. aliorum testimoniis.
IV. 102. Vitio essentiali oboriente.
103. contrarietate rationis Politicæ.
104. naturalisve.
V. 105. nisi expressa Legislatoris voluntate.
106. nec contra honestatem, vel
107. pietatem, aut
108. religionem.
VI. 109. Politica ratio generalis non extendatur contra specialem.
VII. 110. Specialis Politica, ratio recte contra generalem extenditur.
IIX. 111. Pluribus rationibus datis divisim, una durante, durat extensio.
IX. 112. conjunctim vero, non nisi universis manentibus.

(2.) Opinabilis. §. 6. Cujus

Definitio: *Interpretatio Extensiva ex opinione Legislatoris.*

Regulæ. I. 113. Opiniones rationabiles, ex ratione vel Voluntate Legislatoris extendantur.
II. 114. Opinio falsa, & impertinens plane, non extenditur.
III. 115. Ex pluribus opinionibus, fit extensio seorsim,
IV. 116. conjunctim, pro voluntate Legislatoris.

(3.) Affectuosa. §. 7. Cujus

Definitio: Interpretatio extensiva, ex affectu Legislatoris, ut caussa Legis facta.

Regulæ: I. 117. Ex rationabili affectu fit extensio, pro voluntate Legislatoris.

II. 118. Jura singularia non extendenda.

119. Affectus contra rationem non extenditur.

III. 120. Affectus singuli, vel conjuncti, pro voluntate Legislatoris extenduntur.

(4.) Consuetudinaria. § 8. Cujus

Definitio: Interpretatio Extensiva, ex consuetudine Legislatoris, ut caussa Legis facta.

Regulæ: I. 121. Consuetudine Legislatoria sola nitens lex, pro ejus rationabilitate extenditur.

II. 122. rationi contraria non extenditur.

(5.) Violenta. § 9. Cujus

Definitio: Interpretatio extensiva, ex necessitate Legislatorem cogente legem ita condere, facta.

Regulæ: I. 123. Ubi eadem necessitas, ibi eadem lex.

II. 124. Ex singulis necessitatibus diversim extenditur.

125. Necessitate cessante ex alia caussa, ob quam mansit lex, erit extendenda.

Applicationes ad Consuetudinariam Legem. c. VII.

I. 140. Etiam consuetudinaria lex restringitur.

II. 141. extenditur.

142. Ex ratione, vel caussa cessante.

143. latiusve patente.

III. 144. Non contra consuetudinem aliam.

IV. 145. Ex scripturæ natura Interpretationes accipiet in eandem redacta.

II. Contingens & evitabilis, ſive accidentalis.

1. Immediate. c. VI. *Definita. Interpretatio, confuſionem Legum emendans, in ordinem ſcientiæ ſimillimum eas redigendo.*

(1.) Methodica §. 4. Cujus pars Summaria

Definita: Interpretatio, notiones univerſaliores pro ſpecialioribus, aut individuis, Legislatoris menti conſonas ſubſtituens.

Regulæ. I. 130. Ordinandæ leges in formam ſcientificæ ſimillimam.

131. adſcenſu ad univerſaliorũ rationum,

II. 132. cauſſarumve rationabiliũ.

(2.) Analytica §.7. item reſolutoria dicta & *definita: Interpretatio, legis terminos plures juſto ſeparans.* Cujus *pars* ſive *ſpecies* Heterogenia, multiplex. Quæ univerſim

Definitur: Interpretatio analytica, diverſarum à Juris ſcientia notionum, & propoſitionum, facta.

Regulæ. I. 133. Impertinentia Legum ſeparanda.

II. 134. pertinentia ad leges alias eo referenda.

III. 135. Tot leges formandæ, quot ejusdem rationis ſunt ſubjecta vel prædicata.

IV. 136. vel utraque.

V. 137. Stipati Syllogiſmi reſolvendi.

VI. 138. Scientiæ heterogeniæ qua utiles JCto deguſtandæ.

(3.) Caſualis. §. 9.

Definitur: Interpretatio, univerſali nimis ſubjecto legis, ſpecialius imo individuum ſubſtituens.

Regul. I. 139. Caſus ex aſſe quadrans, nec ad exceptionem recidens formandus.

 2. Me-

2. Mediate: Critica late dicta, seu explicatio, vel Interpretatio explicans, explicatoria, vel explicativa intercedente *Oratione & Scriptura*. c. IIX. §. 17.

Definita: *Interpretatio legum, mediante Interpretatione Scripturæ, aut Orationis facta.*

Regulæ generales. I. 146. Cavendum ne in sede vitii legis scriptæ tollendi aberretur. §. 17.

II. 147. Orationi & scripturæ Legum perfectissima significatio adscribenda. c. IX. § 2.

III. 148. sensus inveniendus operans aliquid.

IV. 149. unus solus, certusque.

V. 150. ex Legislatoris voluntate.

Speciales pro speciebus earundem, quæ sunt.

(1.) Externa, seu Philologica mera, definita *add.* XIII. *Interpretatio explicans, sive Explicatio Legis, ex orationis, aut scripturæ illam significantis, natura.*

1. Ordinarie Expositoria late dicta, seu absoluta & simplex. Expositio etiam dicenda, late sumpta voce. *Addit. XIV.* definita: *Interpretatio explicativa mere philologica, legis, ex scriptura vel ratione in se spectata.*

1. Circa scripturam, Grammatistica. *Addit* XIV. *definita*: *Expositio legis ex scripturæ, qua designatur, natura.*

II. Expositoria stricte dicta §. 3. & intellectiva, seu expositio mera, & stricte dicta,

Definitur: *Explicatio Legis, ex natura perfectæ illam significantis scripturæ.*

Regulæ:

Regulæ: I. 151. Scripturæ uſitatiſſima ſignificatio coæva Legislatori præſumenda.
II. 152. Exemplar præferendum Legislatori contemporarium magis.
III. 153. diligentius ſcriptum.

2. Declaratoria Addit. XIV. cujus

Definitio: *Explicatio, ex natura imperfectæ ſcriptionis*, eam ſignificantis: unde *ex generalibus fluentes*.

Regulæ: I. 154. Scripturæ claræ nulla Interpretatio,
155. imperfectæ ex perfectione reſidua fit Interpretatio. V. gr. peregrinæ,
156. antiquæ,
157. novæ,
158. ambiguæ.

2. Circa orationem 1. Grammatica. *Addit.* XIV. definita: *Explicatio Legis, ex orationis, qua continetur illa, natura. Cujus Species.*

1. Expoſitoria ſtricte dicta. *§. 4. & addit.* XIV. *definita*: *Explicatio Grammatica legis ex perfecte ſignificantis Orationis natura.*

Regulæ: I. 159. Orationis proprietas Legislatori coæva præſumenda.
II. 160. authenticæ præ verſione ſelectus habendus.
III. 161. plusquam unius præferenda præſtantior.

2. Declaratoria. §. 4. *& addit.* XIV.

Definita: *Interpretatio Grammatica legum, ex imperfectæ orationis natura*,

Regulæ: I. 162. Oratio imperfecta, pro reſidua perfectione interpretanda. v. gr.

 Vox

vox peregrina,
163. antiqua,
164. nova
165. technica,
166. homonyma,
167. constructionis melioris,
168. synonyma,
169. analoga, ut &
173. Constructio peregrina, antiqua, nova.
174. ambigua,
175. magis usitata.

2. Rhetorica. *Addit.* XIV. in f.

Definita: Expositio legis ex Orationis virtute, seu Ornatu sermonis maxime persuasorio.

1. Expositoria, *ibid.*

Definita: Expositio Legis ex perfectione ornatus in sermone.

Regula. I. 170. Ornatus Rhetoricus perfectus, pro omni sua perfectione interpretandus §. 4.

2. Declaratoria addit. XIV.

Definita. Expositio Legis ex imperfectione Ornatus in sermone.

Regulæ: I. 171. Ornatus oratorius imperfectus, pro residua imperfectione interpretandus, §. 4.

172. Metaphoræ transeunt in proprietatem.

176 Verba precantia &c. pro imperantibus capienda.

2. Eytraordinarie: (1) Externa, comparata, & respectiva. *Addit.* XV.

Definita: Interpretatio Legis Philologica mera, legem ex Orationis & scripturæ comparatione mutua interpretans. Ejus

Species: 1. Suppletoria perfectiva Critica. Addit. XIV. n. (1.) *definita: Explicatio comparativa legis scripturam ex perfectione orationis supplens.* Cujus item *Species* ibidem definitæ

1. Suppletoria Grammatico Critica, quæ *ex perfectione Orationis Grammatica scripturam supplendo, leges interpretatur.*

 2. Supple-

2. Suppletoria Rhetorico-Critica, quæ *ex Rhetorica Virtute sermonis scripturam legis supplet.*

3. Suppletoria Grammatico-Rhetorico-Critica, quæ *ex perfectione simul Grammatica & Rhetorica sermonis, scripturam legis suppleus.*

2. Electitia §. 5. & addit. XV. definita: *Interpretatio critica, ex pluribus Legis scripturis eligens unam, ratione sermonis perfectiorem.*

Iterumque *triplex* similiter pro triplici perfectione selectui caussam dante.

Nempe Grammatico Critica,
Rhetorico Critica,
Grammatico-Rhetorico Critica.

3. Emendatoria itidem addit. XV. *definita: Interpretatio critica, scripturam emendans, ut liberetur imperfectione aliqua Orationis: tripliciter* iterum distinguenda. Nempe Grammatica
Rhetorica,
mixta, sive Grammatico-Rhetorica.

Harum *regulæ* cum *ex ipsis definitionibus* satis patescant generatim, at vero speciatim ex Grammaticis & Rhetoricis præceptis sint petendæ, explicatius non proponuntur.

(2.) Interna, eademq; dicta & plusquam philologica, item Hypercritica. *Addit.* XIII. & XVI. Cujus

Definitio: **Interpretatio Critica, ex sensu Legis, & voluntate Legislatoris aliunde cognita, orationem atque scripturam interpretans.*

Species: 1. Electitia Interna Interpretatio plusquam Philologica, *addit.* XVI. n (1.)

 Definita:

Definita: Interpretatio seligens unam ex pluribus orationis sententiis, aut Scripturæ.

Cujus iterum *species* 1. Perfectiva, ibid.

Definita: Interpretatio plusquam philologica, seligens unam ex pluribus legis scripturis, aut orationis sententiam, pro perfectione interna legis, qua legis.

Regulæ: I 178. In dubio, æqualium orationum aut scripturarum præferendus sensus faciens legem magis perfectam. §. 5.

179. minusve saltim imperfectam.

180. præferendus sensus, faciens legem propositionem ei, qui secus.

181. contingentem ut plurimum] ei, quæ utrinque.

182. Universalem præ particulari, vel singulari.

183. Distinctam ab aliis.

184. Receptam consuetudinariam inusitatæ.

185. Validam & obligantem, non corrigentem.

186. Subjecti non nimis universalis.

187. à prudentia ortam.

188. efficacem & aliquid dirigentem utiliter, non elusoriam.

189. tendentem ad finem meliorem.

190. Reipublicæ proprium.

191. magis piam.

192. salutarem animæ.

193. probam,

194. justam,

195. honestam,

196. rationabilem, unde Rationalis etiam species peculiaris dici queat.

197. rationabiliorem,

198. Juri naturæ consonam

199. caussæ magis rationi consentaneæ.

200. opinionis probatioris sapientibus.

201. verosimilioris,

202. convenientem circumstantiis loci, temporis, &c,

203. respicientem proxima.

204 aptio-

204. aptiorem rebus agendis,
205. foro utiliorem,
206. directricem magis necessariarum actionum,
207. crebriorumve.
208. æquiorem,
209. benigniorem,
210. æqualitatis & inæqualitatis debitæ.
211. damna non inferentem, sed moderantem.
212. utiliorem,
213. favorabiliorem,
214. minus odiosam,
215. latiorem pro favorabilibus.
216. strictiorem pro odiosis.
217. latiorem pro religiosis.
218. sacris.
219. piis.
220. Ecclesiæ bonis.
221. miserabilibus.
222. matrimoniis.
223. pro affectu maritali.
224. dotibus,
225. legitimationibus.
226. successione liberorum;
227. beneficiis principum,
228. honoribus,
229. ultimis voluntatibus.
230. institutionibus hæredum validis,
231. libertate & liberatione.
232. impunitate,
233. mitigatione pœnæ.
234. reo,
235. possessore,
236. contra exhæredationes liberorum.
237. contra obligationes inducendas indebitas,
238. pœnas infligendas,
239. exasperandas,

 240. pœna-

240. pœnarum pericula inducenda,
241. augenda.
242. damna inferenda.
243. Spolia turbationesque.
244. culpas.
245. caussas & irritamenta culparum.
246. officii violationes
247. pietatem patrum aut filiorum violatam.
248. inofficiosas dotes, donationes &c.
249. mutationes ultimarum voluntatũ.
250. præsumtiones doli,
251. delicti,
252. fiscum,
253. pro favorabilioribus.
254. pro magis adjuvante æque favorabilia,
255. minus odiosis.
256. magis infringente æq; odiosa.
257. contra injuriam facturos,
258. volentes & potentes lædere,
259. vel præsumtive.
260. obscuro sermone utentes.
261. stipulatores.
262. injuriæ auctores.
263. infames.
264. contumaces.
265. vitiosos, dolosos, fraudulentos.
266. lucraturos potius, quam perdituros.
267. donatarium pro donante.
268. legatarium pro hærede.
269. Medium in plane dubiis sequendum.
270. pro veritate contra falsum.
271. sensu præcipiente potius, quam interrogante, &c.
272. debita proportione pœnarum & præmiorum,
273. mediis dirigendi appositis,
274. facilioribus,
275. possibilioribus.

276. evitanda superfluitate legis.
277. contra absurditatis caussam.
278. subtilitatem nimiam.
279. contra periculositatem legis.
280. repugnantiam legum.
281. pro legis imbecillitatis minori gradu,
282. vel numero.
283. correctione potius, quam superfluitate,
284. potius pro vitiis classis 4. 3. 2. quam primæ
285. 4. 3. quam secundæ
286. 4. quam tertiæ.
287. contra disputabilitatem legis.
288. potius pro redundantia, quam repugnantia.

2. Caussalis §. 6. & *Addit. XVI. Definita: Interpretatio hypercritica ex notitia caussarum, ab interna legis, aut orationis, & scripturæ bonitate diversarum, Orationis sententiam, aut scripturam ex pluribus unam eligens* *Species* ejusdem

1. Interna mere: quæ

Definitur: Interpretatio hypercritica, ex caussis Voluntatis Legislatoriæ circa legem, qua legem, eligens orationis unam ex pluribus sententiam, vel scripturam. Cujus

Regulæ: I. 289. Voluntas Legislatoris indaganda potissimum circa ipsam mentem & conceptum.

II. 290. collectis signis.

2. Externa partim: cujus

Definitio: Interpretatio plusquam Philologica, seu hypercritica eligens ex notitia Voluntatis Legislatoriæ circa caussas Orationis aut scripturæ, unam ex pluribus earundem. Ejus

Regulæ: 1. *Circa Orationem*

1. 291. Voluntas Legislatoris circa orationem, post mentis voluntatem quærenda &

292. inde sensus assignandus.

293. Si studio novitatis, alteriusve imperfectionis Legislator fuerit infectus.

294. Sectanda interpreti Legislatoria loquendi Consuetudo,

295. necessitas.

(2.) *Circa Scripturam*,

Reg. I, 296. Similiter Orationis modo dicta, ratione interpretanda.

2, Suppletoria, ex *Addit.* XVI.

Definienda: *Interpretatio plusquam Philologica interna, supplens legis orationem, aut scripturam, ex signis Legislatoriæ Voluntatis.* Unde *specierum* & internæ meræ, & partim internæ communis,

Regulæ: I. 177. Ex signis Voluntatis Legislatoriæ (sive circa mentem, sive circa orationem, aut scripturam legis cognitæ) oratio vel scriptura minus plena legis supplenda.

3. Emendatoria 1, Interna mere. *Addit.* XVI. cujus

Definitio: *Interpretatio plusquam Philologica; corrigens scripturam, aut orationis nativam sententiam, ex certò cognita aliunde Voluntate Legislatoris.*

Regulæ Generales: I. 297. Pro mente contra proprietatem Scripturæ, & Orationis Voluntas Legislatoris interpretanda.

298. testimonia non nisi consona veritati admittantur.

299. Nulla caussa, sine ratione, sufficerit improprietati Orationis, scripturæve inducendæ.

300. Ne-

300. Nedum contra rationem.

II.323. Mens Legislatoris potior verbis. §. 9.

Speciales, Pro ſpeciebus. Quales 1. ſunt Orationis emendatoriæ, ſive malis declaratoriæ Mentalis (1.) Perfectiva, i. e. *ex perfectione legis, qua legis, ſive interna, facta.* Cujus

Regulæ: I. 301. Contra orationem & ſcripturam interpretandum, ne major imprudentia Legislatoris admittatur.

302. Lex alioqui valde imperfecta futura, levi ſcripturæ vel Orationis Vitio, veroſimilius Legislatoris admiſſo juvanda.

303. Impropria Oratio potius admittenda, quam Vitia Legem perimentia *primæ claſſis*.

304. graviter lædentia *ſecundæ claſſis*.

305. comparatione facta Vitiorum

306. *tertiæ* & *quartæ claſſis*, eorumque

307. compoſitione,

308. atque mixtione.

(2.) Cauſſalis, ſive quæ ipſius *Definitio* eſt, &

Regula: I. 309. Pro improprio ſenſu orationis ex ſignis Voluntatis Legislatoriæ formanda.

2. Scripturæ emendatoria 1. Interna, ſive malis Declaratoria Mentalis 1. Perfectiva §. 8. id eſt

Ex perfectione legis interna facta.

Regulæ, I. 310. Scripturæ error admittendus, evitando Vitio legem perimente,

II. 311 lædente

essentialiter totam

312. ex parte.

313. in qualitatibus comparatio repetitur.

314. Signa scripturæ vitiosæ consulenda probe.

2. Caussalis, i. e.

Ex caussis Voluntatis Legislatoriæ, circa legis sensum ipsum specialibus, præter internam perfectionem legis, ejusdem *scripturæ mutationem faciens*, Ubi

Regula Generalis, I. 315. Cavenda nimis magna correctio Scripturæ.

2. Externa partim, i. e. *ex signis Voluntatis Legislatoriæ circa Orationem legis scripturam emendans*. Cujus *species* (1.) Perfectiva, sive *Ex signis Voluntatis Legislatoriæ circa perfectionem Orationis, aut imperfectionem, scripturam emendans*.

Regulæ absolutæ: I. 316. Scripturæ Vitium verosimiliter Legislatori commissum potius admittendum, quam Orationis tota essentia perdenda.

317. perfectiore.

318. In concursu Vitiorum Scripturæ & Orationis, comparatione facta, pro minori imbecillitate decidatur.

(2.) Caussalis, sive

Ex signis Voluntatis Legislatoriæ, in caussas alias, ad certum

tum Orationis aut ſcripturæ aliquem uſum, Legislatorem impellentes, ſcripturam & Orationem emendans.

Regulæ: I. 319. In concurſu Vitiorum Scripturæ & orationis æqualium, maxime ex ſignis Voluntatis Legislatoriæ interpretandum.

II. 320. Inæqualia vitia Orationis & ſcripturæ pro minori imbecillitate admittenda.

321. Æqualia ex ſignis Voluntatis Llatoriæ dijudicanda.

322. Orationis potius quam ſcripturæ admittenda vitia.

Reg. Generalis. 324. Mens potior ſcriptura Legislatoris. §. 9.

Hiſce omnibus demum Antinomiarum Interpretatio addita Cap. X. ſuperioribus abſolvitur regulis, adeoque *primarias novas* non habet, *ſed ſecundarias meras, ex ſuperiorum applicatione derivandas.*

Veræ Antinomiæ. §. 1.

Generatim. 325. Antinomiæ non præſumendæ, ſed quacunque Interpretatione tollendæ.

326. utraque lege manente, ſi fieri queat, conciliandæ vel per improprietatem.

327. Orationis prius, dein Scripturæ. Reg. 222.

328. quanta minima liceat.

329. etiam ſcripturæ correctione veroſimili.

330. In utraque lege tentanda Interpretatio reconciliatione.

331. Alterutra lex minimum ſemper ſervanda, ſi utraque non poſſit.
332. & quidem ea, quam maluerit Legislator.
333. vel quæ ſit perfectior.
334. quæve ſignis Voluntatis Legislatoris evidentioribus nixa.
335. Irreconciliabiles exigunt Legislatorem.
Falſæ Antinomiæ
336. JCto bono vitandæ, nullæque fingendæ, *ex Reg. General. I.* Cui fini
337. Scripturæ Intellectio, & ad eam
338. Attentio
339. Orationisque Intellectio, & ad eam
340. Attentio ſit plenaria.
341. Legis utriusque notitia & Attentio.
342. Contradictionum notitia, & attentio ſit exacta.

FINIS.

OPUSCU-

OPUSCULORUM
JURIDICORUM MISCELLORUM
IV.

IDEA
JCTI ROMANO-
GERMANICI
PERFECTI.

affecti quidem, at vix perficiendi,
delineata.
Capitibus ſuis ſummis,
cum
Apparatu exiguo præparato, & ad ulteriorem elaborationem, cujuscunque volentis, communicato,
per

VINCENTIUM PLACCIUM
Hamburgenſem.

HOLMIÆ & HAMBURGI,
ſumptibus GOTTFRIED LIEBEZEITS.

P

I. N. J. C.

B. L. S.

QVamvis hinc inde universalem Juris interpretandi scientiam nostram philosophicam exemplis plurimis, & innumerabilibus insuper legum atque doctorum Juris Civilis allegatis, ita instructam dederimus; ut illius ad Jus Romano-Germanicum applicatio, cui juxta ac juribus quibuscunque aliis, præcipue ab initio fuit destinata, non posset multum in difficili posita permanere: tamen operæ pretium etiam est visum, eandem aliquando numeris suis omnibus exquisite magis atque partite adornatam plenius elaborari. Cujus laboris cum defecti morbis continuis corpusculi senium, exacto jam supra semiseculum anno ætatis integro, appropinquans, spem vetet inchoare longam: hanc mentis meæ, unicuique hoc opus aggressuro ideam, triginta jam abhinc annis integris conceptam, & quandoq; per saturam quasi aliquibus allegatis, olim si licuisset ea ordinare, usui futuris, hinc inde interpolatam in publicum proferre non detrectavi. Etsi facile providebam, nulli hæc initia consummaturo, eandem sese ex toto utiq; probaturam. Tum quod inevitabilis est in re tam multiplici plurium in plurimis dissensus: tum quod meis insistentem humeris omnino longius prospecturum, ac fatigato succedentem cursum ultra continuaturum quemq; huic absolvendæ scriptioni alias idoneum, sperare debeo atq; optare. Neq; vero mutationem in melius ullam ego abnuam. Quin potius poscam & exposcam, etiam tantam, ut mea præ secuturis sordeant, & oblivioni mandentur, modo publica res litteraria in melius inde promoveatur. Interim hæc boni consulantur, & æqui, rogo. Vale.

I. N. J. C.
DE JURISCONSULTO ROMANO-GERMANICO.

Caput I.



DE *Jure multipartito* admodum, variorum temporum & auctorum, imo voluminum, circa quod JCtus Romano-Germanicus versatur: singulas partes, & partium partes, v. gr. libros, titulos §orum naturam considerando, ita ut enucleate inspiciantur.

(I) *Jura Sancta* ex Hagiographis, seu sacris litteris V. & N. Testamenti deprompta, ubi agendum *de Jure divino* 1. *qua morali* mero ac demonstrabili.

2. qua *positivo* mero, ac indemonstrabili, attamen communiter obligante. An & illud existat, & ad JCtum pertineat.

3. qua *forensi*, sive Hebræorum Reipublicæ, judiciis, foroque seorsim accommodato, nec adeo nisi rationis politicæ paritate manente, nobis etiam observando.

4. qua *cæremoniali*, typicoque, ac abrogato per Christum omnium Typorum implementum.

Quorum *primum* nisi Jus naturale demonstratum habenti philosophica accuratione determinari per omnia non posse, in propatulo est.

ſecundum, niſi primo determinato, nec ipſum ab eo diſtingvi potuiſſe, vel poſſe. Id quod ſuperioribus añis Vir Celeberrimus Chriſtianus *Thomaſius* editis peculiaribus *Inſtitutionibus Juris divini*, cùm naturali conjunctim uno quidem opere, at ab invicem plane tamen diſtinctum, repræſentare ſategit. Cujus tamen ſatis necdum aſſentientes etiam alios, operæ pretium ſit hic examinare: non modo ante quam ipſius Jurisprudentia divina prodiisſet, (cujus ſcopum ac intentionem, tum ipſa operis præfatio, tum Programma etiam inſuper Germanicum Anno 1691. Domin. XIX. poſt Trin. publice propoſitum exponit.) verum & poſt illam editam ſcribentes. Ubi quidem omnis Quæſtio ni fallor eo recidet, *Annon* ea *quæ pro communi Jure mere poſitivo divino habentur à Clariſſimo Thomaſio, poſſint vel ad naturale, vel ad forenſe ac Politicum Hebræis peculiare penitus revocari.* Ut adeo tota illa ſpecies mere poſitivi communisque ſimul omni humano generi Juris divinitus ſanciti, in nihilum recidat. Quam hic decidendam nobis nondum ſumimus.

Tertii, ſive Forenſis Juris Hebræorum etiam aliquod ſyſtema exacte methodicum adhuc in deſideratis ſi ponam, non videar mihi temere id facturus. Siquidem & *Analogum* illud cuperem *ad exactiſſimam Politicam doctrinam reſpondentis deſcriptionis ſingularis alicujus Reip.* hoc loco Hebrææ expoſitum, & *rationibus* ſuis *Politicis*, atque *ſtatiſticis*, quantum aſſequi humanitus liceret, divinam hac in parte prudentiam, expreſſe *additis* auctum, illuſtratum, & uſibus Interpretis JCti adaptatum. Ac in iis præcipue quidem huic uſui maxime ad nos pertinenti, qui oſtenderet, quousque ſalva Reip. forma & ſtatus ratione liceret, imo conduceret, atq; pro dignitate ac veneratione auctoris forenſium harumce legum DEI, deceret etiam nos, earundem aliquas in quamlibet noſtrarum rerumpublicarum, recipere, judiciisque & foris noſtris etiam præ quam alia noſtra inventa frequentare.

Qua occaſione non poſſum non mea facere verba Joach. Mart. Unverfährt de Pædia Jprudentiæ cap. XXIII. §. 3. *De quibus*

bus (Legibus Hebræorum Mosaicis præcipue) *ita judicant communiter, quod non æque tantum, sed etiam ad felicitatem civilem perquam idoneæ, atque adeo prudentissime latæ; præsertim cum Hebræum sacrum populum DEUS voluerit esse quam felicissimum. Nullus tamen hactenus Politicam legum illarum prudentiam qui ostenderet, inventus est: licet nec hac opera possit esse quod temere* (facile malim) *dignius.* Qvæ verba fere sunt totidem Hermanni *Conringii*, (quem toto isto opere præcipue sibi æmulandum sumserat *Unverfährtius*) de Prudentia Civili. cap. XIV. p. 313. Memini tamen aliquando de libro Hispanico *Politica Mosis* inscripto aliquid nescio an oculis vel auribus usurpare: quod quale sit satis nunc non recordor. Quando jam ut est apud Maronem *Omnia fert ætas animum quoque*: & *ingenium*, uti *Nasoni* (quod ad memoriam sane,) *longis excidit omne malis.*

Qvarti Juris Cæremoniarum minus hic attendendum fore liquet.

(II) *Jus Cæsareum* tam *Justinianeum*, seu Corpus Civile *Institutionum*, *Digestorum*, *Codicis*, & *Novellarum*, quam

(III) *Justinianeo superadditum usitatum*, ut sunt Constitutiones *Friderici*, & *Aurea Bulla* Caroli IV. Imperatorumq; insequutorum recentiores: *Recessuum* Imperii & *Deputationum*, *Capitulationum*, *Ordinationum Cameræ Aulicæ*, & *Spirensis*,

(IV.) Consvetudinarium seu *Feudale*, *Stylus Cameræ* &c.

De quorum singulis partim & universis auctores, tum ad *Institutiones reconcinnatas meas* pro tironibus commendati, tum alii præterea bene multi multa tractarunt, quæ vel remissive tantum, factis methodicis excerptis lemmaticis suffecerit proposuisse, ad sequentium intellectum: addendo allegatis locis, qualiter, & quid quisque præcise tractaverit. Ne promiscua citatione plurimorum

rum sine selectu copiosa potius oneretur Lector, quam adjuvetur. Qui mos nimis jam invaluit ad ostentationem vanam scribentium quidem, at non æque ad usum legentium, quam nauseam & temporis jacturam accommodatus: tanto tamen hoc inprimis tempore ineptior, quanto nunc plures habemus & accuratiores Catalogos, atque Bibliothecas Juridicas vel generales, in quibus vel parum curioso cuique liceat sub titulis congruis digestæ indiscriminationi id generis libros invenire satis multos. Quare meis ad Institutiones reconcinnatas laudatis nunc solum addo Erici *Mauricii* dissertationem de libris juris communis plane singularem, laudatum quoque JCti cap. IX. § 3. ante reg. 113. (d) ob rariora plnscula, nec alibi legenda.

(V.) *Privilegia & Jura Statuum* Imperii varia.

(VI.) *Statuta* item Provincialia & Urbica celebriora.

Ubi de *periculo statutorum Giesberti* disquirendum, cui usui, & qvomodo uberiori quam hactenus illud iri queat reconcinnatum, ita ut sine periculo editorum possit integre prodire. Quorum primum partis primæ solius editorem, satis acerbe de damno non vendibilis libri memini, me præsente, conquestum.

(VII) Neque negligenda hic erunt ea quæ præter hæc usitata minus jura Justinianea obsoleta etiam extant: puta *Edicta* 13. & *Novellæ duæ in editione Gothofredi* exhibentur *ex Basilicis*, & *Epitome novellarum Juliani* depromptæ. Quæ magis antiquitatis quam Juris usitati Studiosis inserviunt, utpote ab usu plane remotæ. Item alia *Justinianeo superaddita jura antiquiora*, nec ipsa amplius in usu sunt, quamvis suo tempore præ Justinianeis Legibus valuerint. Talia sunt

(1) *Pro-*

(1) *Procheiron*, sive *Manuale Basilii Magni* Imperatoris auctoritate sub finem seculi 9. promulgatum, Epitomen Codicis Justinianei tit. 60. exhibens.

(2) *Basilicῶν* lib. 60. ab eodem Imperatore confecti, sed a *Leone Philosopho*, Filio demum ipsius promulgati, & ab hujus fratre Constantino Porphyrogenete demum emendati, quibus leges & constitutiones Justinianeæ cum aliis recentioribus mixtæ proponebantur,

(3) *Constitutiones Novellæ* ab ipso *Leone Philosopho* publicatæ 113. etiamnum exstantes, sed nunquam in occidente receptæ.

v. Brunnem. cent. 5. decis. 23. num. X. ibique *Cujacii* Obs. *Schultz* prol. Synops. Inst. p. m. 7.

(4) *Constitutiones aliæ* variæ *aliorum Imperatorum*, in *Gothofredi editione* partim exstantes, partim & ab aliis collectæ: Omnes præter eas Friderici Imperatoris, quæ insertæ sunt Codici atque Feudorum libris ab usu remotæ, potiusque Historiam, quam Jurisprudentiam adjuvantes.

v. Reinking de Jure Retract. Q. 1. n. 23. usque ad 37.

(IIX.) *Jura Pontificia*, seu *Corpus juris Canonicum*, & *Concilia* Pontificiis approbata; ut & aliæ *Pontificum constitutiones recentiores* ipsis observandæ: sicuti *Jus Ecclesiasticum nostrarum Ecclesiarum* nostris. Ex quorum adeo diversorum circa sacra Jurium raro consensu, quantum Juris universalis, ad triplicem in S. Romano Imperio

perio permissam Religionem omnem communiter valiturum concipi queat, id omnino prius sit videndum, quam ad scissuras partium nimis hactenus multas inevitabiles, & irreconciliabiles procedatur. Cœteroqui *de singularum* harum juris *partium origine, historia*, & *attributis*, atque *circumstantiis* reliquis, item *caussis*, puta *conditoribus* & eorum ministris &c. & *effectibus*, *auctoritate* puta & *valore*, *abrogatione*, *obrogatione*, *derogatione* mutua &c. sollicite agendum.

De quorum plerisque collectanea ex multorum super his argumentis, partim ex professo, partim vero sparsim & incidenter hæc, attamen memorabiliter tractantibus jam editis suffecerint: modo in ordinem redigantur concinnum, & omnia uno conspectu exhibeantur accurate, satis pleneque, uno opere, quod augeri deinde, ubi sicut omnia humana, imperfectum manserit, queat, successu temporum & operarum.

Ad quod ipsum adeo perficiendum *Generatim* videri poterit *Historia Romani Juris a Feldeno* delineata *in suis Elementis*, summo selectu, & judicio, ad rationes legum Politicas inde subodorandas. Et *auctores* laudati *Institutionum Juris Justinianei reconcinnatarum* mearum Anno 1682. Francof. in 8. editarum, tit. de J. N. G. & C. §. 8. supplemento 1. & seqq. Quæ supplementa ipsa etiam typum aliquem hujusce recensus, qualiter institutionibus conveniebat, compendiarium exhibent, lectione Auctorum ad marginem commendatorum, cuique uberius illustrandum ac deducendum

Speciatim vero de singulorum partibus, libri, & tractatus, qui exstant, in Bibliotheca *Lipenii* Juridica, & aliorum, vel aliunde conquisiti, materiem suggerent amplam valde, atque copia potius quam inopia gravaturam, contractione, selectuque accurato emendandam.

CAP.

Cap. II.

DE *Jurium* ad JCtum Romano-Germanicum pertinentium *imbecillitatibus*

Non tam (I) *Generatim* univerſorum.

Quæ conſideratio quidem non niſi ſpeciali finita demum poterit aliqua dari alicujus pretii. Quid enim juvabit quæſo dicere cum *Böckelmanno* præf. compendii Inſtitutionum in 12. Lugd. Batav. 1679 editi? Quod (in Jure Juſtinianeo ſunt *innumeræ definitiones*, & *regulæ*, quarum aliæ *generalius*, aliæ *obſcurius*, aliæ *perverſius* conceptæ, maximas tenebras pariunt, niſi commode temperentur, *reſtringantur, explicentur emendenturq;*. Neq; enim adeo perpolitam perfectamque nobis artem reliquit Cæſar, ut non multa in illa *clarius*, multa *brevius*, *plenius*, *diſtinctius*, *melius* tradi queant:) niſi partite id cognoſcamus, in quonam hæreat quodque, ſaltim quod ad genera ſumma diſpeſcenda, quæ totis deinde materiis ſedem ac diſtributionem debent ſuam elargiri, & quod ad definitiones, naturam præcipuarum materiarum concipiendam præbituras. Et ita porro. *Diſputare vero an Jus* noſtrum *laboret imperfectionibus?* profecto ſit inſanire: negare illud inſanire inſania bene magna. Quam tamen etiam in aliquos cadere potuiſſe depræhendas, qui omnia in Jure Civili Romano vituperanda ſatagunt excuſare. Cum interim alii nimio etiam plura, & gravius æquo accuſent. In quo proinde *medium attemperaſſe* hic expediens magis ſit futurum, quam expeditum.

Quam (II) *Speciatim ſingulorum*, tum *inevitabilibus*,

Quales ſunt (III) *in legibus ipſis JCto emendabiles*,

(1) *Contingentia* nempe *utplurimum*,

(2) *Inſufficientia*,

Ubi examinandi *Caſius Wedderkopfii* & aliorum hinc inde *Imperatoria deciſione digni viſi*, annon extenſiva interpretatione

ne solida possint expediri, vel omnes, vel saltim plerique,

(IV.)
(V.) tum evitabilibus.

Quales sunt (I) Copia nimia.

Quæ vel solius Juris Justinianei tanta est, ut excedat eludatque sæpenumero JCtorum etiam summorum memoriam, indicesque & Repertoria: usque adeo, ut nullum adhuc sit inventum sufficiens adminiculum & remedium huicce malo. Quo minus mirandum, qvod sæpe etiam *Doctores summi disputarint de Casibus*, de *quibus leges habebant expressas*, & quemadmodum vulgo loquuntur *in terminis* casum oblatum decidentes. Quemadmodum id jam olim etiam annotavit in ratione legendi Jus Civile *Vigelius* de Tiraqv. lib. 2. retract. §. 1. glos. 2. n. 53. versu & hac de re. & *Cacherano* decis. Pedemontanar. 64. qvi casus definitur l. 44. in numerat. §. item si usur. ff. de solution. Item apud Baptistam *a Villalobos* Toletanum Comm. opinion. alphabet. H. 11. ubi comm. opinio est contra l. is qvi 13. §. substitutus ff. de acqvir. hæred. Item apud Antonium *Gabrielium* Romanum Comm. Conclus. l. 7. c. 13 1. 5. qvæ est contra l. inter eos 33. pr. ff. ex qvibus caussis major. Vide & plenariam 6. *fere legum oblivionem Cujacii* notatam a *Vultejo* Instit. de Excusat. tut. pr. n. 6. Qvi proinde noluit consultus super casu qvolibet, qvantumvis liqvido, ex tempore, ac sine legum evolutione unqvam respondere. Qva occasione recordor ipse summum aliqvem & primarium JCtorum Patavinorum, qvando cum illustris Feldeni filio natu majore illi cognomine, consobrino meo ad eum visitarem, noluisse de legibus disserere, his excusationibus utentem: Memoriam senum labilem, jus diffusum, neqve ad extemporales dissertationes comparatum esse. Vid. Angelus *Maltheac.* lib. 2. cap. 13. de Via & ratione juris, de Phil. Rhegiensi, qvi non recordabatur legis Pater Severianum ff. de condit. & demonstrat. &c.

(VI)

(VI.) (2) *Confusio Legum*.

De qua partim qverelas nimis acerbas, partim excuſationes nimis benignas, aut inficiationes protinus abſurdas reperire licet. Examinandas hic, & librandas, æqva ponderatione.

imo *Titulorum*.

v. gr. qvando ad alios titulos pertinentia, ex aliis ſunt petenda: uti pœna SCti Turpiliani, ex l. 3. ff. de prævaricationibus v. *Calvin.* Lex p. m. 738.

Librorumque adeo *ipſorum integrorum*.

(VII.) (3) *Diſſonantia*. Unde *Antinomiæ*, atque *abrogationes*, *derogationes*, *obrogationes* &c.

De Imperatoris Juſtiniani nimia in mutandis legibus facilitate v. *Stocman*. deciſ. Brabant. 147. ubi l. fin. C. de Novat. ſine cauſſa introductam, & merito repudiatam monet. Adducitqve conſenſum Procopii.

Codicis leges invicem ſibi ut Novellas abrogare ex *Duareno* docet *Ludvvell*. diſp. ad Inſt. ult. th. 3. d.

(IIX.) (4) *Mutilatio*, faciens ut ne Propoſitionem quidem, nedum legalem aliquæ leges habeant.

Ita v. *lex 2. ff. de Incend.* niſi hæc verba *Et loco* habentem: & *l. 2. ff. de Off. præf. Vigil.* nil niſi hæc verba habentem. *Pluribus uno die incendiis exortis*. v. l. 36. & 37. de uſurpat. & uſu cap. Ita leges aliquæ non ſunt tam leges, qvam hiſtoricæ narrationes antiqvorum temporum, & jurium, aut factorum, qvæ occaſiones illis præbuere. Qualia ſæpe leges, aut certe ſectiones digeſtorum notabiles abſolvunt: ac minimum inſtitutionibus compendiariis, tanta prolixitate ac factum eſt, inſeri non debuiſſent, monente id etiam *Weſembec*. in ff. de Teſtam. ibid. §. 2. n. 1.

(IX.) (5) *Redundantia* & admixtio alieno-

alienorum & superfluorum ex antiquitate, historia &c.

(X) (6) *singularitas* nimia Legum, Casus & decisiones pro legibus venditantium.

(XI) (7) *generalitas* nimia

(XII) (8) *Imprudentia* nimia, & *pugnans*

(1) *cum jure divino.*

v. *Veridicum* de Justiniano §. 4. fol. A. 9. & seqq. *Walther* Postill. Juridica Domin. Reminiscere §. 98. p. 235.

Secernendæ tamen hic probe fuerint *impiæ decisiones Doctorum* & *legum.* v. de Sortilegiis ad medicinam corporum permissis *Fromman* de fascino lib. 3. part. 10. sect. 2. c. 1. p. 977. §. 9. ex C. de Malef. & Mathem. ibique citatos.

(2) cum f. *naturali* mero, & *optimo*, ac primario,

Tales an dentur in Jure Civili Romano multi multa in utramqve partem disputavere. Gratis omnia. Quasi vero Jus ullum daretur positivum exacte Juri naturali Optimo conveniens, vel minimæ societatis: & non pro ratione status imperfectioris, semper alicunde secessum facere cogat imbecillitas humana. Hic examinari ergo poterunt imo debebunt *ad systema Juris naturalis collatæ* materiæ, aut *leges* earundem quoque singulares, a jure naturæ abeuntes qvomodocunqve: ut appareat clare distincteqve, in qvantum Jus nostrum sit optimo naturali juri consonum, adeoqve philosophica ratione compræhendendum, ejusqve interpretatio plane conveniat cum scientia, vel inde recedat.

Ita v. gr. Juri naturæ philosophico repugnabit l. 42. ff. de V. S. Ubi *tutelæ damnari jure naturæ* non esse turpe dicitur. l. 32. de

32. de R. J. *Iure naturæ omnes esse æquales.* Quod jam in Ethicis partim contra diximus, partim limitavimus multum.

l. 48. §. 1. de ARD. dicens *fructus rei furtivæ effici bonæ fidei possessoris indistincte*, neque dari Actionem ad id quod factus est locupletior, consumens easdem bona fide. Cum tamen nemo debeat cum damno alterius locupletari. Quod fiet, consumendo fructus, & interim retinendo aliàs consumenda loco eorundem. Similiter huc pertinebunt *Instit. de Rer. divisione §i bene multi.* E. gr. 21. 26. 29. 34. 35. Quorum, ut & reliquorum omnium collatio facillima fiet nostro Juris naturalis publicato D. V. brevi compendio.

(3) *cum Jure naturali Politico* Statistico, secundario etiam dicto.

Quod vitio status quomodo fiat in Jure naturali nostro docuimus.

(4) cum conscientia,

Quod non illico fieri putandum, quando lex ab Optimo jure naturali recedit. Sed quando sine ratione ac necessitate recedens, charitatis leges manifeste violat. Unde nec nisi per accidens, offendiculi vitandi ergo, tunc obligabit.

Ita mala fide usucapiens, utique peccabit, etiam positiva lege sic permittente. Maxime si contra pauperem usucapiat. Neque conciliari cum jure naturæ poterit, quod ex *l. videamus* 17. *ff. de eo quod metus caussa* approbat *Hærsolt* part. 1. act. XX. n. 8. p. 94. uti nec alia multa circa hæreditates & dominia, contractusque innominatos, & alia, veluti comparanti olim Jus naturale nostrum, cum Civili, ad oculum patebit.

In Jure Canonico etiam, ex maleficio defuncti actionem indistincte dari erga hæredem, ad quem nihil inde pervenit. *c. ult. de sepulchris*, ibique *glossa* & *Panormitanus*, nunquam naturali juri consonum evincent.

Sed ex eo quidẽ aliquam multa plane impia, ridicula & absurda

etiam leges. Ita de Malitia Juris Canonici peculiarem librum desiderat *Meisnerus* pior. desiderior. part. 1. dis. XV. p. 42. v. *Wissenbach*. Disp. de Contradictionibus Juris Canonici. *Monzambanus Illustratus* pag. 382. *Salomon & Marculphus Justiniano Gregorianus* in 8. 1668. Franc. & Lips. edit.

(XIII.) partim JCto inemendabiles, uti defectus consensus, &c.

(XIV.) 2. *In legibus quæ scriptis*, sive illarum (1) *stylo* & sermone, atque

(XV.) (2) *Scriptura*.

Huc pertinent qui scripsere *de abbreviaturis & notis juridicis*, quæque *de Manuscripto Pisano*, seu *Florentino Digestorum* notavimus, JCti cap. IX. §. 3.

De substitutionibus, aut insertis in prudentum fragmenta, unde Digesta conflata sunt. v. Meier. Ενδοξῶν locis variis v. gr. th. 8. n. 1. & seqq. ubi de stylo Triboniani aliqua. Ita de auctore legis. *An apud se*. 5. *ff. de Manumiss. vindicta*, differunt a Florentina, editiones reliquæ: non Juliano cum illa eandem, sed Paulo adscribentes Haloandrina Lugd. 1536. & Aldina Basileæ 1541. Quas seqvuti Jo. *Corasius* in comm. l. 2. §. Cassius Cœlius n. 6. ff. de O. J. Franc. *Connanus* l. 2. c. 4. de Manumissionibus. Frid. *Scotus*, & *Alciatus* dispunct. lib. 3. c. 12.

Et Specialius de Inscriptionum, & Subscriptionum ad Codicis Constitutiones, confusione, ac mutatione *v. Ziegl.* in l. 3. l. de S. Baptis. §. 12. & 13.

De Authenticis vitiose descriptis ab Irnerio, v. *Brunnemannum* Consil. 28. n. 27. & seqq.

Novella IX. spuria est *Tabori* & *Wissenb.* apud *Eyben.* ad Inst. l. 2. Obs. 3. th. 6. n. 37. &c.

Et hæc quidem omnia consideranda fuerint in partibus cap. I. memoratis singulis *membratim* & *distincte*

prius:

prius: quam dicatur *universim* aliquid, vel (1) *de partibus Juris majoribus* v.gr. *Juris divini* N. & V. Testamenti. *Justinianei*, aut ejus partium, Institutionum puta, Digestorum, Codicis, Novellarum.

V. *De Juris Romani Nævis generatim* Phil. *Burchardus* & *Christianus Thomasius*, & speciatim de Justitia legum Romanarum *Mæstertius* &c. *Hotomanni* Anti-Tribonianus, neque non *Procopii* Historia arcana ab *Eichelio* edita: speciatim v. Cisneri præf. in Duareni opera. Joh. Henr. *Berger*. præfat. diss. prior. de Jprudentiæ Romanæ præcognitis. *Wesenb*. ff. de pactis. n. 9. de Testam. ord. n. 2.

De Juris Canonici,
Recessuum.
Feudorum &c. imbecillitatibus generatim
seu absolute
seu comparate, alii egerunt bene multi.

(2) *De imbecillitatum speciebus*, ad universum Jus Imperii extensis singulis, universim ex illis collectione facta, differatur. Quod ipsum etiam, utpote potius theoriæ quam praxi serviturum, si paucas forte regulas generales excipias, brevissime putem & summarie admodum absolvi debere.

CAP. III.

I. DE *Interpretatione juris Romano-Germanici, generatim*. (1.) An *prohibita* illa sit unquam, in totum, vel quadantenus, ab Imperatore Justiniano, Commentarios

rios prohibente? Et *an* cum effectu *potuerit*, vel *possit prohiberi*, in totum, vel

ex parte? Quod *ad certas species* v. gr. *extensiones* sine auctoritate Superiorum, æque ac fieri solet temere faciendas.

Quod ad certas *partes jurium* v. gr. *Publicorum* de Juribus Imperatoris, Augustæ, Statuum Imperii &c.

Quod ad certas *personas*, nondum probatæ scientiæ, experientiæ, atque probitatis, quibus solis id committi expedit.

NB. Ex mente Gruteri satis interpretationum fore, si minus interpretum esset. vide in Panegyrico eidem à Balthas. *Venatore* scripto pag. 543. in vitis selectorum aliquot virorum. Londini 1681. in 4. à Gvilielmo *Batesio* editis.

(2) *Historia* JCtorum sive *Interpretum* Juris accurata

1. *Chronologica* hic conducet. Qua serie quique vixerint, scripserint, quid, qua occasione, methodo &c. Quis alterum noverit, ignoraverit, exscripserit, contempserit, refutaverit &c.

2. *Materialis*, eaque iterum duplicata,

(1) *Exegetica*, exhibens Interpretamenta Doctorum *ad Jus universum*,

partes; ejus *majores*. v. gr. Justinianeas, Canonicas, Recessum, minores v. gr. libros, titulos,

minimas, paragraphos, aut commata. Quemadmodum id ab aliquibus jam, & præcipue a Sebastiano *Nævio* Selectorum Juri, volumine in folio bipartito, Francof. 1605. edito

1605, edito tentatum est aliquomodo: sed *majori* longe *selectu*, & *accuratione* fuerit peragendum. Nempe ut ad quemlibet titulum seu locum, auctores ordine, quo sese exceperint, memorentur non modo: sed & quid, qua methodo, quantitate, qualitate scripserint, ad eam partem Juris, alterque alterum (uti sæpe foliis integris pluribus factum) exscripserint, fideliter ac plane commemoretur. Ne non quid ab ejus lectione sperandum boni, vel metuendum incommodi, & ludendæ operæ periculi, constare satis possit.

(2) *Doctrinalis* exhibens materiarum Scriptores *systematicos* integros, ordinatos, aut *miscellaneos*, *partiumve* singularum aut plurium ordine consimili.

v. gr. *de Actionibus*, sicut ex *Nævii*, *Lipenii*, aliorumque Juridicis bibliothecis supplendis constet, qui ad titulum eum Instit. ff. & hinc leges ac §§os singulos, quidque ac qualiter sint commentati, pro Exegetica parte, ita pro hac posteriori enumerentur scribentes *Methodice*, ut *Oldendorpius*, *Schwendendorfferus* &c. vel *adversarie*, ut *Hærsoltus*. Et hi quidem *generatim*. Quos excipiunt *speciales* de aliqua *Classe*, *actioneve sola* commentati. Quorum *series chronologica* servetur: ut quis alterum exceperit constet, valore scripti ex descriptione methodi, molis, styli, partiumque summarum delineatione cognoscendo.

Quali Bibliotheca, partitis temporibus, & operis, sociatisque collegiatim, elaborata, *de libris exterminandis*, sive *negligendis* minimum, & *seligendis* ac in pretio habendis, *meliorandis* itidem, atque *supplementis*, ubi fundamento bene jacto in structuræ partibus defecerint superstruendis, denique & elaborandis de novo, fieri possit judicium.

II. *Speciatim* de *Inevitabilibus Legum Interpretationibus*, &

qvidem (*I*) *Rationali*. Ubi de rationibus legum assignatis (1) *per ipsos Imperatores*, sæpissime parum aptis aut veris.

Ita Instit. *De jur. nat. G. & Civ.* §. 5. convocationum difficultas non erat vera ratio, sed prætextus comitiorum abrogatorum, quæ lædebant potentiam Imperatorum, ex quorum Ratione Status hæc fiebat abrogatio.

Ib. de libertinis §. *libertinorum* 3. veræ caussæ non afferuntur, mutatæ libertinorum conditionis. Nec enim quia conditio mala dedititiorum, & infrequens Latinorum consuetudo, nec quia olim ita fuerat, ideo nunc ita fieri debebat. Sed vera caussa movens erat Ratio status iterum Imperatorum dignitatem Civitatis Romanæ imminuere satagentium.

Ib. Quibus ex caus. man. §. 3. allata ratio potius contradicit Imperatori. Si enim sæpe hac ratione læduntur creditores, eo magis id legibus erat præcavendum.

Ib. de lege Fus. Can. ratio parum stringit. Nam omnino multa debent licere vivis, quæ si liceant in articulo mortis temere, fiant facile in damnum hæredum, & lucrum hæredipetarum, a moribundis, parum relinquenda curantibus, nec sibi satis constantibus, imo solam funeris pompam quod pileati liberti sequebantur, affectantibus &c. Vera caussa iterum erat ex ratione Status Imperatorum, Civitatis Romanæ jura vulgari volentium, & hinc imminui.

De Exhæred. lib. §. 5. v. JCti c. V. §. VI. R. (114) *Adde Inst.*

de fiduciaria tutela, ibique *Vinnii notas*.
de Attiliano tutore §. 3.
de rerum divisione §. 21.
26.
29. 31. 32. 33. 34. 38.
de legatis §. 4. & §. 11. &c.
Item *JCti nostri* c. IV. §. XIII. R. (58.) &c.

(2) *per*

(2) *per JCtos* nostros. Sive *Naturales* sint,
sive *Politicæ*, utræque
vel *scientificæ*, & *demonstrativæ*,
vel *probabiles* aut verosimiles solæ, atque *dialecticæ*. Quibus, ultimis solis, quomodo plerique JCtorum sint contenti, mira licet fluctuatione, ac inani prolixitate, pessimisque inde consequentiis, & nullis non injustitiarum defensionibus obventuris, quæ JCtum, ni caveat, etiam nostrum prement miserrime, opprimentque, operæ sane maximum pretium hic sit ostendisse.

(II) *Caussali* ex caussis impellentibus Legislatores Imperii nostri aliis.

v. *Dd. ad §. 1. Inst. de fidei hæred. & ad l. 3. l. de LL.* Unde aliis qvam rationibus solis motos Imperatores ad Leges publicas condendas sæpe numero, intelligas facile.

affectuum,
necessitatum,
consuetudinum, non æque semper aut rationabilium,
aut perdurantium.

Unde porro

III. *De Applicatione Rationum* legibus assignatarum, recte ad oblatos casus facta JCtis veteribus Romanis, recentioribus,
aut perperam,

Quod maxime fit argumentando dialectice ex legibus, aut earum rationibus. Unde non modo contraria ex diversis, sed iisdem legibus contendentes videas doctores summos. Ita *Bartolus ex l. hærede palam 21.* verbis: *Etsi testes plures fuerint.* &c.

&c. *ff. Qui test. fac.* collegit uni testi affirmanti plus quam 1000 negantibus credendum, qvod *Hector Æmilius* de testibus, v. 60. ad duos applicat, cumque illo alii valde multi, sed v. Æmyl. *Ferretum*. ad dictum locum eleganter hoc non modo non, sed contrarium, qvod unus negans contra sex affirmantes concludat, ex illo textu sequi docentem. Uter jam male interpretatus est?

Imo qvidam Doctores, nunc pro affirmativa, nunc pro negativa, immemores plane sui, eandem adducunt legem, simili dialectica argumentatione utentes.

Quæ res *Opinionum communium contra communes* Volumina peperit Hieronymo de Cævallos, vulgo Hispano a patria loco cognominis citari aliquibus sveto.

(I) Legem *restringendo* v. *JCti nostri* cap. IV. §. X. R. (I) 49. &c.

Ubi innumeræ aliæ, vel ex solis ff. addi possint, v. gr. *Instit. de leg. Patronor. tutela.*
l. 162. *de V. S. it.* 163.
ff. R. I. non. Ubi 2. *menses* ad dies 61. extenduntur.
Ibid. l. 173. §. 1.
ff. de adopt. l. 20. §. 1.
l. 7. §. 2. *ff. de jurisd.*
l 11. *ff. de in jus vocando, cum* §. 1. *f.* 4. *ff. eod.*
l. 27. §. 3. *de Minor.* 25. *annis.*
l. item veniunt 20. §. *ait Senatus.* 7. *&c. ff. de hæreditat. petit.*
l. 9. §. 5. *de juris & facti ignorant.*
l. regula est 46. §. 1. *de Ritu Nuptiar.* Ubi eleganter quod ex ratione legis cognita lex amplietur Ibid. 7. §. 3.
l. 14. *inf. ff. de R. Nupt.*
l. 3. *& l.* 4. *ff. ad L. Pomp. de Parricid.*
ad ff. *de in jus vocando* v. Wesemb. n. 9.
l. sin autem 27. §. *sed & in* 3. *ff. de Rei Vind. NB.*
ff. Quibus ad libertat. provoc. non licet l. 3.

Ita

Ita *Jason* Condictionem de sportulis extendit ad Procuratorum & advocatorum salaria *Hœrsolt.* p. 130. & p. 131. n. 2.

Sed recentiorum quidem infinitæ extensiones, & restrictiones, bonæ, aut malæ dabuntur: aliquæ etiam perridiculè absurdæ.

IV. (2) *extendendo.* v. *JCti nostri c. V. §.* V. R. (1) 99. &c. Ubi generalium legum ad ea, quæ legibus specialiter sunt determinata, male sæpe facta & sine ratione extensio à JCtis etiam summis notanda v. gr. Quando *L. nihil tam* 35. ff. R. J. ab *Alciato* Consilio de duello p. m 891. l. 56. de omnibus plane communicationibus capitur, nullam habentibus hujus effati rationem v. gr. de injuria verbali, qvasi ea dissolvatur rursus illata injuria verbali. Cum tamen lex non nisi de contractibus loquatur: In delictis vero dispar sit colligatio plane, atque solutio. Nisi furtum furto, rapinam rapina velis naturaliter solvi.

Ubi *de usu exiguo plerorumqve* verbosorum adeo *Responsorum, Consiliorumque* juris, per rationes dubitandi & decidendi mere dialecticas in infinitum extendendas, siquidem hoc quæramus. Quibus & generalia tam multa, & aliena pleraque, vel præmittuntur, vel intermiscentur, ut id quod ad rem pertinet excerptum, vix decimam sæpe, aut quinquagesimam, imo centesimam Consilii vel Responsi partem faciat.

Qualis prolixitas minus etiam probanda *decisionum* & rerum Judicatarum &c.

Quæ utinam æque breviter, atque nervose, ac Mevianæ, non ita pridem Wismariæ proditæ, in 4. & folio, conciperentur omnes. In quibus tamen & selectum, & quandoque soliditatem rationum oppido majorem desideres merito.

Faciendus etiam hic *selectus* foret accuratus *Interpretationum, Opinionum, Observationum &c.*

Jus non tam ornantium quam onerantium.

Denique conducent *Collectanea Exemplorum*, quæ *Interpretationes* exhibent *rationales* applicatas,
intensivas,
extensivas, omnis generis Juris Naturales
Philosophicas
Politicas
Caussales &c. Ubi de legibus seu *juribus exorbitantibus*, quæ JCtis nostris dicuntur.

Cap. IV.

(I) DE *Interpretatione* Imperii Legum *Imbecillitates evitabiles curante, generatim.* Quousque illa *licita, necessaria, utilis* &c. *exercita* JCtis hucusque bene, male.

(II) *Speciatim* de Interpretatione Juris Romano-Germanici *Analytica*; seu resolutione legum in suas partes, hactenus quidem neglecta; sed neque satis accurate facta per quenquam, imo nec tentata, qualiter à nobis v. JCti c. XI. §. X. descripta. Quæ tamen futura sit per necessaria, ad sensus legum, & rationes, explicite pleneque, cum omni propositionum suarum numero, Legislatoribus implicite approbatarum eruendas.

(III) De *Interpretatione Summaria*, deque *Summistarum Azonis* &c. *Glossatorumque studio*, huc tendente, supplendo, ac perficiendo. Cujus via præceptis per exempla declaratis præeunda. Postquam illius quid præstitum fuerit hactenus, præmissa sit compendiosa enarratio. Quo pertinentia aliqua habet Unverfährt/ Pædia Jprud. c. 6. §. 89.

6. §. 89. p. 270. vel potius eidem laudatus ibi *Hopperus*. Ericus etiam *Mauritius*, doctiſſima diſputatione, Kilonii de libris Juris communis habita, th. 27. *Rogerium*, aliis *Frogerium*, vel *Fregerium* dictum, praxium ſummas ante Placentinum, & Joh. *Brixianum*, atque ſecutum utrosque illos demum *Azonem*, *cujus nunc optimis* (uti ſcribit *Odofredus* ad l. 1. ff. de tranſact.) *utimur*, ediďiſſe commemorat. Inprimis hic notanda illa *Brocardicorum* juris, ſive Regularum communium, & univerſaliſſimarum formatio, citra ſcientiam, ex mere Topicis aut dialecticis principiis parum cauta. Quippe quarum ope, nihil non liceat defendere in contrarias partes: ſeu uti barbare volunt, pro & contra diſputare. Quo malo nullum juri noſtro perniciofius.

(IV.) De *Methodica Interpretatione* Juris Romano Germanici.

Quæ ut *impoſſibilis habita* bene multis, ac in iisdem adhuc nuper *Unverfährtio*, Pædiæ Jprud. c. II. §. 15. in f. p. 33. &c. ubi & alii citantur: qui librum *Ciceronis* de Oratore tamen afferentem eam laudat. c. VI. §. 82. p. 259.

ut *ſuperflua exploſa* aliis,
ut *noxia quibusdam*:

Illis tamen omnibus non obſtantibus, a nobis non infeliciter, uti puto, pridem in *Noſtris Inſtitutionibus reconcinnatis* tentata, qualiter in Univerſo Jure Imperii Romano-Germanici quam optime porro ſit expedienda, vide *Nicetæ Spilii* Epiſtolam Curioſam, & *JCti noſtri cap. VI. §. 4.* Ubi *Conatus* examinandi tot *irriti*, alii aliis meliores, & aliqui in ſuo genere valde laudabiles, nec tamen unius modi v. gr. *Vigelii*, *Rennemanni*, *Weſenbecii*, *Toloſani*. *Collegii Argentoratenſis* æque ac *Conſilia nil conatorum* exequi, etiam *Philoſophorum*. Quos inter vix hac in parte locandus *Accorombonus*, ad lib. 7. Polit. *Ariſtotelis* pag. 188. lin. 40. incommode plane conſulens.

Poſt omnium vero conſilia & conatus, ſi liceat mihi

mihi quid hic interponere judicii; *duplicem* credam *methodum expedire.* Quarum

1. *Prior, ex mente* prorsus *Imperatoria,* quam *Institutionum* quatuor libri indicaverint procedat, adeoque *Reconcinnatarum* nostrarum Institutionum ordinem tueatur: certe in jure privato.

2. *Posterior*, ad *Juris Naturalis Philosophici* nobis elaborati, *methodum* ineunda, Jus non privatum modo, sed & publicum una complectatur.

Ubi notandum, quod ad sacra, & Ecclesiastica, per dissidium Pontificiorum, & Reformatorum iterum bisectorum inter Lutherum & Calvinum, ne posse quidem unum Jus Ecclesiasticum commune alicujus momenti dari, quin triplex illud fiat, pro triplici illa Ecclesia, in plerisque: ac adeo quasi statutarium communi surrogatum vel substructum.

Utraque vero illa Methodus, contineri debet intra legum expressa verba sola, vel certe facillimis atque liquidissimis argumentis legum, ex textus verbis deducta, & quasi scripturaria, sive scripto expressarum mera, & quidem ita, ut omnes leges, nulla prætermissa, contineantur.

Quod si quis insuper etiam Doctorum ulteriora deducta non male sæpe numero bene multa specialia, & hinc usui quotidiano non parum utilia præ generalibus meris, superaddere voluerit: Corpori illi Methodico juris scripturario Universi, *Corpus Methodicum doctrinale,* seu doctorum succenturiabit.

Quo

Quo dogmata JCtorum ex interpretatione extensiva, vel applicatoria forte ad specialia generalium contineantur. Quod opus video infinitum fore, ob indies accedentem numerum Scriptorum. Ex quibus oportebit ad rem facientia sola, & solida, excerpi quoque indies, atque ad communem massam Operis totius referri. Cumque fieri non possit, quin aliquis, imo magnus hic dissensus emergat scribentium, addendum porro veniet etiam aliud

Corpus Methodicum *Juris Controversi*, seu *Polemici*, aut separandum, *instar Vigeliani*, & Opinionũ communium contra communes, instar Hieronymi (*Hispani* multis vulgo dicti) *à Villalobos*, aut vero dicto modo alteri, distinctione aliqua sola, vel crucis, vel alia superaddita, inserendum suis quæque locis, ut certa dubiis, & controversis opposita, eo magis elucescant.

Ut adeo hæc *Iurisprudentia*, *Theologiæ Positivæ scripturariæ Patrumque & Polemicæ* sit responsura. Cui *Exegetica* quomodo etiam uno corpore possit addi, videbimus suo loco Cap. IIX.

Proderit vero etiam tum ob methodi illius difficultatem & diffusam magnitudinem operis elaborandi, tum ad faciliorem usum elaborati, habere *succenturiatum illi* omnino accuratum *Indicem alphabeticum Materialem*, qui

Utrique corpori respondeat separatim,

Nempe 1. Legum exhibens ſubjecta ſuis prædicatis, prædicata ſuis ſubjectis omnibus inſtructa exacte pleneque. Qualem quomodo per Inſtitutiones & ff. bonamque Codicis partem elaboraverim, in juventute, dictum eſt *ICti Perfecti Cap. XII. §. X.*

2. *Doctorum additamenta* ſimilem in modum concinnata.

Sic v. gr. ut de Senum juribus, per omnia conſortionum genera in conſpectu habere poſſis, quænam illa ſint, & de ſingulis jurium generibus, quænam præter Senes perſonæ, illa recipiant, plus minus, vel non recipiant.

Quo videntur collineare illi qui ex toto jure ſparſa, ſub unum titulum colligunt, diſputationibus, vel tractatibus, ſæpe ſatis curioſis. Ut de Jure aquarum, ignium, pauperum, divitum, ſenum, ſenſuum, Epiſtolarum, nunciorum, nautarum, bacillorum fiſſorum, Kerbhölzer / Opificum, & ſimiliter commentantes. Sed quæ cuncta methodice magis, ad methodum accuratam univerſi corporis, & uniformiter concinnata deſiderem. Qui ordo ex Jure naturali noſtro, quam optime, perſpicue, pleneque (ſpero D. V.) patebit. Nempe circa facultatem adminiſtrandi, ejusque partes, & ſpecies primo, deinde per Conſortionum genera, ordiendo à minimis & pergendo ad maximas deductus. v. gr. Aquarum dominium,

poſſeſſio, ejusque partes, acquiſitio,
retentio,
amiſſio,
uſurpatio varia, uti ſunt vegetabilis ad potum, cibum &c.
ſenſibilis alius, in convictu, converſatione, contractu, ſocietate minima,
media,
maxi-

maxima privata,
publica

quæ esse possit.

Item *Senex* quas variationes Juris recipiat, circa dominia, possessiones, adipiscendas,
retinendas,
amittendas,
recuperandas: inque commerciis, consortionibusque omnis generis privatis,
publicisque v. gr. ad participationem regiminis, immunitates ab oneribus &c.

Quod adeo *Lexicon* vere *doctrinale* & *Practicum* sit futurum instructissimum, & cui alia Methodus displiceat, vel dum illa scientificæ proxima elaboretur, usui forensi, & conscientiæ suffecturum.

(V) De *Heterogeniis* variis *interpretationibus* hic requisitis, imo *Encyclopædia* prope universa. Quantum quæque pars ejusdem, sive scientia, sit necessaria JCto Romano-Germanico. Quidque de *Ethica, Politica, Logica,* &c. *Juridicis* quorundam sentiendum. *Historiæ* & *Antiquitatum* cura, quantum sit necessaria JCto. Et qualiter in hisce commissi *Legislatorum errores*, faciant *legem inefficacem ex toto*, aut ex *parte* saltim, mutationis *interpretationisque authenticæ*, deficientibus aliis, *indigentem*.

(VI.) De *Casuali* Juris Romano-Germanici *interpretatione*. Qualiter *glossatoribus* bene,
male, ac superflue facta,
utiliterque continuanda &c.

Cap. V.

(I) DE *Philologica* Juris Romano-Germanici *Interpretatione* generatim; ut *necessaria* ſimpliciter, ac *diffuſa*, ob Linguarum diſcrimen, Latine, Germaniceque conceptis legibus, Græcæque linguæ mixturam, imo exoticarũ aliarum Gallicæ, Italicæ &c.

An Modeſtinus Græce ſcripſerit, ejusque leges ex græco ſint verſæ v. *Hering.* de fidejuſſ. c. VII. n. 97.

(II.) *Speciatim*, de *Grammatica expoſitione*, ac declaratione; quantum adjumenti ea jam acceperit, & quomodo porro ſit abſolvenda. Ubi *de verſionibus* noſtrorum Jurium in linguas varias. Et an expediat corpus civile, aut Canonicum haberi Germanice. De obſervationibus huc pertinentibus doctorum.

v. gr. de *Triboniani ſtylo*, inſertisque ab eodem, & mutatis ineleganter, deq; ſolæcismis, barbarismis, &c. Juris v. *l.* 8. *ff. ad l. Rhod. de jactu* Uno pro uni.

De *omiſſis fragmentorum veterum verbis*, & *inſertis*. v. *ff. de pœna l.* 38. *§.* 8. *Giphan.* comm. ad ff. de procurator. n. 54. & ſeqq. *Mercer.* ἀνδοξῶν 68. n. 1.

De *neceſſariis Lexicis juris*, deque proditorum defectibus, & requiſitis novi alicujus perfecti.

Ad inſtar fere Scioppiani, (an extantis adhuc, apud Pieruccii Patavini meo tempore Prof. P. hæredes?) certe deſcripti ſatis plauſibiliter ipſimet auctori, cum alias, tum conſuetas. 2. de ſcholar. & ſtudior. ratione p. m. 457. & 480. ed. cum Grotii & alior. diſſert.

Adde

Adde *Cornel. Aſpaſium* Bibliothecæ Aproſianæ. pap. 605. & ſeqq.

Uti. *ſignificatus*, non ſolum exemplis, ſed & definitionibus nominalibus ab omni adeo æquivocatione liberati exhibeantur.

2. *Conſtructiones* omnes, ſubſtantivi cum ſuis adjectivis, verbis, Epithetis &c. verbi cum nominibus, eorumq; caſibus, adverbiis &c.

Qvem indicem autem verbo Juris textuum univerſorum ullo carere ſit nefas.

Quod ſi libeat ſuperaddere *Doctorum voces technicas*, vel ſeparato volumine, vel ſignorum evidenti diſtinctione, ſeparatio fuerit omnino facienda.

De *Concordantiarum* optabili promiſſo imo *conatu Lynckeriano*, nec adeo difficilis futuro executionis, ſi recte res ineatur. Quando vel typographus induſtrius queat, indice ſolo confecto, inſtar Erythræani ad Virgilium, textus legum, per ſectiones diviſim notatos, citra ullam exſcriptionem, ex ipſo Juris corpore ſtatim in ejuscemodi Concordantiam typis exſcribere.

(III) De *Rhetorica Interpretatione* legum Rom.Germanici Imperii, refertiſſimarum rhetoricationibus latinis & germanicis.

(IV) De *Critica* circa Scripturas legum Imperii *interpretatione*, ubi de Manuſcriptis, non modo *Digeſtorum Florentino*: de quo v. *JCti noſtri* c. IX. §. III. poſt R. 153. ſed etiam *Aureæ bullæ*, & aliis, deque editionibus optimis, & *ſummorum Criticorum* & JCtorum hoc in genere *conatibus*, valde laudandis. Quorum ea, quæ ſparſim extant, conducet in ordinem collegiſſe. v. gr. quando *ff. de R. C.* pro ſuo functionem, ſemper ſuffectionem legi vult *Salmaſius*, de modo Uſur. c. 1. pro oppoſitione crediti ſuppoſitionem,

nem, Ibid. c. XII. pag. 500. ex Seneca lib. 7. de beneficiis. Aliorum vero etiam temeraria imitatione multum repræhendenda,

Ubi denuo profuerit ſparſa collegiſſe.

Imo & claſſes aliquas & capita homogenea feciſſe v. gr. Leges diſtinctione ſola commatum aut colorum notabiles. Ut *l. 2. l. de ſponſalibus* docente *Schneidevv.* ad Inſt. p. m. 4. num. 45. &c.

(V) De *comparanda cum Oratione ſcriptura*, in uſum *Interpretationis electitiæ*,
emendatitiæ,
ſuppletoriæ Criticæ. *Singillatim* itidem; & quid ad latinas, quid ad Germanicas leges hic agendum.

Cap. VI.

DE *Interpretatione plusquam Philologica*, ſive *Hypercritica mentali*, vel *neglecta*, vel *obiter tractata* hucusque JCtis circa Imperii Jura: cum tamen ſit omnium præcipua, & noſtris legibus *neceſſaria* plane. Quomodo ea per ſingulas Jurium noſtrorum partes, & ſuas ſpecies inſtituenda ſit, plane ſollicitam, novamque & muſteam tractationem hic deſiderem.

Ita ut *Generatim* applicatis regulis noſtris generalibus, conſtituantur *JCto Romano-Germanico propria præcepta*, unde pateat: Quousque v. gr. *Ex deterioribus etiam Mſſis*, præ melioribus, *lectio amplectenda*, indubio: *corrigenda* quæque vel *ex codice authentico*, vel ex *verſione* latina, græcave Novellarum, aut Conſtitutionum, aliarumque

legum,

legum, exemplis antiquis, notis, aut commentariis. v. gr. *ex Basilicis, C. Theodosiano, Harmenopoli Promptuario, Photii Nomocanone* &c. Idque *speciebus* interpretationis hujus singulis, & universis, *per suas Regulas*, & hasce per *partes juris* nostri, & ejusdem scripturarii *exemplaria* vel *commentarios*, aut *breviaria*. &c. (qvæ ex cap. 1. nota præsupponuntur.) applicatione ordinata *membratim* deducendo.

Speciatim per singulas porro *leges*, ejus indigentes, *quæq;* ducatur *interpretatio*, qua *perfectiva*,

qua *caussalis*, *electitia*
emendatoria
suppletoria, ubicunque

sit opus, peculiaribus *ad jura nostra universa a capite ad calcem* Justinianearum legum, & easdem insecutarum, *annotationibus continuatis.* Unde *Corpus Iuris*, seu potius *Commentarius Iuris universi Exegeticus*, plenus, atque exactus tandem, partitis ante, pro genio cujusque scriptoris, ad hanc vel illam Philologiæ partem accommodatiore, operis; & hisce iterum ad partes Juris, quibus vires & otium sufficiant; ne quid præcipitetur, aut invita Minerva elaboretur.

v. gr. Grammatico Grammaticas interpretationes, Rhetori Rhetoricas, scripturarum antiquitatumque curioso, Manuscriptorum, ac editionum collatione occupari expediat. Et quidem nitorem latinitatis amans digesta, glossematum barbariem ferens Codicem atque Novellas peragret, ac Feudorum libros. &c.

CAP.

Cap. VII.

(I) DE *Antinomiis*, tot Jurium Imperii nostri inter se invicem: *An sint?*

(II) *Quales sint?*

(III) An aliquæ *irreconciliabiles*? & si quæ, illæ quænam sint, ordine a capite ad calcem, per partes Jurium Imperii singulas continuata serie exponatur.

(IV) *Apparentes* contradictiones, ineptissime cumulatæ, auctæque multis, maxime in praxi negotium facessentes, similiter ordine explodantur.

aliæ difficiliores conciliatu concilientur. Etiam *applicationes* nostrarum *generalissimarum regularum* conciliandi, *speciales* formentur, juribus nostri imperii accommodatæ.

Sed pleniores longe ac ordinatiores, quam ab *Unverfährt.* c. 6. §. 90. & aliis exhibitæ leguntur.

V. gr. *Jus Canonicum quando Civili prævaleat*, vel contra. Ubi tamen cavendum, ne Regulæ in se generales, irrationabiliter coarctentur. Ut quæ omni juri pugnanti congruunt, quasi Canonico cum Civili diffidenti propria recenseantur. v. gr. Si contradicat Juri Civili in rebus peccatum continentibus Jus Canonicum prævalere. *Wesenb.* Comm. in Cod. l. 3. tit. 1. l. 1. n. 46. *Gail.* 2. Obs. 121. n. 5. *Mynf.* 1041. n. 1.

Jus Canonicum expressum & planum Juri Civili obscuro prævalere. *Wesenb.* ib. n 47. *Schult.* ad Inst. de pupill. substitut. (b) de Officiis Judicis. (a) p. m. 1468. &c. Nam hæc quidem etiam legibus inter se vel Canonibus, aut quibusvis aliis juris ejusdem contradictionibus conciliandis, universim quadrabunt æque.

CAP.

Cap. IIX.

(I) DE *Habitu JCti Romano Germanici primario partite*, cujus *partes* I. *Memoria legum* (1.) *Quanta* illa, & *qualis* tum *in se*, tum *quod ad imbecillitates*, & alias *qualitates*, in JCto perfecto *requiratur*. Quandoquidem absolute perfecta legum singularum & universarum, cum suis rationibus, caussis, circumstantiis, semper animo præsens, atque extemporalis, in hominem non cadat. Quis ergo gradus, & quæ copia illius exigenda? Quodque *non requiratur* ad eam *connexio titulorum memoriæ mandata*.

NB. Summus JCtus Wittebergensis primarius Zieglerus, aliquando Lipsiensi Professori & Hospiti meo, ex cujus ore id accepi, Eckolto, cujus in ff. Commentaria habemus, aperte dixerat: se postquam itinere propemodum annuo jactatus esset, inquirendi leges citra indicem facultatem, tot annis jam in usum versam, iterum amisisse ferme totam.

Et sane, quod aperte improbatur hac in parte, id variis, tectis, & quasi clandestinis, atque furtivis mediis plurimos exercuisse scio, & ipse me simili etiam invento usum non dissimulo. Nempe ut indicem occultum, & interpositum, vel margini adscriptum per partes ff. & C. usurparim. v. gr. in ff. ad quemque librorum initio per agglutinatam appræhensioni faciliori, ansulam pergameni, adscripta dimidia litteræ alphabeticæ titulorum parte. Codicis vero libris bipartito distinctis ut numero litterarum sufficerent. Ita bina fere foliorum conversione licebat quemque titulum illico evolvere, citra temporis jacturam, & memoriæ crucem, connexione titulorum ff. & C. tot mediis, tam anxie quæsita per Tabulas, Carmina, picturas. &c. Quarum adeo variis

succedaneis adminiculis & in jure Canonico, aliove quolibet, necessitas eludi, atque usus suppleri possit, adeo, ut nec sentiente quoquam evolvere possimus titulos omnes, connexionis eorundem incuriosi.

(2.) *Qualiter optime paretur.* Ubi recensitis, & examinatis, omnium hucusqve modorum commodis, & incommodis, concluserim, meliorem nullam dari, qvam *Juri naturali nostro applicatas leges instar scientiæ*, una opera *judicio & memoriæ insinuare* illas, quæ cum jure naturali respondent. *Recedentia* vero ab eodem, quantum maxime licet *analogâ* vel simili ordinatione *interponere.* Cujus judicio magis quam memoria nitentis memorationis, quántus ad scientiam, & prudentiam omnis vitæ, ac interpretationis præcipue solidæ, sit fructus futurus, exponi quodammodo hic possit, at nisi experto persuaderi vix queat.

II. *Notitia regularum Interpretandi*, quod ad Jus Romano-Germanicum *applicandarum*, id est omnium (quandoquidem nulla non hic locum sit inventura) *ratione scientifica* partim, &

Historica. Illa nempe *Universalium.*

Hæc vero *singularium.*

Ad quam posteriorem maxime pertinebit *Bibliographica Historia*, sive *Bibliothecæ Juridicæ* notitia.

Nempe *librorum scriptorum* in jure: ut

scribendorum utiliter adhuc, iniri possit etiam ratio. uti *cap. III.* delineatum ad *Capitis IV. & V.* desideria tandem explenda.

Ubi

Ubi *de Tractatu tractatuum breviori* atq; etiam *meliori* longe adornando, præquam habemus, qui minuta opera, & quasi philyras, aut certe breviculas dissertationes tum Academicas, tum alias, memorabiles, imo memorabiliores sæpe magnis voluminibus, selectas, ordine congruo materiarum nobis conservet, si formetur *Oceanus Juris* duplex 1. *Exegeticus*, Interpretationum seu repetitionum Juris, non vagos ad textum aliquem, uti a plerisq; male feriatis fieri amat discursus (proprie a discurrendo ita dictos,) & assumenta rapsodiasque, sed presse textui declarando inservientes, expositionibus & exemplis, casibus, analysibus &c. factas illustrationes continens. 2. *Dogmaticus*, methodice partium Juris elaborationes exhibens.

III. *Applicatio* ipsa, & *exercitatio præceptorum Interpretandi*, ac ipsa *in iisdem instituendi Juvenes* ad Jurisprudentiam ratio, quotuplex hucusq; in Scholis Academiarum sumta, quo successu. Qualia *Collegiorum, lectionum, examinationum, Disputationum* privatarum, publicarum genera, Magistris, Candidatisq; commendata, vel commendanda præcipue. Qualiterque in melius provehenda multa: tum *ad theoriam* solidam

tum *ad praxin* ipsam *Consiliariam Patronorum* in privatis, vel *Consiliariorum* κατ' ἐξοχὴν in publicis, *Judiciariamve*.

Ubi sane quāplurima, nullis adhuc de Studio Juris Scriptoribus animadversa, liceat ex nostris principiis sup-

 pedi-

peditare ad breviorem longe ac faciliorem & jucundiorem utrinque in jure informationem, docentium & discentium introducendam: siquidem spes foret alicujus in mutandis antiquis hac in parte moribus alicujus Academici Collegii universi consensus. Qua deficiente, quid singulis incumbat, hoc in genere moliendum erit secundariis votis atque consiliis expeditu necessarium.

Vide Opusculorum nostrorum Juridicorum VII & Octavum, quibus primas lineas aliquomodo, & conamina initialia tanti moliminis dare sumus ausi; ad incitamentum aliorum, nobis ingenio, usu, & quod præcipue huc requiretur, auctoritate majore prævalentium. Nam & antiquissimos de Juris studio instituendo Doctores, v. gr. Coloniæ 8. Ao. 1585. & titulo Cynosuræ juris. 8. Spiræ, 1588. similesque, mutato ex hinc in tantum Jure nostro, nemo non jam contemnit, & recentiorum plerique omnes, de ratione Studii Juridici, non nisi receptos mores Academicos, & vias quas ipsi riverunt ambagiosas nimis aliqui etiam potius certis generibus hominum, aut ingeniorum, quam universis apta specialia, vel universalia nulli facile ignoranda, proponendo, nimis tumultuarie re tanta defunguntur.

Quodsi quando liceat, sicut in Philosophia Practica, & Eloquentia fecimus, concipere Tractatum ex professo de studio Juris Romano-Germanici optime instituendo, per auscultationes,
lectiones,
exercitationes, docentium,
discentium: amplius de singulis minutatim & enucleate foret dispiciendum. Neque non de auditoris optimi requisitis, quod ad bona Naturæ animi,
fortunæ corporis,
Industriæque, æque ac de Doctoris accu-

accurate definiendum. v. *Unverfährt* Pæd. Jprud. c. VI. §. 110. Maxime vero de exercitationibus, ad Praxin fori, & Scholæ utilissimis enucleate per experientiam, scientiæ superstructam omnia forent definienda. Non dissimulatis etiam erroribus propriis nedum alienis commissis, ad aliorum cautelam.

Cap. IX.

AUctarii loco I. *de Præcognitis*, &
Præparatoriis, ad *JCti Romano-Germanici* habitum addiscendis: puta
Lingvarum notitiis,
Historiarum & *antiquitatum* maxime *Justinianei seculi*, accuratius etiam atque à *Pagnino Gaudentio* factum, delineandi; quod ad usum legalem
De *Grammatica*,
Critica
Rhetorica
Logica
Philosophia Practica
Theoretica quoque JCto huic, & qualiter addiscenda. Et an recte nonnulli pigritiæ plerorumq; & ignorantiæ consulant. Quando sine hisce omnibus eos dicunt optimos JCtos evadere posse. Cum Jus Civile Romanum ea, quibus ex his opus habeant, omnia sufficienter in se habeat, suppeditetque: ut superfluum sit plura aliunde quæsita, vel illata afferre.

II. *De Habitu Advocati*
Judicis,
Consiliarii, privati
publici
Legislatoris facile super-

ſtruendo habitui modice perfecto JCti. Et qualiter *privatis etiam legibus* & contractibus, teſtamentis, conventionibus, pactis, &c. abunde ſit ſuffecturus, exercitatus in legum publicarum interpretatione JCtus

III. De *Felicitate Germaniæ* Noſtræ, ſi ſingulæ Aulæ, ſingulæque Civitates uno ſolo non quidem taliter omnino perfectiſſimo (qualis non datur,) ſed ad eundem appropinquante uterentur JCto, maxime ad Authenticas Interpretationes legum, rarius tamen etiam neceſſarias futuras.

Certe *nulla Novi Juris corporis formatione opus foret* v. *Spilii Nicetæ* Epiſt. Curioſ. *Unverfährt* c. VI. §. 94. Imo *Wedderkopfiani* caſus deciſionis Imperatoriæ egentes vix plerique ſint manſuri, optime adhibitis omnibus reliquis mediis.

Quamque *ſequioris generis* varii, etiam illis ſubordinandi, *JCti alii*, poſſint ſufficere minoribus foris, & judiciorum negotiis.

Quorum *gradus commendabiles* alii præ aliis, *aut tolerabiles* ſaltim, poſſint repræſentari, deſcriptione accurata.

Intolerabiles etiam, & *contemnendi*, imo *exterminandi*, ſuperioribus oppoſiti forent hic diſtinctione facta enumerandi.

v. *Hopperi* Seduardum, *Conringium* præf. de fin. Imper. *Unverfährt* Pæd. Jprud. c. IV. §. 14. pag. 10. &c. &c. &c.

OPUSCULORUM
JURIDICORUM MISCELLORUM
V.

IDEA
JURISCONSULTI
HAMBURGENSIS
PERFECTI,

affecti leviter, at vix perficiendi,
delineata,
ad analogiam

JCTI ROMANO-GERMANICI

Capitibus ſuis ſummis
cum apparatu præparatorio exiguo,
ulterioris illuſtrationis:
per

VINCENTIUM PLACCIUM
Hamburgenſem.

HOLMIÆ & HAMBURGI,
ſumptibus GOTTFRIED LIEBEZEITS.



I. N. J. C.

LECTORI BENEVOLO CUIQVE
sed maxime
HAMBURGENSI VEL - - -

S. P. D.

EUge *populares amicissimi*, Euge *Cives eruditi*, ad vos mea se convertit nunc oratio. Adeste, intrate campum honoris atque gloriæ, quam vobis aperio, in terra multum adhuc incognita, vixque à limine salutata mihimet, post paucos, habitata certe hactenus & occupata nulli. Ea est

JURIS CIVILIS HAMBURGENSIS
ILLUSTRATIO, ET INTERPRETATIO ERUDITA.

Ad quam ego hacce *Idea ICti Hamburgensis*, aliqua pauca, uti spero, neque contemnenda tamen monita, longis abhinc annis animo concepta, ruminata diu, & multum communicata cum bona parte vestrum, nunc in publicum edo.

Nempe ut Flacci exemplo, *fungar vice cotis, acutum*
Reddere qui ferrum valet, exors ipse secandi.

Nempe *statuæ Mercurialis instar*, viam ostendo, non ingredior. Fortasse tamen ingressuris aliquid etiam præstiturus auxilii ultra statuæ vires. Sane quæ *subsidia*, quæ *initia*, quæ *consilia* hujus laboris habeo parata vel habebo unquam, ea *cuique Vestrum*, in hoc opere & honorifico, & (quod cuique volenti liquido calculo probabo) lucroso admodum, *laudabiliter desudaturo*, citra participationem aliam, quam operæ, ac industriæ, communicaturum me offero hic, & obstringo. *Valete.*

I. N. J. C.

I. N. J. C.

IDEA JURISCONSULTI HAMBURGENSIS PERFECTI I.

De Jure Statutario Hamburgensi in genere, atque specie.

HOc non minus *multipartitum*, quam totius Imperii Romano Germanici fere depræhendet, quisquis in illius accuratiorem atque penitiorem notitiam incumbere sedula curiositate instituet.

Neque enim ad hoc suffecerit novisse illa notoria in vulgus volumina, qualia sunt:

1. *Statuta* κατ᾽ ἐξοχὴν ita dicta, vulgo das Stadt-Buch.

2. *Ordinatio Judicii inferioris, & superioris*, neu revidirte Gerichts-Ordnung. &c. &c. C. H.

3. *Recessus*: ex quibus *unus* (quod sciam) *solus* A. 1603. confectus, publicis typis est *excusus*. Reliqui ab A. 1610. hucusque, satis *numerosi*, & prolixi etiam plerique, ac adjunctis pluribus etiam considerabiles, non nisi *Manuscripti* habentur, ac minimum *volumina in folio quatuor* satis spissa conficiunt.

4. Die Buhr-Sprake/ vel ut alii malunt die Burg-Sprache (an recte nunc non decido,) cum sermone rustico, sive inferiori Saxoniæ dialecto concepta Mandata contineat duplici volumine, atque tempore, nempe *D. Thomæ*, ac *D Petri* diebus, publice quotannis prælegi e fenestra Curiæ, per Dn. Protonotarium Civitatis solita.

Verum oppido etiam *plura* longe huc pertinebunt scripta Jurium, sive Ordinationum genera, & quidem illa præcise omnia si habere velis *abrogata* æque, ac *vigentia*, tam *numerosa*, ut vel titulos

tulos universorum atque singulorum novisse, nedum ad classes, partibus Majestatis (quas primum scientifice ad certum atque demonstratum numerum revocasse, in Jure meo Naturali Politico, mihi videor,) suas quasque singillatim revocatas atque dispositas concepisse, mihi necdum fuerit integrum. Quod ut aliis, me magis ad hoc otio, & requisitis aliis pollentibus, liceat perficere si velint, sciagraphiam tenuem cœptorum meorum addo.

Nempe ut colligantur *Ordinationes S.P.Q.H.* omnes, in hunc usq; diem *promulgatæ* de exercitio Majestatis, 1. *circa personas civium* v, gr.

circa cives faciendos, & civitate privandos;
circa inquilinos. Quo pertinent *Articuli* worauff die Einwohner angenommen werden. & speciatim der Niederländische Contract. Portugisen Reglement, *Statutum de hominibus propriis* decennali habitatione in hac urbe liberandis &c.

2. *circa societates publicas certas*
v. gr. Schul-Ordnung/
Leges Gymnasii,
Cämmerey-Ordnung und Eyde/
Ober-Alten Ordnung und Eyde/
Armen Ordnungen &c.

3. *Circa societates privatas.* Huc pertinent die Morgensprachen und Ampts-Rullen.

4. *Circa res Civitatis*, tum *immobiles*, & *naturales*, vel *artificiales*. Maxime vero circa *res mobiles*, & quidem fiscum augentes. Die Müntz-Ordnung
Zoll-Ordnung
Zehen-
pfen-

pfennings Ordnung/sive Jus detractus, Schoß-Ordnung/ Accise-Ordnung/& omnia jura tributorum cujuscunque generis & nominis, indicendorum.

5. *Circa actiones Civium, maxime publicas, generatim*, qua *sacras*, unde Kirchen-Ordnung qua *profanas*, de legibus condendis &c. 6. Speciatim de *Judiciis* habendis, Nieder-Gerichts/ Ober-Gerichts/ Admiralitäts-Ordnungen/ eorumque privilegiis & appellationibus, & decretis communibus Gemeine Bescheide. &c. 7. de *militaribus* Krieges-Recht/ ejusque partibus, & ordinationibus Wall-Ordnung. 8. de *custodia* regionis, intra & extra civitatem ordinanda, Wacht-Ordnung/ Ratel-Wacht-Ordnung.

9. Specialissime deniq; de ordinationibus certarum actionum. v. gr. Hochzeit-Ordnung Leichen-Ordnung Kleider-Ordnung Feuer-Ordnung Falliten Ordnung Mäckeler-Ordnūg Bademutter-Ordnung Meckler-Ordnungen / seu Proxenetarum jura. Apothecker-Ordnung Lumberts-Ordnung. &c. de *actionibus ad exteros, tum subjectos* nobis, uti de municipiorum Juribus v. gr.

v. gr. communis cum Lubecensibus oppidi Bergedorff/ & proprii Amts-Tützebüttel/ & cœterarum terrarum subjectarum juribus specialibus, quibus reguntur v. gr. Land-Rechte Teich-Ordnungen / & aliis nominibus insignita, vicorum sive pagorum nostrorum, Billwarder/ Hammen/ Horn/ St. Jürgen/ quorum peculiaria statuta.

Nam *quæ ad Imperium pertinent*, quæque ut status Imperii Hamburgensis Civitas ejusdem libera participat, ea jam *Jure Romano Germanico generali compræhensa præsupponimus.*

Quæ vero *specialia* etiam, non tam scripto, quam consuetudine continentur *circa* horum quæque v. gr. *Legatos* mittendos, recipiendos, retinendos *Residentes*, aut alios, & de horum privilegiis, ac immunitatibus &c.

De iis, quæ circa *nundinas, vectigalia* &c. *in consuetudine posita* sunt, peculiarem etiam considerationem merentur. Ut & ad privatos, & Cives solos pertinentia varia. Consuetudines itaque notandæ vim consecutæ (imo vel apparentes, aut prætextu adeo solo participantes alicujus) juris. v. gr. *Stylus Curiæ Mercatorius* Börsen-Gewohnheit / puta in assecurationibus cambiis &c. Und alle Herkommen/ und unbeschriebene Gerechtigkeiten der Aempter/ Brüderschafften &c.

Horum singulorum & universorum pernoscendorum curam suscipere quemnam oporteat, si quis ex me quærat, eum ad Q. Mucii dictum Servio. quod Pomponius l. 2. §. 43. ff. de O. J. ad posteros transmisit, ablegem. *Turpe esse Patritio, & Nobili, & caussas oranti, jus in quo versatur, ignorare.*

Nam rabulæ quidem, & exteri, caussas temere, & solius lucri aviditate, non tam orandas, quam perdendas suscipientes, horum pleraque ignoranda sibi credere, quis miretur?

Pernosse autem ea cupientibus *Origines, historias, circumstantias,* & *attributa, abrogationes, obrogationes, disputationes* super

per illis, ex Protocollis Collegiorum &c. cognoſcere quosque expediat, liceatque inveſtigare, in noſtra Rep. etiam altioris fuerit indaginis.

CAP. II.

De Jurium Statutariorum Hamburgenſium Imbecillitatibus.

UBi quidem nihil attinebit, de inevitabilibus, & omni juri contingentibus quidquam repetere; ſed *evitabiles ſolas*, & quidem *JCto emendabiles*, citra Legislatoriam poteſtatem conſiderare. Quales ſunt

1. *Copia*, vel ex ipſo numero voluminum & ordinationum, quarum ſingulæ bene multas leges continent, abunde conſpicua.

2. *Confuſio*, quam vel quod ad ipſa volumina iterum, nedum quod ad leges ſingulas, hic æque, ac in omni poſitivo alio jure paulo fuſiore liceat depræhendere, omnino alicujus ordinis ſubſidiarii, quem promulgando ſervare æque non licet, ſummopere indigentem

3. *Diſſonantia*. Quam *non* putem *ad Antinomas* reciſuram *ullas*, certe mihi tot annorum ſpatio non obſervatas. *Abrogationes* vero, *derogationes*, & *obrogationes* utiqve *plurimæ* hic veniunt obſervandæ: non modo *legum*, ſed & *titulorum*, & *voluminum* integrorum, prouti res dedit, ac Civitatis partium, aut ordinum immutatio id exegit. Quod vel ipſi tituli ſatis ſæpe indicant. v. gr. Revidirte Gerichts &c. Ordnung. Quin adeo ipſum *volumen Statutorum*, priusquam in præſentem, præ multarum aliarum Civitatum Imperii ſtatutis, multum commendabilem formam, atque diſpoſitionem eſt redactum, aliquoties immutationem inſignem eſt paſſum. Uti conferentibus *Manuſcriptos Codices* (nec enim typis excuſos priorum ullos unquam fuiſſe conſtat) Anno 1270. 1276. & 1497. cum hodierno A. 1603. confecto, ocularia inſpectione prima ſtatim apparebit manifeſto ſatis,

4. *Mutilatio*, vix invenienda in legibus ſingulis. Niſi forte partes aliquæ integræ, ſive Ordinationes, Receſſus, & aliæ nunquam typis excuſæ, temporis diuturnitate, & cum uſu non frequentarentur, interciderint. Quod Receſſuum Civicorum adeo aliquibus inprimis contigiſſe potuit. Quos cum colligere auctore p. m. Avunculo meo *Vincentio* Garmero J. U. D. *Comite Palatino*, & *Proto-Syndico*, abhinc plusquam XX. annis, omni cura conarer, aliqui eorum nulla ipſius, quantumvis ſollicita inquiſitione, inveniri potuerunt. Quamvis illi ſcrinia Civitatis ad hoc ipſum, credo, nulla non paterent.

5. *Redundantia*, & *mixtura* ſæpe *alienorum*, maxime in Receſſibus: non tam ad leges, quam earum executiones, & alia pertinentium.

6. *Singularitas*, hic quidem non magnopere depræhendenda.

7. *Generalitas* forte magis.

8. *Diſcrimen a Jure Divino*
Naturali optimo, & Morali
Politicove

6. *Styli*, & ſermonis *imperfectio*, atque multiplex, imo (*Shottelio* enumerata Encomio Ling. Germ. X. p. 153.) *mixtura inferioris & ſuperioris Germaniæ dialectorum variarum* tantum non omnium. Ubi ſciendum, quod *Statuta prima Manuſcripta*, & primorum ſeculorum *Receſſus* tantum non omnes, & Mandata antiquiſſima, & ordinationes priſcæ tantum non omnes, *inferioris Saxoniæ Dialecto*, (Teutiſca *Schottelio* dicta, de Ling. Germ. Encomio X. p. 153. Niederſächſich Platdeutſch) fuere concepta. Nempe tunc, quando necdum vigebat alius in urbe inter politiſſimos etiam illius Cives ſermo, usque adeo, ut & Conciones publicæ ſacræ, eadem haberentur. Quo more ſublato, ex quo ſuperioris Saxoniæ dialectum, (quam Theotiſcam ſeu Francicam l. c. *Schottelius* vocat,) vocati huc inde Concionatores, & Politici, eo ſtudiorum, & commerciorum ergo peregrinantes, in urbem invexe-

vexe-

vexerunt, non potuit non mixtura quæpiam fieri, plebe tota, & populi quoque parte notabili vernaculam retinente. Quæ mixtura se in leges etiam insinuavit. Quarum aliquæ voces penè jam exsoletæ usu, nunc sensus sui controversiam patiuntur haud raro.

Ita memini ex Statut. par. 1. tit. 1. art. 4. vocem *bedarve*, à variis varios in significatus tractam esse. Quam tamen vicinorum rusticorum adhuc audita mihi aliquoties usurpatio, nihil aliud nisi vegetum corpore ac animo per ætatem virum denotare, satis probavit. Ita memini me annis abhinc bene multis super voce duve/ quid proprie denotaret, ac unde originem haberet, consultum fuisse. Quandoquidem ea non modo in Recessu 1603. art. 3. cujus originarium exemplar Germaniæ inferioris dialecto est conceptum, legitur: sed & in Manuscriptis Statutis nostris antiquis. v. gr. 1270. & 1276. tit. XII. tit. M inscribitur von Duve und Rove / cujus v. art. 4. 5. 6. 7. 10. & Stat. A. 1497. tit. XIV. 6. art. 13. 14. 17. Ubi notandum in antiquissimo Msstorum horum, textus semper habere duve/cum lemmata ejusdem Mssti, sicut & recentiora Mssta semper habeant duffte. Inveniuntur etiam derivata dufften i. e. furti arguere; item dufflick e. gr. dufflicke unde rofflicke Sacken ∸ res furtivæ raptæque. Apud Danos etiamnum Tyffte/ Tyfften/ vocabula iisdem sensibus sunt in usu. Quemadmodum id didici ex doctissimi Civis mei J. U. D. *Ottonis Sperlingii* scheda sic habente. Wegen duve und duffte finde ich/ daß es in Dänischer Sprache meist beygeblieben: und heist duve auff ihre Sprache Tyffert/ ist so viel als die gestolene Kosten/ oder res furtivæ. Hernacher brauchen sie das Wort Tyffte/ welches auff deutsch heist dufften/ und so viel als iemand wegen Dieberey beschuldigen / oder einen Dieb heissen Tyfftiß till/ welches auff deutsch heist sich worzu dufften/ und nach unserer Manier zu reden/ sich heimlich worzu erkühnen/ oder stelen/ etwas zu thun.

De reliquis mixturis Gallicarum, Italicarum, Belgicarum,
Mer-

Mercatoriarum, &c. vocum, atque phrasium, ut & technicarum nihil nunc addo.

10. *Scripturæ* quoque hic magna & multa cavenda erunt *sphalmata*, & errata, in iis partibus, quæ non nisi *Manuscriptæ* extant. Quarum adeo vel *antiquissimæ membranæ*, sæpe *variant* notabiliter, integris quandoque articulis, aut articulorum partibus, & membris omissis. *Recentiora* vero *Mandatorum non excusorum*, uti nunc plerumque fit, *exempla*, pro amanuensis cura, & industria, bene vel male habebunt. *Recessuum volumina* singula, & universa cum *ex meis* usque ad Annum hujus seculi ultra septuagesimum fluxerint, quæ completa sunt, omnia: meorum amanuensium errores retinuere fideliter, atque auxere plerumque non mediocriter.

Cap. III.

De Interpretatione atque Interpretibus Jurium Hamburgensium.

GEneratim. Ubi notæ vel *commentationes Virorum summorum* extantes percensendæ. Inprimis *antiquæ*, & *Mstæ*, neque non tamen & *recentiores*, *impressæque*, illis sociandæ. v. gr.

1. *Hermanni* Langebeckii J.U.D. & *Consulis* creditum vulgo 1492. Commentarium Manuscriptum *in folio*, cujus adeo *Mstia varia* valde invicem *differentia*, forent e bibliothecis publicis, aut privatis potius, ubi plura, & curiosiora illa reperias, investiganda, invicemque conferenda. Cum *unum altero sæpe multo* sit *locupletius*.

2. Eiusdem in breves notas contractio summaria alia, item in folio.

De horum utroq;, non possum non adscribere Amici mei summi, & Civis doctissimi Dni *Ottonis* Sperlingii J.U.D. & *Consiliarii Regii Danici* verba, quæ in remissa cum commendatis hisce

ſce libris ſcheda, ſic habent. *Commentarii ſuccinctioris Tui auctor verus eſt* Hermannus Langebeck, U.J. D. & ProCoſ. Hamb. *quod ex multis locis commentarii iſtius manifeſtum ſit, ubi de ſeipſo loquitur, & de ſuo tempore geſtis in judicio, quæ non poſſunt alteri cuiquam tribui, nec in alium plane quadrant, quam in ipſum Dn. Langebeckium. Ultra annum* 1509. *non invenio quidquam annotatum a Langebekio. Ille vero annus exprimitur L.* 14. *C.* 1.

Commentarium prolixiorem alterum M. Johannes Wetken, Secretarius Senatus & Notarius publicus *concinnavit, ut patet ex actis & narratis de Clerico Wendland, & Martino Oldehorſt P.*1. *qui locus eſt obſervandus, & inſpiciendus. Qvando enim dicit tres Notarios interfuiſſe negotio, duos nominando, Joachimum Vorſt, & Matthæum Hale, ſe tertium indicat fuiſſe. Langebeckii vero notas ſuas plerumque fecit, ita ut nec primam perſonam, in qua locutus eſt de ſe Langebeckius, mutaverit, ſed eadem ſæpe verba, iisdem nominibus numerisque, & perſonis retinuerit. Annus* 1520. *huic Commentatori L.* 1. *adducitur: qui aperte poſt Langebeckium hoc opus contextum indicat, cum Langebeckius A. C.*1517. *in fata conceſſerit.*

3. Conſulis *Vincentii MOLLERI, Proavi mei,* annotata ad Jus Statutarium noſtrum, ut *brevia* & *pauca*, ſic *ob præjudicata*, ipſo auctore, ac Præſide, pleraque facta, *ſumme notabilia.* Quorum *autographum* poſſideo.

4. *Conſulis CLANII* annotata Mſſta, quibus *præjudicata multa* ibidem continentur, æque *notatu digna.*

5. Reformatoriæ notæ, nunquam promulgatæ, conceptæ *tempore* Avi mei *Johannis GARMERI, J.U.D. & Syndici hujus Civitatis.* (Cui vide in Vincentii *Fabricii* carminibus elogium ſcriptum pag. 602.) quod *ex autographo* ejusdem deſcriptum, & à me collatum poſſideo, una cum *emortuorum*

 partim

partim jam *aliorum JCtorum* ſummorum, & *membrorum Senatus* etiam plerorumque, annotatis, ad Statuta varia variis, quæ *ex autographis eorundem* omnia ipſemet ſelecta excerpſi.

6. *Vincentii MOLLERI J.U.L. ex Protonotario Senatoris*, ac inde *Syndici*, Annotata ad Statuta noſtra *Mſſta*, ſuperioribus etiam prolixiora, neque non præjudicatis, jura & rationes ſociantia.

7. Præjudicata collecta Judiciorum noſtrorum, quibus firmantur, aut extenduntur, vel reſtringuntur, aliterve interpretatione varia declarantur aliqua Jura Hamburgenſia.

8. Conſiliorum Manuſcriptorum *volumen* ſatis ſpiſſum, quorumque pleraque ad Statutum Urbicum unum, aut plura, pertinent interpretanda, vel caſus certe applicandos iisdem decidunt, actu & revera in judicium deducendos, aut deductos. Solebant enim Majores noſtri, cauſſarum Patronos non ſingulos, ſed plures in gravibus negotiis conſulere. Imo & ipſi ſponte ſua, quemadmodum id temporis pauciores longe atque nunc, arctiori familiaritate jungebantur, invicem ſuis ſeſe ſcriptis conſiliis multoties adjuvare. Quorum bona copia, bono, uti ſpero fato, ad me pervenit, curanda ſi a me minus, ut ab aliis ſaltim aliquando publicis uſibus adhibeatur.

9. *Jacobi BLOCK Differentiæ principes Juris Civilis & Canonici cum Hamburgenſium ſtatutis publicæ*, diſputatæ Præſide P.P. celeberrimo *LAUTERBACHIO* Tubingæ 1656. in 4.

10. *Conſilia Erneſti COTHMANNI* & aliorum, in quibus ſtatuta noſtra bene multa declarantur & caſus Hamburgenſes deciduntur.

11. Præjudicata & ſententiæ Camerales etiam ad Hamburgenſes cauſſas in *Jac. Blumii* D. & Advocati Came-

Cameræ Imperialis *ſupplicationibus*, & *ſententiis* editis contentæ.

12. *Davidis MEVII Commentarius ad Jus Lubecenſe:* ob ſtatutorum plurium conformitatem.

13. *Hardevici DASSELII Commentarius in Jus Luneburgenſe:* ob eandem rationem &c.

14. *Diſputationes* Juris *Doctorum* & *Licentiatorum* plurimæ, ad certa Statuta Hamburgenſia ex profeſſo publice ſcriptæ, ac diſputatæ tum *inaugurales*, tum *aliæ*.

Speciatim de *inevitabilium Imbecillitatum* Juris Hamburgenſis *interpretatione*; ac eo pertinentibus *Rationibus* eorum, quæ a Majoribus noſtris ſunt conſtituta, *divinis aut*

naturalibus, & *Philoſophicis*

ex *Jure naturæ*, vel

Politica ratione ſtatus, intuitu formæ noſtræ, atque *Mercatoriæ* præcipuè ceſſitatis. Quin & de cauſſis aliquibus, iniquitate, ac neceſſitate temporum, aut alias non æque in ratione univerſali, quàm *hiſtoria particulari* temporum quærendis, ex *Annalibus*, & Hiſtoria *noſtræ Urbis*, atque *memoriis* foret indago curioſa multum, & ſollicite inſtituenda. Cui fini Archivum patere, atque Protocolla diſputationum ſuper condendis aut mutandis legibus habitarum cui poſſint, is demum ad pleniorem hic ſyneſin eſſet perventurus, unde gnomen exerere poſſit accuratum.

Exempla interim *extenſionis*, &

reſtrictionis notabilia, vel conſulendo, vel

decidendo facta,

ſummopere hic fuerint accurata collectione aſſervanda.

CAP. IV.

De Interpretatione imbecillitatum Juris Hamburgenſis evitabilium.

GEneratim, quousque illa *neceſſaria*, *utilis*, *licita*, vel contra.

Speciatim de *immediata interpretatione*

1. *Analytica* sive *Resolutoria*, in suas partes. Ubi conducet utique breves & secretas ab intermixtis, *legales propositiones*, logice concepisse, ac *indice alphabetico* propositionum, *logice in prædicata & subjecta* resolutarum, & utrinque titulis formatis subordinatarum concinnasse. Qualiter nos in Jure Civili per institutiones & Digesta, Codicisque partem aliquam fecisse memoravimus suo loco. Cui prævia requiretur

2. *Summaria interpretatio* sæpissime.

3. *Heterogenia* itidem, scientiarum & artium, imo Historicarum, antiquitatumque multifaria, antequam

4. *Methodicum corpus* aliquod *accuratum* confici possit *Juris Civilis Hamburgensis*, methodico utrique, nempe ad Juris naturalis alteri, ad mere positivi principia etiam sola conformato alteri, superius in JCto Romano-Germanico utrisque commendatis, plane omnibus numeris, quantum liceat, accommodandum, ut distractio ex Methodi disparitate, confusionis & oblivionis plena futura, penitus evitetur. Sic *Institutionibus reconcinnatis nostris*, qui *consona*, *dissona* jura *statutaria*, vel *margini* saltim annotaverit, habebit Institutiones Juris Hamburgensis plenarias, ordine commodissimo, exacte, quam minimo labore, maximoque usui conceptas.

5. Casualis enim interpretatio rariori, & non nisi legibus singulis annotatorum instar jungenda fuerit opus.

CAP. V.
De Interpretatione Philologica Juribus Hamburgensibus applicanda.

GEneratim. Ubi de *notitia linguarum* eo necessariarum ob varias dialectos, & mixturas peregrinarum linguarum, Latinæ, Gallicæ, Italicæ, Belgicæ &c.

Speciatim I. De *Grammatica Interpretatione* Jurium Hamburgensium. (1.) Quod *ad voces* singulas. Ubi *de versionibus*, ex Inferiori Dialecto in superiorem factis, & faciendis meli-

us

us. Ubi monendum inprimis *Receſſum* Anno 1603. adjunctum editioni Statutorum Hamburgenſium. Anno 1667. nulla Senatus auctoritate, (ſicut alteri proditore annis abhinc aliquot contingit,) factæ, atque ex chartæ vilitate facile, adjunctisque diſcernendæ, tranſpoſitum per Georgium *Graflinger* a Poëſi Germanica ſatis celebrato, adeo eſſe vitioſe translatum, ut nulla humana divinandi peritia ſæpe ſenſus indagari poſſit, ac non raro riſum, qualis exhibetur, moveat. Id quod ipſi vivo, & de facie mihi æque ac ipſius verſio de Auctore noto, exprobratum memini frequenti conſeſſu, ac uti non poterat excuſari ob evidentiam facti, ſilentio exceptum. Quando nempe aliquot occurrentia tunc memoriæ exempla plane abſurda recenſebam. v. gr. Vollmacht / pro wollvermögen rauche ſprache pro rückrede &c.

Ita artic. 26. inſcribitur von Dachfarden / & inchoatur. Würde auch von einiger Dachſard was geſchloſſen &c Das darinne ſage. Pro würde auch auff einiger tagefahrt (i. e. Rechtlichen allgemeinen Zuſammenkunfft / latine diœta) etwas beſchloſſen das dahin ſehe / artic. 51. Fletkcker vertitur Flöß-Seher / pro Fluſſes-Auffſeher. & paulo poſt legitur ſchelen keiner pro ſollen keiner. artic. 59. bezahlen pro verzollen. art. 76. Unkoſte pro Aufflauff in ipſo rubro ſive titulo.

Et alia enormia innumerabilia fere imperitiæ errata, quæ nec inferioris Saxoniæ dialectum intellexiſſe, neque ſuperioris proprietatem, nedum nitorem curaſſe hunc interpretem, in tanti momenti ſanctione publica publicanda oſtendunt. Quo accedunt negligentiæ ſupinæ documenta in omiſſionibus commatum, & periodorum, hinc inde integrarum commiſſa, uti artic. XX. LXVI. De *Verſione* nitida *latina* Statutorum noſtrorum in gratiam exterorum JCtorum, ſæpe voces ejuſdem multas parum intelligentium *additis notis* ſignificatæ rei definitionem realem vel nominalem ſaltem, brevi & nervoſa, ſed clara expreſſione repræſentantibus. v. gr. Tagdingen / Queernacht / Gelder offent-

fentliche Verlassung / für Gulden Bekenntnng &c. Quales notæ reliquis etiam juribus Hamburgensibus additæ multum expedirent.

De *concordantiis & indicibus verbalibus* Juris nostri optabilibus. Maxime vocum technicarum, vel peregrinarum, dialecti singularis, vel usus obscuri existentium

(2) Quod *ad constructiones, formulasque* certas *similia Remedia* optabilia, exponenda deliberationi, & executioni litteratorum.

II. De *Rhetorica* Jurium Hamburgensium *interpretatione*, maxime in longioribus Recessibus, & adjunctis eorundem, aut accessionibus, præloquiis &c. utiliter adhibenda.

III. De *Critica Interpretatione* Jurium Hamburgensium.

Ubi de variis *editionibus Impressorum* conferendis invicem agendum. v. gr. Quando exemplaria habentur impressa der Wall-Ordnung. Ubi inter immunes à publicis excubiis, & annexis oneribus personalibus, enumeratarum personarum, numero, Doctores, & Licentiati, sunt omissi, dolo an culpa, quis inquirat, aut inveniat.

Multoque magis de *exemplaribus authenticis nunquam impressorum* inspiciendis, cura fuerit suscipienda.

Quam adeo demiror tantopere derelictam huc usque fuisse, ut ne quidem amplius constet indubitato *de primo Codice nostrorum Statutorum* confecto. Extantibus nimirum *Manuscriptis, in membrana* æque, ac *charta* exemplaribus, quorum alia habent articulo primo In dem Jahre nach Godes Bord / vel in dem Jar na uns Heern Bord 1270. alia 1276. vel 1277. partim numeris, partim litteris expressis, utraque partim des Sandages vor sante Felicianus Dag / partim des Mittewecken s/ alii des Godendages / (quod eodem recidit) vor sante Felicianus Dage / do worden de Meenen (alii Meynen i. e. Gemeine populus) Radmanne / (Senatus) unde Wittigsten vom disser (al. desser) Stad / to rade (al.) do wart de meene Rad / un darto de Wittigsten van der Stad &c. So we (ein) Borgermeister wäre /

wäre/ ein Jahr/ dene schal (de schal) darna binnen ses Jahren (al.) binnen twen Jahrn/ (quod alii codices *numeris*, & quidem *Romanis*, ſicut & annum Chriſti efferunt, alii diſerte *litteris expreſſis*) nicht Borgermeiſter werden/ noch ſyn Brooder (al. offte ſyn Broder) Ex qua *variatione Manuſcriptorum*, alii *errorem amanuenſium*, alii *duplicem ſtatutorum Conformationem*, & quidem A. 1677. *reformationem* prioris A. 1670. factam præſumunt. Quam litem nunc meam facere non auſim: ſatis haud dum ad id inſtructus notitia antiquitatis Hiſtoriæ patriæ meæ; licet ex Langebeckii notis aliquibus ſolis, forte liceat ſatis probabiliter aliquid hic definiri. Quin adeo jam *ante annum* 1670. *extitiſſe Codicem* aliquem noſtrorum *ſtatutorum*, multis ſuſpicionibus inducor, ut opiner. Inprimis *fragmento* aliquo apud Conſultiſſimum Civem meum Dn. L. F. conſpecto, quod differebat ita multum ab utroque ſupra memoratorum, (quorum *antiquiſſimum Mſſtum*, *nitidiſſime in membrana ſcriptum*, habeo, ante A. 1470. uti mecum peritiſſimus harum rerum arbiter laudatus jam aliquoties D. Otto Sperlingius cenſet) ut *antiqvitatis* etiam *majoris* videretur. Quamvis & cæteroqui parum conſentiant utrorumque prædictorum, vel membranacei codices adeo, ut *toti tituli deſint*, *adſint*, nedum *articuli tranſpoſiti*, item vel *omiſſi*, vel *adjuncti* aliis atque *aliis exemplaribus* legantur.

Interim hoc vel ex adducto ſuperius primo articulo inter alia valde notabilia collectu, jam apparet: *quantum errent Spangenbergius*, qui ad A. 1281. lib. 2. c. 7. Chron. Holſatiæ, & *Thraciger*, qui usque ad A. C. 1292. Jure municipali Lubecenſi uſam noſtram Civitatem ſcripſere. Cujus tamen exemplar antiquum etiam una cum illius 1277. præſentis MSto exemplari in folio penes me eſt, omnibus modis ab Hamburgenſi diſcrepans ubique) Quamque nondum hanc Hiſtoriæ Hamburgenſis partem ſatis notam habuerit, etiam illos refutans *Petrus Lambecius* Rer. Hamburgenſ. lib. 2. circa finem, pag. 242. 243. & ante p. 147. certo conſtare

dicens

dicens A. 1292. demum condendorum Statutorum poteſtatem noſtræ Civitati conceſſam fuiſſe. Cui ſententiæ cum A. 1258. datum privilegium obſtaret, illius verba de ſtatutis noſtræ Civitati peculiaribus loqventia, detorqvere ad Jus Magdeburgenſe voluit; cujus tamen nulla in noſtris veſtigia deprehenſa potuit commonſtrare. Unde longe rectius A. 1258. hoc jus nobis datum, ex illo privilegio citra mutationem adeo liberam & largam tenemus.

De cæteris etiam Jurium *Manuſcriptis*, non deerunt exemplarium varietates. Ubi *de Receſſuum voluminibus* repetantur, quæ *ſupra dixi* Cap. II. in fine.

Cap. VI.

De Interpretatione Critica plusquam Philologica, ſive Hypercritica Juris Hamburgenſis.

G*Eneratim* expediat ſimiliter ac in JCto Romano Germanico tractari, quomodo *generi ſpecies* ejus *accommodandæ*, *Manuſcriptis* aut *impreſſis exemplaribus*, *originalibus* aut *deſcriptis*, *verſionibus* item, & *commentariis*, *notisque antiquis* ad emendationem qvandoqve, aut interpretationem textus, in partes vocandis.

Speciatim vero maxime *ſtatutorum volumini*, (qvamvis & cæteris id expediat) *notæ hypercriticæ* omnino expedirent additæ hinc inde, quoties ſit opus, exegeticæ, huc pertinentes.

Cap. VII.

De Antinomiis Jurium Hamburgenſium.

UBi *veris* quidem, exiſtimem, *in totum* illud, commodis interpretationibus, *liberatum* omnino iri poſſe, quantum ejus hactenus examinare licuit.

Apparentes vero aliquas *difficiliores conciliatu*, in gratiam minus interpretandi ſcientia vel arte valentium, aut magis occupato-

patorum, omnino *proderit* iterum, additis *notis*, vel *commentariis*, qua sit opus *exegeticis*, maxime *ad Statutorum volumen* enodasse, ut paratior ejus & accommodatior, certiorque sic usus omnibus efficiatur.

CAP. VIII.

De habitu universo JCti Romano-Germanici, quod ad privata & publica Civitatis jura instructissimi.

QUanta huc *requiratur* & qualis 1. *Memoria* tot jurium, & legum, *Quomodo* ea *paranda*, quales *Indices*, qualia *excerpta*, *breviaria*, *compendia*, *systemata* huc maxime *profutura*.

2. *Scientia præceptorum interpretandi appropriata*, quomodo Juri Hamburgensi, ex generali nostra, quam optime, facillimeque concipienda.

3. *Applicatio* ipsa *præceptorum interpretandi* ad ipsas leges qualiter facienda, ut nanciscamur *Juris Corpus Hamburgensis* exasciatum, plenum, ordinatum, illustratum, declarationibus, & exemplis, quam sufficientissime, ad omnem usum fori, judicii, curiæ Privato publicum.

Cui *præparationes* quales fieri possint, ac necessario debeant. Cum tantum opus illico tentari sine ipsis non possit.

Ubi *speciatim* de Commentario maxime laudabili ad Volumen Statutorum Hamburgensium adornando, interim dum *Corpus Juris Hamburgensis* plenarium *Exegetico Practicum* inchoetur, nedum absolvatur.

Ejus ita mihi concepta est animo, & proposita etiam, nunc vero deficientibus viribus, & restante vitæ summa brevi, vetante spem inchoare tam longam, desperata, ut elaboretur,

IDEA, COMMENTARII

maxime commendabilis & optabilis

EXEGETICO PRACTICI

in

Volumen

STATUTORUM HAMBURGENSIUM,

cujus hæc præter propter erunt membra.

I. *Ad Philologicam Interpretationem* pertinentia.

1. *Versio latina* propria, pura, nitida singulorum & universorum statutorum.

2. *Paraphrasis Latino Germanica obscuriorum* aliquorum, aut antiquorum statutorum.

3. *Notæ Philologicæ* i.e. (1) *Grammaticæ*, de sensu & proprietate vocum, phrasium, formularum obscuriorum, ob antiquitatem, peregrinitatem &c.

4. (2) *Rhetoricæ*, ornatum oratorium, metaphorarum &c. exhibentes.

5. (3) *Criticæ*, varias lectiones repræsentantes.

Quæ *tria membra in unum* contrahi, nihil vetet, ac *Germanice* quam latine concipi facile præstet.

II. *Ad Historicam Notitiam* plenariam, Mentali interpretatione caussali, aliisque interpretationum hinc pendentibus speciebus *præcognita* necessaria.

6. *Loca parallela* statutorum, Recessuum, aut aliarum Juris Hamburgensis partium. v. gr. Ordinationum, Mandatorum, communium decretorum &c. *margini annotanda*.

7. *Origo, mutationesque* statuti cujuslibet, *ex* antiquioribus

Ma-

Manuscriptis Statutorum petendæ, voluminibus, vel aliis *Historicis documentis*: cum omnibus suis obrogationibus, derogationibus earumque rationibus, per insecuta, mandata, consuetudines &c. *usque ad usum præsentem*, ordine succincto, & concinne enarrandæ *Latino Germanice.*

8. *Analysis*, & resolutio in *propositiones distinctas*, explicite, vel implicite, Statuto quoque contentas; per Analyticam interpretationem exactam, *Latino Germanice.*

9. *Collationes cum Juribus circumvicinis*, Lubecensi, Saxonico, Lunæburgensi &c. ob affinitatem locorum, & materiarum, ac utilitatem noscendarum discrepantiarum. *Latino Germanice.*

III. *Ad intellectum* realem, & *Interpretationem Immediatam* multiplicem.

10. *Notæ reales*, maxime *admixtarum materierum* variarum *notitiam explicantes*, v. gr. ad nauticam, mercatoriam, structuariam &c. pertinentium: quatenus sine illorum cognitione leges illæ intelligi non possint. *Ad Heterogeneam* proinde *interpretationem* unice restringendæ.

11. *Lemmata, cuique Statuto præfigenda*, brevia & clara, summam ejus primo statim adspectui exhibentia *Latino Germanica*, pro *Summaria Interpretatione.*

12. *Casus* etiam, ubi sit opus, formati subscribantur *Latino-Germanice*, per *Casualem Interpretationem.*

IV. Pro *Mentali interpretatione*,

qua *Rationabili*,

qua *hypercritica*, denique

13. *Collatio cum Jure Civili Romano* Germanico.

14. *Naturali optimo*,

15. secũdario *Politico*, seu Statistico,

16. *Divino* revelato, & *conscientiæ*, ad rationalem interpretationem: cui si opus sit

17. *Hypercriticæ notæ* præmittantur. Quæ omnia *latine*, *summariis* solis *Germanicis additis*, concipiantur, Deniq;

18. *Restrictiones*,

19. *Extensiones notabiles factæ, faciendæve.* Ubi Quæstiones & *Casus decisi, decidendi, omnis generis*, ad quamque legem pertinentes, Responsis etiam appositis nonnunquam integris illustratæ, exhibebuntur. *Latine* cum *Germanicis summariis.*

20. *Interpretatio authentica, num expediat*, vel addendo, vel demendo, vel mutando stylum, aut sensum ipsum, & qualis: optimo consilio, absolutis omnibus hisce, poterit quantum Ratio status id permittet, attexi.

Hisce singulis & universis, uti *præparationes* aliquas jam *adornaveram*, non exiguas, partim in superioribus memoratas, partim alias insuper plures nunc non ostentandas ex XXV. annorum praxi, quandoq; non infrequente, curaq; & industria in conversatione Curiæ forique participantium Virorum summorum, & collectione præsidiorum, qua manuscriptorum, qua impressorum plurimorum comparatas: ita digerendis & adornandis, otium, viresque cum deficiant, nisi Deus aliquem meo consilio usurum alium virum idoneum, tantæ laudis, atque utilitatis, ex opere tam vendibili redundaturæ, non minoris, fructu, per me quidem unice ac indiviso fruiturum, suppeditet, plane me subducere decrevi. Dabitur tamen, si Deus permittet, *forte in uno aliquo Statuto*, ad id electo præ aliis idoneo, *specimen* totius hujusce consilii. Ne non illius conatus possibilem effectum esse omnibus constet: simulqve liceat ex ungve leonem conjectare: juxtaqve videre, quid distent æra lupinis, & quantum id generis commentarius sit habiturus discriminis, ab illis, qui hactenus proditi sunt, in alia statuta Urbium aliarum. Quorum pleriqve, aliquibus proletariis & pervulgatis ex Jure communi assumentis, in usum rabularum potius, & lucrum auctorum, qvam illustrationem, & interpretationem commendabilem omnimodam Statutorum conscripti, oppido qvam manifestissime hac ratione depræhendentur.

Cap. IX. Et ultimum.

Auctaria exhibens aliqua v. gr.

1. De *præcognitis*, & *informatione* JCti Hamburgensis, a teneris maxime, per Parentes, in foro, Curiaque versantes, optime facienda.

2. De *Habitu Advocati*
Judicis
Syndici
Legislatoris Hamburgensis optima institutione & exercitatione acquirendo. Et quam privatis etiam legibus interpretandis v. gr. pactorum, testamentorum, Contractuum scriptorum &c. sit maxime idoneus futurus ejuscemodi JCtus.

3. De *Felicitate Patriæ nostræ, si JCtos appropinquantes optimo*, in idea posito, qvantum imbecillitas humana fert, *aliquot semper haberet.* Quibus *subordinandi* forent *sequiores alii.* De quorum *gradibus* hic agendum *laudabilibus* variis, tutelarium numinum instar *venerandis* vel *tolerabilibus* saltim, minorum gentium divis, *ad minora momenta rerum adhibendis.* Quibus *oppositi* alii etiam considerandi *contemptibiles* partim, & JCtorum nomine indigni, vel *execrabiles* plane, ac *amovendi* a rep. & foro prorsus amovendi: tum

(1) *ob Imperitiam.* Quales sint peregrini, huc advolantes sæpe famelici aliqui, atque Patrocinia caussarum, quasi rem facilem & futilem lucelli solius aviditate suscipientes. Cumqve statutorum nostrorum omnium sint ignari, miserrime sæpe caussas optimas vulnerantes, & perimentes. Quorum ; n[illegible]la cum dolore, ac indignatione, plurima sum expertus.

(2) *Ob Malitiam*, Rabulariam prævaricatoriam &c. Quibus adeo singulis & universis accuratius delineandis, quam nunc vacat, aut lubet, opus esset, ad cautelam partium, & si fieri queat, pudorem improborum, ac pœnitentiam & emendationem.

Interim ex hisce, credo, jam patere, bene rem perpendentibus cunctis. Quantus abundantibus qvibuscunqve ingenio & otio Inclytæ Civitatis nostræ Doctoribus Juris, & Licentiatis, etiamsi longe plures forent, apertus, & spatiosus æque ac deliciosus, pateat occupandus honoris atque laudis campus. Siquidem pro sua quisqve capacitate, atque inclinatione animi, aut oportunitate suppetente, partem aliquam desideratorum circa Jura nostra statutaria illustranda laborum, velit occupare. Ut conjunctis deinde plurium operibus, *exactissimum Corpus Juris Hamburgensis* tandem prodeat, immortali eorum laudi, commodoque Patriæ, & Gloriæ divinæ. Quod ut propediem fiat, opto, & successus ordientibus prosperos precor, meaqve singula, & universa præsidia qualiacunqve, & consilia, vel auxilia, ad id ipsum offero, ac lubens.

I. N. J. C.


OPUSCU-

OPUSCULORUM JURIDICORUM MISCELLORUM VI.

IDEA
Tractatus Juridici Methodici Theoretico Practici
De
FAVORABILIBUS ET ODIOSIS IN JURE

delineata
elaborationi volentis ac valentis ulteriori,
per
VINCENTIUM PLACCIUM
Hamburgensem.

HOLMIÆ & HAMBURGI,
ſumptibus GOTTFRIED LIEBEZEITS.



I. N. J. C.

L. B. S.

Ex dictis in *JCto* meo *perfecto Cap. IX. §. V. reg. 216.* apparet, quæ potissima *caussa hujus tractatus* Ideam publicare me, præ aliis, absque hac si fuisset etiam idem nihilominus exacturis rationibus, maxime nunc impellat. Nempe quod *inclyti* scriptis suis egregiis in Rep. litteraria *Parentis, & Amici*, dum fata sinebant, mei plane *singularis Filius*, inclytæ famæ hæres condignus, & potitus, atque potiturus etiam porro, si, quod peropto, vivat vigeatque, *Christianus THOMASIUS*, in proposita sua disputationi publicæ Hallis 1691. d. 4. April. habendæ, *Dissertatione Academica*, qua *Nævos Jurisprudentiæ Romanæ, ex Historia Juris, ab ejectis Regibus ad publicatas leges XII. Tabularum deductos exhibet*, *corollaria bina* „hæc dedit. II. Cum officium JCti consistat in justa legum in„terpretatione, cavendum ipsi maxime est ab erroneis interpre„tandi regulis vulgo receptis, quæ vel obscuræ sunt, & ipsæ „interpretatione difficillima habent opus, atque sic magis asy„la ignorantiæ, & clypei Sophistarum sunt, quam arma quibus „JCtum decet esse armatum; vel aperte falsæ.

„ III. Talis est illud Brocardicum Jure Consulto„rum, & vulgaris cynosura interpretationis extensivæ & restri„ctivæ: Favorabilia esse extendenda, odiosa restringenda; „neque enim definiri potest, quid sit favorabile, quid odio„sum.

Ego

Ego vero jam dum *ante annos bene multos Ideam hanc in chartam conjeceram*, & cum auditorum meorum aliquibus, etiamnum eandem asservantibus, communicaveram, & Odii atque Favoris affectus in Rhetoricis meis excerptis. Quin & Ethices compendiolo, ita definitos dederam, ut nihil inde facilius existimarem, quam definitiones favorabilium & odiosorum conficere, vel certe quod confici possint, videre. Neque sine meis hisce scriptis, vel ex Aristotele adeo idem non confici etiamnum posse mediocri meditatione putem. Et si quidem non possent talia definiri: de totius Ethices & Rhetorices optimis partibus scientifice tradendis desperata res foret. Quippe quæ non minus facilium definitu affectuum, distincta notitia, & scientifica, sine accuratis definitionibus nullo habenda modo nituntur. Imo & de illa ipsa, quam vel præcipue Vir Celeberrimus, ut sibi primitus constituta, latentes animi affectus & mores divinandi arte, conclamatum foret omnino. Quamobrem operæ omnino pretium duxi, hæcce meditamenta mea, oppido quam imperfecta, modeste proponere: ut Practicæ Philosophiæ, Rhetoricæque artis tam nobiles partes, æque ac JCtorum tot numero tantæque auctoritatis consensum, a suspicione tam indigna ipsis, & noxia, liberarem: aut certe, in quonam illud ἀδύνατον, definiendi tam obvia, consisteret, amplius edocerer. Cui sane rei, non suffecerit forte, meas definitiones vellicasse, vel evertisse, si fieri queat etiam, penitus: sed solida demonstratione ostendisse oportebit, meliores etiam, & sufficientes vel speciatim saltem explosis adeo nove regulis interpretandi iisdem superstructis, nullas dari. Quod qui fecerit, næ is erit mihi magnus Apollo, meque illi Minerval debere nunquam diffitebor. Interim ab amicissimo Viro, & congressu etiam hic Hamburgi humanissimo, super scripta sua lecta mihi jam ante,

te, commendatiore multum facto, eam æquitatem ſpero; ne quid inde amori noſtro, quem officiorum omni genere me auꝯturum, quoad vixero, non tam promitto quam ſpondeo, decedere ſed accedere potius ſinat. Ego ſane monitionibus ejus generis me honorari, colique, ſim exiſtimaturus magis, quam ſilentio, vel inconſulta, & meræ amicitiæ ac auribus data laudatione. Quin potius ad unumquemque Lectorem idoneum mearum ſcriptionum illud *Plinii* lib. 3. Ep. XIII. repetitum velim.

Annotat quæ putaveris corrigenda.
Ita enim magis credam cætera tibi placere: ſi quædam diſplicuiſſe cognovero.

Vale.

DE

DE FAVORABILIBUS ET ODIOSIS IN JURE.

FAvor ſive Congratulatio, (quatenus *interna* eſt in affectu hominis erga alterum poſita) *definitur* nobis jam olim *in Ethicis*, & iterum in *Rhetoricis* acceſſionibus, Quarum excerpto poſteriori §. XXIIX. initio, dicitur *Lætitia ex perceptione boni alieni, quod* imprimis *per amorem nobiſcum communicatur*: adeoque perceptibile nobis, ac *quaſi noſtrum* evadit. *Unde* quoqve *dignus* nobis bono *judicatur, qui diligitur.*

Favor & odium Juris, ſive *per leges, & legislatores præſtandi affectus* autem, *in ſpecie ſignificationem externam præterea*, & quidem *per leges* deſuper factas, habent aliquod adjunctum; cujuscunqve generis illud ſit, (ſive defenſionis, præmii, honoris, impunitatis, immunitatis, aut beneficium aliud commendationis, vel auxilii cujuslibet præſtandi.)

Ut adeo definiri poſſit

Favor juris, *favoris affectus, a Legislatore, per aliquod beneficium, lege publica contentum, declaratus.*

Odium juris *contra*, ipſius Odii definitione ſimiliter ex Ethicis noſtris, & Rhetoricis etiam acceſſionibus excerpto poſteriori §. IX. & XV. ad perſonas ſpeciatim *malevolentiæ* nomine indito repetenda. Quam non qua perſonæ, ſed qua odioſis rebus præditæ perſonæ, ac odio eatenus non ultra habendæ iterum hic præmonentes: cæteroqui cum vulgo loquentes,

largimur, imo docemus, quod quemadmodum in se generatim, ita multo magis *in Jure* speciatim *Favor* & *odium* omne consideratur *primario quatenus respicuit personas*. Hominum enim caussa jura conduntur, & servantur multo maxime, sicut aliæ omnes actiones obeuntur & considerantur unice, una cum rebus in usum actionum convertendis. *v. Grot.* de J. bell. & pac. l. 2. cap. 1. 6. §. 10. ibiqve *Feld.* pag. 372. favorem ex amicitiæ conservatione definientem.

Favorabiles autem *personæ* sunt *generatim*, *quibus favorem* præcipue *præstamus*, sive *de jure* obligati ad id, quæ *revera* sic dicuntur

sive *de facto*, quia sic volumus, & hi potius volenti favorabiles sunt, quam in genere tales, ac *favoriti* (barbaro latinis, at Italis & Gallis atque Hispanis recepto vocabulo) dicentur, seu *favorem habentes*, quando alteri illi *favorem merentes* dicentur. Interim in jure, tam merentes, quam habentes favorem legum, & Legislatorum, tales erunt. Proinde considerandi quatenus sunt.

1. *Favoris egentes* ad hoc, ut cum aliis una in Civitate subsistant, & æqualibus bonis fruantur: Tales sunt qvos privavit bonis aliquibus (1) *Natura* v. gr. Muti, surdi, cœci, amentes, infantes, impuberes, fœminæ &c.

(2) *Fortuna* v. gr. Naufragi, incendium passi, rei innocentes &c.

Quales omnes etiam eapropter *miserabiles* dicuntur, & nisi peculiaribus modis adjuventur, sine sua culpa inique sunt iniquo præ aliis Civibus in Civitate loco.

2. *Favorem* etiam *promerentes*, *actionibus* nempe, sua vel *utilitate*, vel instructione *exemplari*, aut *honestate publica* commendabilibus.

Hinc porro ipsæ *actiones* ita commendabiles fiunt qvoqve *favorabiles*.

Demum etiam *res*, prout ſunt vel inſtrumenta,
adminicula,
effectus,
ſigna, talium actionum,
favorabiles evadunt.

Ex his ſolis principiis nullius non favorabilis rationem reddi poſſe, certum eſt.

Neque difficulter *Odioſorum* natura hinc patebit: cum contrariorum eadem ſit ſcientia. Niſi quod odio indigere nemo videtur, nec ob abundantiam bonorum odium jure quisquam mereri poſſit. Qvamvis ipſo facto interim id utiqve contingat, ut propter eminentiam bonorum, non externorum modo, ſed naturalium etiam, imo acqviſitorum, ipſarumqve virtutum, aliquis odium, idqve ſæpe publicum incurrat. Sed cum hoc vitio fieri manifeſtum ſit; liquet id per jura non debere approbari: vel ſi approbetur ad ſignum vitii aliqvod interpretatione congrua referri, v. gr. qvatenus omnis valde dives aut iniqvus, aut iniqvi hæres putatur. &c.

In Jure itaqve *odioſæ perſonæ* non ſunt, nec eſſe debent, niſi *quæ odium promeruere*; factis ſuis nempe malis, aut malitiæ ſuſpectis. Unde omnes criminoſi, malefici ſunt odioſi. &c.

Eodemque jure Crimina, & *malefacta*, vel iis ſimilia.

Deniqve & *res* v. gr. loca, inſtrumenta malis actionibus inſervientia, & opportuna.

Quamvis autem *ex hiſce fundamentum peti poſſit omnium favorabilium, & odioſorum juris,* quia tamen 1. *varia in eandem perſonam, rem, & actionem coincidere* poſſunt, qvorum alia ſint *odioſa*, alia *favorabilia*

2. In actionibus pleriſqve *plures perſonæ conveniunt*, aut *opponuntur*, aliæ aliis *magis* aut *minus odioſæ*, vel *favorabiles*.

3. *Varii* ſunt *gradus favoris*,

favoris, ac *odii*, prout magis aut minus egent ac merentur personæ, vel earum actiones.

Hinc *multa adhuc meditatione* in istis omnibus comparandis, ac decidendis accurate opus erit: *ad* specialia, imo *specialissima*, proindeque praxi circa singularia versanti demum maxime accommodata *præcepta*, *methodice* scientificeqve elaborata *sistenda*.

Necesse namqve fuerit, certas favorabilium singulorum proportiones, certa momenta sive pondera, & fortassis horum iterum certos gradus constituere. Qvod ipsum sane perqvam erit difficile, quemadmodum illud expertus est *Claromontius* in caussis moralis Semeiotices lib. 4. ponderandis. Qua de caussa lineolas hasce ulterius deductas, nedum coloribus suis vivis illustratas, dare nunc prohibemur: aliis otio & ingenio prævalentibus id laboris etiam relinquentes. Quem non parum sublevabunt, *collectanea* tot ab aliis edita, nec omnia æque inordinata & confusa, qvin huic nostræ methodo satis facile queant adaptari, tum *de Favorabilibus* & *odiosis in genere*, tum de *personis*, & *rebus*, *actibusque certis* variis speciatim; quæ ex *Lipenii*, aliorumqve Bibliothecis, meisqve *excerptis* describere, ac *disputationes* non contemnendas eodem pertinentes ex mea etiam Bibliotheca illis adscribere, nunc non vacat. Usuro tamen cuicunqve, & hoc opus aggressuro non denegabo. Cui ut quam optime labor hic cedat susceptus, ex animo precabor etiam, & qua posse me siverit ipse, Deusqve, abjurabo, & lubens.

I. N. J. C.

OPUSCU-

OPUSCULORUM
JURIDICORUM MISCELLORUM
VII.
CONSILIUM COMPENDIOSUM,
aliquando V. D. ulteriori deductione
ampliandum:

DE


STUDIO JURIS CIVILIS PRIVATI OPTIME INSTITUENDO,

&

ad praxin quamlibet
convertendo,
per

VINCENTIUM PLACCIUM
Hamburgensem.

HOLMIÆ & HAMBURGI,
ſumptibus GOTTFRIED LIEBEZEITS.



I. N. J. C.

L. B. S.

EN tibi Compendiosum de Juris studio Consilium, annis abhinc plusculis, in gratiam unius auditoris mei conceptum, postea cum aliis communicatum. Nec ante publicandum visum, quam iterata JCti perfecti mei, neque non Ideæ Romano Germanici etiam edendæ editio, instar commentarii super eundem, impediret; ne caderet in eum Flaccianum tiquum, & vulgare nimis illud. *Brevis esse laboro; obscurus fio.* Nam auditoribus quidem meis, explicatio viva voce addita, commentarii vicem idonei præstabat. Accipe illud, & boni consule B. L. quod instar promulsidis nunc exhibeo, probaturus gustum seculi hodierni, plus nimis delicati, ne dicam fastidiosi. Cujus si ad palatum eandem invenero, instruam mox V. D. saporis non absimilis epulas dapsiliores. Qvemadmodum in iis, quorum Professio mihi divinitus Patrum Patriæ mandata est auctoritate, *Philosophia Practica* dico, & *Eloquentia*, id jam effectum, *prolixius* certe, sin minus æque ac vellem, accurate dedi. De quorum *consiliorum*, apparatum præceptorum auscultandi, legendi, meditandi, exercendi omnis generis, una cum librorum ad hæc omnia seligendorum ampla commemoratione, continentium, methodo ac ratione, partite nunc eo minus explico quidquam: quo magis confido, propediem ea publici juris faciendi oportunitatem mihi datum iri, desideratam mecum una non paucis. Quod si fiat, videbis D. V. B. L. quanto minimum studio, (an & successu? tuum olim judicium esto,) conatus sim, ad scientias & experientias illius generis, non modo quales hucusque sunt addiscendas, sed & in posterum infinitis accessionibus augendas, facilitatis atque facultatis addere, non proletaria cognoscendi, atque operandi cura id acturis. Quod ut plurimi faciant, commodo suo, nostroque, imo publico, & gloriæ divinæ: similiterque mihi, & cuivis alii, ut liceat idem, & amplius quid, in Juridici etiam studii amplificanda facilitate, atque facultate, præstare; mecum B. L. Deum ora, exora.

I. N. J. C.

De

DE STUDIO JURIDICO INSTITUENDO CONSILIUM.

§. I.

JCtum sive Juris interpretem *duo faciunt*. 1. *Legum cognitio exacta*. Quandoquidem & *incivile* est, *nisi tota lege perspecta judicare, vel respondere*: L. 24. ff. d. ll. & securus esse non potest, qui leges aliquas ignorat, quod illius quam novit, interpretatio non repugnet menti Legislatoris alibi expressæ.

2. *Interpretatio* recta.

Ad horum utraque *prærequiruntur* alia *duo*.

1. *Scientiæ subsidiariæ*: sine quibus interpretandi scientia non potest absolvi.

2. *Historica cognitio*, ad leges cognoscendas & interpretandas necessaria.

Addiscenda singula (1.) *auscultatione*, & manuductione vivi doctoris.
(2.) *lectione* bonorum librorum,
(3.) *meditatione* propria, & exercitatione, secundum partes prudentiæ singulas & universas instituenda.

§. II. *Scientiæ JCto necessariæ* sunt 1. *Grammatica* cognitio (1) *Latinitatis*, qua veteris, & puræ, qua deficientis & semibarbaræ.

(2) *Græcæ linguæ*, ob novellas & Codicis Constitutiones antiquas, & vocabula græca latinis mixta.

(3) *Germanicæ*, propter recessus Imperii, Capitulationes, & ordinationes.

2. *Ars Critica*, propter varias lectiones, & vitia manuscriptorum.

3. *Rhetorica*, ob elegantias adſperſas.

v. *Unverfährt* Pæd. Jprud. c. 8. §. 9. & c. f. §. 7. *Unverf.* c. 10. §. f. & præc. 8 §. 3. &c. & 23. p. 783. *Unverfährt* Jprud. c. 8.

4. *Logica*, ob analyticam & methodicam interpretationem.

5 *Philoſophia Practica*: ſive *Ethica* & *Jus naturale*, atque hoc compræhenſa *Politica*, & *œconomica*, cum *jure gentium naturali*.

6. *Theologia*, propter Jus Divinum admixtum.

Horum *ſingula ſuum conſilium* exigunt, minus aut magis curioſum, quo minus aut magis accurate ſunt prænoſcenda. Nam non æque ſingula requiri in JCto, maxime Practico, ſaltim non Theoretico ex profeſſo, manifeſtum eſt. Quippe quorum ille critica arte, græcaque lingua, ferme in totum poterit carere, præ hocce.

Unverfährt p. 344 783.

§. III. *Hiſtoria Imperii* noſtri tam *Eccleſiaſtica* quam *Civilis*, inde *à primis urbis Romanæ Legibus*, ad hæc usque tempora, utiliſſima erit cuivis JCto, quo accuratior eo melior, inprimis ſi, quemadmodum *à Feldeno Elementorum ſuorum Lib. IV. part. 4.* factum, applicetur Legibus cognoſcendis, per rationes mutationum commemoratas. Quam ſane narrationem, optandum ſit, eodem modo, ad noſtra usque tempora continuari, quemadmodum in Prolegomenis Synopſeos inſtitutionum Georgii *Schulten* adumbratio aliqua eſt inchoata. Proderit etiam *titulum ff. de Orig. Jur.* cum aliquo commentatore, item *ex citatis de Juris noſtri Libris ſcribentibus*, aliquem ad Tit. *Inſtit. reconcinnat.* de Jur. Nat. Gentium, & civili evolvere.

§. IV. Ipſa *Legum notitia*, quam compendioſiſſime acquiretur; ſi 1. *Inſtitutiones reconcinnatæ* noſtræ pernoſcantur, una *cum Tabellis duabus* actionum *ex Jur. Civili* editis.

2. *Tituli Digeſtorum*, & *Jur. Canonici de Regulis Juris, & Verborum ſignificatione perlegantur*, & *Regulæ* quidem inprimis *cum Jure Naturæ comparentur*, Commentatores diſtractio-

ctionis evitandæ caussa non nisi ad difficillima loca adhibeantur.

3. *Repetantur Institutiones, cum inquisitione textuum* allegatorum omnium, & *evolutione auctorum de Actionibus* trium allegatorum.

4. *Systema prolixius* aliquod prout lubet, vel pro more illius Academiæ, cujus ductum sequi cogitur, evolvat, & materias non abrogatas, ex iisque maxime usitatas, inprimis ad principia institutionum comparata examinet v. gr. *Wesenbecii* Paratitula. NB. *Collegium Argentoratense*, sive *Struvii Syntagma*, *Ludvvelli* breviarium, NB. *Rennemani* Jurisprudentiam &c. Quorum quodcunque elegerit, confusionis evitandi caussa mordicus retinere, & si quæ alia vel addendā, vel animadvertenda depræhenderit, adversario libello illi jungendo inscribere poterit.

5. *Partes aliquas præcipuas*, ex describentibus illas ex professo *Auctoribus*, *pervolutis* potius, quam perlectis, sibi reddat uberius cognitas: *practicas maxime* v. gr. de Processu *Carpzovii*, *Nicolai* &c. de Camerali processu *Blumii*, deqve partibus ejus præcipuis v. gr. exceptionibus *Zangeri*, de probationibus *Mascardi*, præsumptionibus *Menochii*, nullitatibus *Vantii*, appellationibus *Scacciæ*, Attentatis *Lancellotti*, Executionibus *Coleri*, Expensis *Garziæ* &c. Item aliarum materiarum v. gr. de Cambio *Scacciæ*, aut Raphaelis *de Turre*, de Fidejussoribus *Heringi*, de commissionibus *Rulandi*, de Alimentis *Coleri*, de Arrestis *Mevii* &c.

Nec oberit etiam unum aliquem, in foro maximi nominis, omnes materias practice pertractantem evolvisse. v. gr. *Carpzovii Jurisprudentiam* forensem, referendo præcipua vel ad Institutiones, vel ad electum Systema. Hæc Practico futuro sufficient, qui præcipuis *reliquis libris, tanquam lexicis utetur*, quantum sit opus. Theoretico vero exacto perlegendæ fuerint *Leges omnes*, ac addendi, ubi opus, Commentatores ad easdem præci-

pui, textusqve minimum non abrogati, quos in Systemate suo non inveniat, eidem fuerint adscribendi.

Univers. p. 406. ibique Citatus *Conringius*

§. V. *Interpretatio* partim scientia, partim exercitatione consistit. *Scientia ex JCto nostro* erit haurienda præcipue. Quandoquidem Johannis *Eichelii* Tractatus ejus argumenti sola tertia parte adhuc prodiit, Joh. *Feldeni* vero postquam sub prælo multis annis infeliciter sudavit, nobis Grammatices, Rhetorices, & Logices ad interpretationem necessaria fundamenta dum subministrare simul cum regulis eadem ad Jus applicandi laborat: singula horum minus plene quam expectaveram præstat, dum universa molitur. Et maxime quidem *in ordinandis specialibus Juris interpretationi propriis præceptis deficit nimis.* Unde præstabit illa *ex nostro JCto* hausisse, conferendo illius consona, & margini annotando. Utendoqve bene circa præsupposita nobis Grammatica, Rhetorica, Logicaqve ipsi dictis. Ex quibus tamen Rhetorica etiam insigne ex nostro systemate supplementum sint acceptura.

§. VI. *Exercitatio præceptorum* absolvetur

1. *Considerando interpretationes veterum JCtorum in Digestis & Codice extantes.*

Quod conjunctim *cum evolutione textuum* 3tio & 4to labori modo memorato, poterit sociari a practico JCto.

2. *Consilia & responsa,* atqve *commentaria recentiorum,* quantum ad interpretamenta, examinando *junctim, cum labore præcedente quinto.*

3. *Applicando ipsa præcepta interpretandi difficultatibus,* circa leges in Theoria, vel praxi occurrentibus, *formando* ad hoc ipsum *casus peculiares decidendos.* Qui labor inchoandus statim post præcepta probe cognita, *perque omnem ætatem* veniet continuandus.

§. VII. Hisce ita *JCti habitus* acquiretur perfectus, postmodum *peculiari exercitio* aut in patrocinandi, sive *Advocati prudentiam*: aut *Judiciariam, novis præceptis* atque *exercitationibus* parum

parum in Academiis obviis, ac uſui & exemplis ſolis male plerumque abſolvi ſolitis, deducendus.

§. IIX. Et *Advocati* quidem *Prudentia* præter habitum JCti multa requirit alia: v. gr. ſtatum cauſſæ, & quæ conſtituendæ illi, firmandæque aut impugnandæ, ac elidendæ actioni conducere poſſint, ex clientibus probe expiſcari: de qua re vid. *Quintil.* Inſtit. Orat. Lib. 12. c. 7. toto. Actionum concurrentium ſelectum, prout promptius, facilius, certius, tutius, utilius ille fiat, inſtituere, & ſecundum partes proceſſus omnes, Judicisque & partium circumſtantias, & probationum facultates, efformare libellum, & cæteras partes ſibi relictas, ut caveat impedimenta, prævideat vero adminicula, fraudibus occurrat &c. *Unverſ. c. 6. §. 76. 78.*

Denique ſic de pacificatione vel continuatione Proceſſus, partibus conſulere, ut expedit. Quæ cuncta & *ſcientiam* nondum conſtitutam, & peculiaria collegialia *exercitia*, non niſi à Practicis exercitatis dirigenda, requirent: *lectione* quoque *Actorum judicialium* adjuvabuntur.

§. IX. *Judiciaria* quoque *Prudentia*, præter JCti habitum, alia iterum requiret. Nempe *factum oblatum*, ejusque *circumſtantias* plerumque alterutrius litigantium dolo, (ſicut olim jam Ariſt. 3. Rhet. XVII. v. 3. notavit,) *occultari ſolitas*, prudenter *inveſtigare*: *Proceſſus* judiciarii *ordinem* debite ad finem conſequendum *moderari*, ſuperflua recidere, nec attendere, nec κεϱνόμβυον cauſſæ perdere, malitiis caute occurrere. Maxime vero in criminalibus inquiſitionibus caute verum indagare &c. Quæ iterum, ut *peculiaria præcepta*, de modo legendi, & enarrandi acta, & ſententiam iis conformem efformandi, à nonnullis parum pro dignitate rei tantæ tentata, exigunt: ita *exercitationem* quoque peculiarem, *lectione rerum judicatarum* adjuvandam requirunt, ductu vero exercitati Practici demum perficiendam. *Unverſ. c. 6. §. 29. &c.*

§. X. Horum omnium ad *prudentiæ partes* ſingulas &

univerſas *exercitatio* inſtituatur oportet, 1. *Conſiderate* ob oculos habita, qua *generatim* utilitate, neceſſitate, dignitate hujus ſtudii, & quidem quo perfectius inſtituti & exculti, hoc magis conſcientiam cum Deo & hominibus confirmaturi, qua *ſpeciatim ſuo* ipſius fine, ad quem, & quousque Jurisprudentia excolenda κατ' ἄνθρωπον proponitur.

2. *Circumſpecte* media modo enumerata, & eorum partes gradusque, & ſubordinata iterum media examinando.

3. *Solerter* augendo media comparatione, compoſitione, diviſione mutua, gradatione intenſionis, remiſſionis &c.

4. *Selectu* facto, *provide* ad emolumenta, vel in operatione ipſa ſæpe ſuboritura *cauteque*, ad impedimenta ex inopinato obventura.

5. *Dexteritate* (1) *Oportunæ maturationis* (2) *Agilitatis*, intentione bona, zeloque debito nixæ (3) *Ordinis* vel maxime hic neceſſarii, *generatim* ex natura mediorum invicem comparanda. Ita memoria legum Interpretationi, hanc applicationi ad forenſem Advocatoriam, aut Judiciariam operam præmittenda quod ſit, ipſa res non tam loquitur, quam clamat.

Quod etiam facilioribus ſpeciebus interpretationum atque ſimplicioribus ſemper præmiſſis opus ſit ad difficiliora expedienda, in propatulo eſt. Ita v. gr. Primitus circa ſolam occupatis legum ſcripturam (1) *Criticæ* interpretationis exercitatio,
vel circa Orationem,
(2.) *Grammatica*, &
(3) *Rhetorica* primo *expoſitione*, dein
(4) *declaratione* exercenda. Tum ex utraque mixta (5) *Grammatico Criticas* interpretationes poterimus in uſum vertere.

(6) Logi-

(6) Logicam Resolutionem, seu *Analyticam* formalem.

(7) *Materialem* propriam Phil. Practicæ *Dialecticam*, & inde *Casualem* & *Summariam*.

(8) *Demonstratoriam* Mentalemque omnem, aut universali Juri naturæ ac Positivo, aut particularem ex reip. historice cognito statu.

(9) *Restrictivam*,

(10) & *Extensivam*.

Tandem Criticam.

(11) *Mentalem Perfectivam rationalem caussalemque electitiam, suppletoriam, emendatoriam*, cum

(12) *Heterogenia*, necessariis difficilioribus, quam ut præmitti potuerint. Ultimo loco

(13.) *Methodica* tandem omnium complexum absolvens, sive Jus totum in artis formam, aut simillimam scientificæ, methodum redigens, *Interpretatio* totum agmen claudat.

Speciatim vero etiam exquisitius ad voluntatem & facultatem cujusque suam disponendi, *secundum intervalla ætatis* præcipue, ut *pueritiæ*, quæ memoria & imaginatione possunt compræhendi, præparatoria, vel legum ediscendarum subsidia, jam cum ipsa legendi scribendique notitia statim insinuentur.

juventuti, ea quæ judicio incipiente possunt absolvi.

virili ætati, quæ non nisi adulto eodem præstare liceat.

senili, quæ perfectioni summæ, aliis docendis, aut promoven-

movendis etiam artis hujusce pomœriis, & *accessionibus* rarissimis seponi merentur, assignando.

(4) *Constantia* hujus studii sub manuductore minimum, donec ipsi nobis sufficiamus, deinde vero ad eum usque perfectionis gradum, quem maximum possumus, aut debemus attingere, continuanda.

(5) *Æquabilitate* superiorum exercitiorum citra desultoriam levitatem, aut pertinaciam obstinatam fideliter, & attente servata, &c.

OPUSCULORUM
JURIDICORUM MISCELLORUM
VIII.

DELINEATIO MANUDUCTIONIS Ad STUDIUM JURIS ROMANO-GERMANICI PRIVATI

Ratione, ac Auctoritate aliorum,
&
Experientia propria,
successus non pœnitendi
probatæ,
per

VINCENTIUM PLACCIUM,
Hamburgensem.

HOLMIÆ & HAMBURGI,
sumptibus GOTTFRIED LIEBEZEITS.

I. N. J. C.

B. L. S.

HAbes hic compendiolum Manuductionis, quam excogitare potui, compendiosissimæ, fructuosissimæque, ad formandum JCtum Romano-Germanicum, quod ad Jura privata; non quidem Perfectum illum, quem dari toties negavi, cogitari autem animo debere, vel ad mediocrem ejus gradum assequendum, semper asseverari & adhuc assevero; sed eum, qui gradum veri JCti & laudabilis, inferiorem, imo incipientis in jure privato nactus, opera deinde propria, possit ulterius, citra necessitatem Informationis alienæ, semper ad vitæ usque suæ finem eniti.

Quod sane in omni prudentia, & arte, nunquam consummanda, faciendum esse norant, qui etiam senes & moribundos addiscere posse, & non nisi ex parte cognoscere,


ſcere, adeoque diſcentes mori debere nos docuerunt.

Hæc mea methodus, ut a communiter hucusque recepta non nihil in aliquibus recedit: ita ſuis rationibus, & evidentiâ veri ea ſe commendabit, credo, inſtituentibus eandem, & fideliter proſequentibus cunctis, quæ ſummis JCtis hujusce Civitatis aliquot oſtenſa, & aliis per eandem accendente ſua induſtria ad id requiſita, talibus effectis, ac tu, probata eſt. Sed oportet idonee præparatum, & intentione recta, non proletariam quærendi Jurisperitiam inſtructum accedere.

Nec enim futurus Legulejus, ſeu hiſtorice, ac pueriliter, memoria ſola complexurus tumultuarie confuſeque aliquam legum præ vulgo magnam notitiam, multo minus rabulis ſcribam. Quin unicè charitati & conſcientiæ jus adminiſtraturis, operam meam ſciens prudens commodare in animo

 habeo.

habeo. Invenient alios aliter animatæ animæ aliæ, sui similes informatores. Et non deerunt Jurisprudentiæ magis, quam Philosophica, sui Sophistæ. Meam qui capessere in hoc genere doctrinam volunt, litteraturam politiorem & Philosophiam Practicam, Logicam item, & Rhetoricam jungere, imo præmittere magna sui parte, Juris studio debeat. Nec unquam adducar, ut manum ferulæ vix sæpe subducentes, e schola statim, ad veneranda Themidos sacraria, sine crimine admittere, vel quasi admittendos in vestibulum solum seducere, nunquam sacris ejus rite initiandos, execrabilis quæstus ergo sustineam. Cujus ut alioqui caussas omnes procul habendas: ita Sacerdoti Justitiæ prorsus abominandas esse, semper sum arbitratus. Et vero quos hac manuductione mea, non pœnitendam, nec ut aliis multis contigisse scio, remetiendam, & mutan-



tandam post aliquot annos, ubi ambages & devia se pressisse, aliorum ductu intelligebant, viam deduxi: ii omnes ante aliquandiu, & fere per triennium, & amplius etiam aliqui, cultum Eloquentiæ, Logices & Philosophiæ practicæ præceperant. Talibusque etiam, non aliis plenos operæ suæ fructus, meque auctorem & sponsorem eorum, secundum Deum, offero.

VALE.

I. N. J. C.

DELINEATIO MANUDUCTIONIS AD STUDIUM JURIS ROMANO-GERMANICI PRIVATI.

CUm omnem *Jurisprudentiam* inferiorum, superiori Legislatoriæ ex Politicis addiſcendæ ſubordinatam, *abſolvant hæc tria* 1. *Notitia* Legum,

2. *Interpretatio* recta,

3. *Applicatio* ad praxin fori: Advocatoriam, atque Indiciariam:

Primum ſic adjuvatur, ut

1. *Compendium* Juris Romano Germanici privati prælegatur, quod *inſtitutionibus reconcinnatis* meis in publicum editis exhibetur, tale, ut per omnem vitam retineri pro ſufficienti ad omnem theoriam & praxin poſſit. Quemadmodum earum præfatio pluribus teſtatur.

2. *Actionum materia* omnium, ut maxime neceſſaria, ſic intricatiſſima, *Tabellis* a me publicatis *binis* incluſa explicatur. Quarum ope nemo non hucusqve trium aut quatuor menſium ſpatio addidicit, caſum propoſitum qvemqve Juris expediti, deſignare, qvanam actionis formula, vel ſi plures concurrentes admittat, qvotnam, & qvalibus veniat expediendus.

3. *Syſtema* quoddam *Juris*, pro cujusqve arbitrio & uſu, ac propoſito, hanc vel illam Academiam, ubi qvodqve illorum maxime ſit in uſu futurum, *privatim ad compendium* ante pertractatum examinandi, & *comparandi methodus* oſtenditur: *præmiſſa titulorum de regulis Juris*, & *verborum ſignificatione* lectione; itidem privata cujusque opera abſolvenda, *cum* vel *ſine commentario*. Quæqve hinc *dubia* ſuboriri poſſint, *ſolvuntur*.

4. *Materia*

4. *Materia de processu judiciario* Civili
Criminali, &
Camerali, ad ductum Tabularum *Belitzii* exponitur: auctoribus aliis prolixioribus, juxta hinc inde inspiciendis, etiam commendatis.

Secundum ita expeditur, ut

1. *Præcepta interpretandi scientifica* proponantur: peculiari a me libello jam A. 1662. de JCto perfecto concepto, & 1664. publicato demonstrata. Vel si ejus libri ob raritatem forte copia desit, ea tabellis inde paucis excerptis suppletur. Quod recuso nunc eodem non amplius erit opus.

2. *Textus obscuriores* aliquot e *Corpore Juris*, & (si libuerit) *statutis* etiam *nostris*, interpretandi, secundum hæc præcepta *proponantur*: exemplis etiam veterum Interpretum ex Digestis aliquot, ac recentiorum notabilibus prius inspectis.

Tertium deniqve sic expeditur, ut

1. *Casus* Juris difficiliores sensim proponantur, decidendi rationibus additis.

2. *Acta judicialia* perlegenda, & sententiis interlocutoriis primo, ac definitivis deinceps *decidenda*, tradantur ita, ut rationes decidendi addantur, corrigendæ a me si minus quadrent.

3. *Casuum* ante decisorum *aliqui*, *libellis*, *exceptionibus* &c. quasi *judicialiter tractentur*, donec appareat, praxi forensi aptum esse auditorem factum.

Hæc omnia, cum *aptioribus* ingenio, industria, & præcognitis linguarum atque philosophiæ, soliqve huic labori vacantibus, *biennio*: cum impeditis, aut aliqvo reqvisitorum minus instructis, saltim *triennio* absolvuntur. Siqvidem *Institutionibus annus* integer fere,
Actionibus, &
Doctrinæ de processu
deque
Interpretatione singulis spatium *quadrimestre*. Praxi vero *reliquæ Annus integer* impenditur.

Quæ

Quæ *intervalla, pro majori cujusque alacritate, ac diligentia*, ita *minuuntur*, ut *ad biennium* recidant universa quandoqve.

Quin & *pro scopo cujusque* peculiari, vel *capacitate* ingenii, *fiet mutatio* v. gr. Theoriam accuratiorem declinanti, aut nondum capienti, materia de Interpretatione contrahetur.

Præparatio fit *per Philosophiam practicam*, quæ *biennio publice absolvitur*, tertio anno Rhetoricis dicato, ut ex Catalogis Lectionum impressis videre est. Quod si qvis in eum incidat annum, qvo Jus naturale publice docetur, Ethica vero privatim repetitur, is eam præparationem, *uno anno* poterit absolvere: Cæteroqvi seorsim, sive privatissime (uti vocamus,) cum eodem faciendam. Ut ita triennio finiri possit tota hæc methodus, cum Auditore ingenioso, & industrio. Qva eum in modum absoluta, non modo ipse sibi consulere deinde, sed & ad praxin, (nisi adhuc juri publico & aliis studiis Academicis vacare velit,) accedere possit,

I. N. J. C.


OPUSCU-

OPUSCULORUM
JURIDICORUM MISCELLORUM
IX.

Designatio
Capitum & membrorum
LIBRI JURIDICI
singularis D.V. edendi,
occasione proxima
DE
PRÆVARICATIONE, ET PRÆVARICATORIBUS,
Von Proceß-Verräthern/
und ihren Verräthereyen.

VINCENTII PLACCII
Hamburgensis.

HOLMIÆ & HAMBURGI,
sumptibus GOTTFRIED LIEBEZEITS.



I. N. J. C.

L. B. S.

Occasionem operis præsentis noverunt omnes, qui me id temporis quando primitus concipiebatur, noverunt. Nec enim in angulo res aut obscuro gesta fuit: sed levato velo publici judicii, & pro tribunali sedente integro Senatu, Annis abhinc propemodum XX, & quod excurrit. Quando nempe aliquis alias satis famosus J. U. Doctor (cujus nunc nomini parco, ne defuncto insultare, & cum mortuo etiam continuare litem videar,) per Affinem meum Collegii p. m. tunc temporis XII. nunc XV viralis membrum non infimum, me Patrono reus Prævaricationis commissæ arguebatur. Qui cum sese exceptionibus, etiam nemine replicante adhuc geminatis, defendere fategisset, eæ una cum denunciatione nostra petendæ restitutionis in integrum ergo facta, Rostochium Helmestadium, & Kilonium missæ sunt, Quæsitum, satisne se idonee purgasset à crimine imputato? Negatum ubique, sed ita, ut simpliciter Prævaricationis Rostochienses, Stellionatus magis Helmstadienses, ac tandem criminis falsi Kilonienses magis reum peragerent. Ea res ansam mihi dedit, textus quos poteram, Juris nostri omnes, ac interpretationes eorum potissimas plerasque, decisiones etiam, aut loca Doctorum alia ejusdem argumenti tantum non innumera colligendi. Unde justum in Tractatum excrevit collectio. Quam ordinari tanto magis operæ putavi pretium meæ: quod non omnes æqua fide in hoc argumento Doctores, nec æqua peritia versantes depræhendebam. Multis nimium laxantibus conscientiæ ad avaritiam, & quæstum ignominiosum fræna. Quos si adversarius meus æque mecum notos habuisset omnes, defensionis suæ speciem oppido majorem longe, quam fecit, prætexere potuisset. Neminem vero omni-

omnium per singulas in Processuum partes, atque species, hoc argumentum deducere aggressum comperiebam. Adeoque restare, ut decidendis, sicut vocant in terminis, sive quam specialissime casibus oblatis quibuscunque, hoc etiamnum fieret, omnino intelligebam. Et quidem ut fide ac integritate, ac pietate sincera, imo Christiana id fieret. Neque fora & jura soli polique, cum periculo damnationis æternæ, uti pessime sæpenumero fieri assolet, improbe dividerentur. Id ergo studui quam maxime. Quod cum & forensibus rebus oppido, & animabus Juridicis valde salutare sit futurum: faciam ut imprimatur satis diu pressum opus; simulac residuis, potissimum in allegationibus textuum & Doctorum, quibus ægre vaco, lacunis explendis, aut otium, aut idoneus aliquis adjutor contigerit. Quod ut propediem fiat, si tanti res videtur B.L., Deum una mecum ora, exora. Vale.



I. N. J. C.

SUMMARIA
sive
LEMMATA
singulorum numerorum totius
DE
PRÆVARICATIONE
ET PRÆVARICATORIBUS
TRACTATUS.

TIT. I.
De Præcognitis, & præmonendis circa tractatum Juridicum hujus argumenti.

1. P*Ræfationis* hujus *necessitas* particularis.

2. *Anceps* hujusce scriptionis *argumentum*.

3. Quia (1) *Ipsos JCtos*, eorumque proprium delictum *tangit*.

4. (2) *Multi* hodie *prævaricatores*.

5. (3) *Nemo* hoc argumentum *ex professo tractavit*.

6. (4) *Multi* tamen *incidenter*, sed *obiter*, & *varie*, neq; semper ingenue, & sine affectu

7. (5) Ipsa *materia*, ob judiciorum antiquorum rationem mutatam, *intricatior* reddita.

8. *Neque* tamen *propterea negligendum* hoc argumentum.

9. Quin *potius eo magis pertractandum*, & probe considerandum.

10. Im-

10. Imprimis ab *ingenuo justitiæ Patrono*, Advocatoque fori *non imperito.*

11. *Cautelæ* hic observandæ aliquot, ob argumenti naturam modo memoratam.

12. 1. *Ne* quid *sine lege*, legisve *ratione decidatur.*

13. 2. *Ne cuivis doctori temere credatur*: sed quid dicatur potius, quam quis dicat, respiciatur.

14. 3. *Ne pro vitii hujus excusatione*, vel impunitate *respondenti*, sed *potius adversanti* eidem.

15. 4. *Imprimis si sit Advocatus*, & Practicus ipse: & *consulendo, non docendo respondeat.*

16. 5. *Ne respondenti pro lucro Advocatorum facile credatur.*

17. 6. omnino *potius in odium criminis* decidendum est *in dubio.*

7. Denique *veri præ opinione ratio habeatur* ubique.

18. Totius Ordinis & propositi *methodus* atqve dispositio.

19. *Sedes materiæ* hujus *in legibus* Corporis Juris Civilis, Canonici, Ordinationis Carolinæ, &c.

20. *Index*, non ambitiosus & ostentatorius, sed exhibens ingenue Doctorum de eodem argumento agentium, aut ex professo, aut incidenter saltim, perlecta loca æque ac non inspecta, invicem distincta.

TIT. II.

De Voce Prævaricari, ejusque derivatis, juxta Lexicographiam perfectissimam Scioppianam.

1. *Commendatio curæ vocum,*

2. Imprimis in hoc argumento Lexicographici consilii Scioppiani.

3. Ejusque exequendi modus optimus.

4. Ejus defectus aliquomodo supplendus a scribentibus in quaque materia.

5. *Prævaricari* qualis vox.

6. *Etymon* ejus: Varicari a *varius*, qvasi varie certare, uti visum aliquibus.

7. Qvi *refutantur* varie.

8. Rectius a *Varico*, vel *Varicor*, cujus origo a *varo*, unde compositum *obvaro*.

9. Hoc autem a *varus*, qvod adjective, substantiveque significat, sicut & *vara*. Unde *Vallum varioli*, & *Varro*, *varius* derivata, compositumque *prævarus*.

10. Ab eodem descendunt *varix*, unde *varicula*, *varicus*, *varicatus* pro quo *varitus* alii, *varicosus* pro quo *vatricosus* alii, a *vatrax*.

11. Denique etiam *varicare* & *ri*, cujus significatus notandi, & derivata, *varicatus*, *varicator*, *varicatio*.

12. Composita quoque *divarico*, *obvarico*, unde *obvaricator*, *transvarico*, tandemque

13. *Prævarico*, quid significet *proprie*, juxta primam originis suæ analogiam: unde *Prævaricatio*, & *Prævaricator*.

14. *Usu metaphorico quadruplici* capitur insuper. Nempe 1. *propria* & *specialissima* significatione, *Collusio Accusatoris publici cum reo*: Ubi *Synonyma* etiam huc pertinentia.

15. 2. *Col-*

15. 2. *Collusio quævis cum adversario in judicio facta.*

16. 3. omnis officii vel juris violatio, sive transgressio, sive *peccatum* omne.

4. *Figura Rhetorica.*

17. *Comparatio significatuum* horum *trium*, quorum *postrema nunquam, prima olim* fuerit quidem, at desierit esse, *mediaque* sola serius quidem cœperit, at *hucusque manserit propria.*

18. *Transitio* ad secutura, methodique ratio.

Tit. III.

De Speciali Prævaricatione, antiquis judiciis Romanorum propria, unde generalis delicti denominatio fluxit.

1. P*Rævaricationis nomen* quando primitus usurpari cœperit incertum.

2. Ejus *origo & occasio*, ex malo ordine Judiciorum criminalium, præcipue publicorum, maxime quantum ad accusatores. Unde *Lex peculiaris contra Prævacaritores* lata, & aliquoties renovata.

3. *Definitio* Criminis hujus *specialis* est, quod sit *Collusio Accusatoris publici cum Reo*: unde *Prævaricator* est Accusator colludens in publico judicio cum reo.

4. *Collusio* cum sit *species criminis falsi* sequitur & Prævaricationem stricte dictam crimen falsi esse, adeoque dolum præcipue, variis modis committendum, minus culpam latam, minusve levem hic locum habuisse.

5. *Caussa efficiens*, solus Accusator hic esse poterat, olim quivis e populo, nunc fere tantum Fiscalis. (Etsi nec hodie cuivis e populo alii prohibita sit accusatio) præcipue, primarioque: minus facile subscriptor, & adjutores alii ejusdem, neutiquam Advocatus, neque Procurator, etsi jure nostro recentiori,

ri, poſſit uterque, non minus quam mandatarius, & ſubſtitutus delator ſeu irenarcha: ſecus reus, reive Procurator, aut Advocatus. Ubi Exempla notabilia.

6. *Cauſſa impulſiva* potuit eſſe varia, lucrum', ſeu commodum quodvis aut incommodum proprium tertiive, amicitia, ambitio, miſericordia, & ſimiles affectus: *finalis*, præcipue abſolutio rei, vel certe condemnationis evitatio injuſta, quandoque etiam pœnæ tantum imminutio.

7. *Objectum*, non niſi criminales cauſſæ publicæ, non extraordinariæ, vel privatæ. Moribus tamen hodiernis omne criminale judicium, ejusque partes, ſive actus ſinguli, judiciales præcipue, non vero ante, vel præjudiciales, Pactionesve.

8. *Adjuncta* ejus ſunt, quod ſit crimen atrox, & grave, publicum, & infame, omnibus modis in Civitate perſequendum, & puniendum, ſecundum gradus ſuos ex effectu &c. æſtimandos.

9. *Pœna* ejus, ordinaria quidem *talionis*, ſeu eadem, qua liberaverat reum, ſua colluſione abſolutum. Accedebat infamia damnati, quemadmodum ex omni judicio publico: & privatio juris accuſandi impoſterum, inteſtabilis fiebat &c. Quibus momentis augeri debeat pœna talionis, pro malitiæ magnitudine, minui, pro ejusdem imminutione vel remitti.

10. *Proceſſus* ejus hoc ſpeciale habebat, ut non niſi condemnatus, fieret infamis. Et accuſans non probans fiebat infamis. *Tortura* & *Inquiſitio*, ut ſit neceſſaria, ſæpe nec omitti poſſit a Judice ſalva conſcientia, vel honore ſuo.

11. *Cognata* Prævaricationis ſpecialis ſunt Colluſio,
Falſum,
Stellionatus,
Tergiverſatio.

12. *Oppoſita* prævaricationi huic erant, bona accuſatio, & rigor nimius accuſatoris, excuſabilior quidem prævaricatione, non tamen *laudabilis*.

13. *Relativa* corruptor accuſatoris. &c.

TIT.

TIT. IV.

De Generalis Prævaricationis Definitione essentialibusque, & aliis attributis.

1. A *speciali Prævaricatione* facta est *extensio ad generalem*; quod quando contigerit haud satis patet. Non ex LL. XII. Tabb. sed moribus.

2. *Definitio* generalis hujusce criminis. *Collusio quævis prodendo*, vel certe *vulnerando caussam litigiosam facta*.

3. Est ergo *crimen falsi* etiam hic.

4. *Delictum scandalosum, atrox*. Utpote sub specie sacrosanctæ justitiæ nocens. Judicia irrita faciens: adeoque puniendum severissime. *Frequens tamen*.

5. Semper ad perfectionem suam *dolum requirens*, imperfectum si culpa vel error. Licet *caussæ impellentes* variæ possint esse.

6. *Finis* ejus est caussæ vulnus, & læsio sive litigantium, sive tertii quandoque. Et hæc nunquam non fieri poterit: cum judicium fiat elusorium: & retractabile.

7. Non tamen in specie requiritur, ut *secreta detegantur*: sed hoc accedens aggravabit crimen, per novum crimen falsi speciale.

Tit. V.
De Personis Prævaricantibus.

1. PErsonæ *litigantes* prævaricari possunt, earumque *vicarii*, vel *adjutores*, non judex.

2. *Partes* ipsæ *litigantes*, actor, reus, interveniens, adhærens, denunciatus, & quomodocunque in lite versans, si prodat vulneretque caussam suam ipsius dolose, *in damnum tertii*, sive præsentis in lite, sive absentis colludit quidem, attamen haud prævaricatur.

3. *Procurator* partis suæ caussam lædens, & adversæ juvans, hujus criminis indubitato reus est. Ut & *defensor*.

4. Similiter *Advocatus*, advocatione sua lædens jura sui clientis, & juvans caussam adversarii, Prævaricationem generalem committit.

5. Etiam *substituti Procuratorum* & *Advocatorum*, hoc crimen committunt æque, ac ipsi substituentes.

6. *Mandantes* uni alicui horum prædictorum prævaricationem, & ipsi non minus ac si præsentes in judicio fuissent, tenentur.

7. *Consulentes* Doctores, etiam *collegialiter*, nedum *privatim*, prævaricationem committere possunt, ut & *Pragmatici* quicunq; partium jura juvare profitentes.

8. *Quinam* ex his omnibus *gravius* peccent, dici non satis & definiri potest; sicut etiam ejuscemodi comparationes delictorum aut virtutum in se non habent magnum usum, & universaliter hic definita secundum circumstantias variant innumeris modis. *Gravius* tamen puto delictum (1.) defensoris. (2) Procuratoris, inde (3) Advocati, deinde (4) substitutorum, & (5) mandantium, demum (6) principalium, ac (7) levissimum consulentis.

Tit. VI.

De caussis, earumque partibus, & adeo actibus singulis, quibus prævaricatio generalis committitur.

1. GEneralis Prævaricatio in *omni genere caussarum*, & *judiciorum* locum habet. Sive itaque Civilis, sive criminalis, sive publica sive privata, sive ordinaria sive extraordinaria sit actio, collusio in eadem ad vulnerandam & prodendam caussam facta, huc pertinet.

2. Fitque collusio talis, *quacunque postulationis parte*, vel *neglecta*, vel *male obita*, adeoque vel omittendo, vel committendo: *totaliter*, vel *particulariter*.

3. Et quidem *omittendo* postulationem totaliter: desistendo & deserendo clientem. Quod non licet.

4. *Committendo, generaliter*, *transeundo ad adversarium* deserti.

5. Item *utrique patrocinando*, seu pro utroque
postulando directe
indirecte
consulendo.

6. *Particulatim* fit ista prævaricatio similiter omittendo, vel committendo. *Omittendo*, seu *desistendo ex parte*, si negligat vel
extrajudicialiter, vel
judicialiter actus substantiales communes
utriq; proprios
alteri
reo.
ab initio Processus ad finem usque specificatio.

accidentalis, seu *formalia*
fatalia,

fatalia. Quæ ab initio ad finem processus recensentur.

7. *Committendo: si* vel *transeat, pro parte obeundo actus, quos adversarius obire debebat Judicialiter*

extrajudicialiter, essentiales

accidentales, ab initio Processus ad finem utrobique recensendos.

8. Vel *pro cliente faciendo, quæ non debebat*, colludens, utrobique consistens pro parte *Extrajudicialiter*

Judicialiter in partibus essentialibus,

acciden-talibus, ab initio ad finem processus recensendis.

9. Vel denique *tertium quid a sua persona diversum faciat*, quo noceat clienti, prosit adversario v. gr. *transactionem extorquendo*; *referentem indicando* &c. Quæ cuncta iterum quam *specialissime* deducenda. Ne facile casus exsurgere queat ullus, tam singularis, cui non expeditam hinc decisionem applicare liceat suam.

TIT. VII.

De Pœnæ Prævaricationis generalis, eamque augentibus, vel minuentibus.

1. P*Oena Prævaricationis generalis non* eſt *mere extraordinaria*, vel *arbitraria*, ſed *ordinaria*. *Ordin. Carolinæ articul.* 115. expreſſa.

2. Pœna hæc *æquiſſima* eſt, multumque juſtior & ſalutaris mulcta Saxonica, vel aliis mitioribus aliorum locorum pœnis.

3. *Conſectaria*, ſeu *adjuncta pœnæ hujus* ſunt *communia*
Infamia
damni reſtitutio, &c.
Propria
Advocaturæ amiſſio, vel *Procuraturæ*.

4. Pœna hæc *augeri*, & *mutari in graviorem* poteſt, ex cauſſis ſuis aggravantibus.

5. Item *minui*, & *mutari in leviorem*, ex cauſſis oppoſitis, minuentibus delictum.

6. *Remitti* & condonari vix debebit, ob enormem ſuam malitiam. *Jus aggratiandi* hic parce uſurpandum.

TIT. IIX.

De Processu Criminali contra Prævaricatores Generales.

1. PRocessus *Prævaricationis generalis*, ex Jure communi *criminalis* est, non Civilis. Itaque in civili Judicio incidenter tractari nequit. Sed vel *per accusationem*, vel per *inquisitionem*, in criminali Judicio instituetur. Bene tamen in Criminali potest incidenter tractari per Exceptionis, Restitutionis petendæ modum &c.

2. Accusatio illa fieri potest *ab unoquoque*, & *laudabiliter*. Ei tamen *Fiscalis jungendus* semper. *Delator necessarius quivis*, per conscientiam est: sed is accusare non tenetur.

3. *Inquisitionem facere Judex tenetur*, ad denunciationem, famam, indicia, corpus delicti datum, tam *generalem* quam *specialem*, Ubi & *Incarceratio* fiet &c.

4. *Caussæ cognitio* debet semper præcedere, & *Probatio* sufficiens, id est, plena ordinarie nec solæ præsumptiones.

5. *Præsumptiones solæ* nunquam ad crimen, bene *ad torturam* sufficiunt, quæ hic omnino locum habet.

6. *An gradus Doctoris* aut *Licentiati a Tortura absolvat*, in hoc crimine, quod quia Doctor, & eo ipso gravius peccans, gravius etiam puniendus potius videtur, & indignus gradu.

7. *Juramentum purgationis* hic raro admittendum: *Comparatio litterarum* potius.

8. *Absolutoria* calumniam accusantis non probat. *Condemnatoria* vero infamat omnis.

9. *Confiscatio bonorum* hic locum an habeat?

10. *Contu-*

10. *Contumax*, vel *fugitivus*, in contumaciam condemnari & relegari an debeat?

11. *Tortus* ad indicia si torturam sustinuerit, qvando *relegandus*, aut certe advocatum illi interdicenda. Quando pure *absolvendus*, aut *satisfactionem* ab accusatore, delatoribus &c. *petendam habeat*, & qualem.

Tit. IX.

De Cognatis, affinibusque, aut contrariis & oppositis Prævaricationis Generalis.

1. *Cognata* maxime generali prævaricationi est specialis differens partim & conveniens.

2. *Collusio generalis* ut genus, *specialis*, seu proprie dicta, *judicialis* ut species opposita.

3. Ita *Falsi crimen* prævaricationi generali affine est, tam ut genus, quam ut species opposita, quæ ipsa etiam frequentissime huic crimini copulatur delinquentibus.

4. *Stellionatus* crimen.

5. *Calumnia*

6. *Error*.

7. *Corruptores Advocatorum*, & *Procuratorum*.

8. *Opposita* sive repugnantia fidelis postulatio, & illam adjuvantia.

9. Perfidiam *impedientia*, & *destruentia* v. gr.
Juramentum Advocati, & principalis.
subscriptio & notitia,
vetita substitutio
prohibita familiaritas cum adversario &c.

Tit.

TIT. X.

Conclusio.

1. AD *Patronos* caussarum seria *dehortatio* a prævaricatione. 2. *Instructio ad cavendum* hocce delictum omnibus *therapeutices moralis remediis* applicandis. 3. *Ad lectorem*, *veniæ petitio auctoris*, & *agnitio* residuæ *imperfectionis* multæ in hoc opere, quod una cum suo *fructu* commendatur DEO

I. N. J. C.

Adjacent

COnsilia inedita pluscula, & Decisiones, vel *Consultationes editæ* collectæ memorabiliores &c.

I. N. J. C.

LIBRI

à

VINCENTIO PLACCIO

Præter Programmata, & minuta quædam alia, non memorata,

EDITI

Usque ad A. C. 1693.



Tlantis Retecta, *sive* de Navigatione Christophori Columbi in Americam: *Poëma Ephebicum, Hamb.* 1659. *in* 8.

De JCto Perfecto, liber unus: exhibens officia, & requisita JCti, adeoque Elementa scientiæ interpretandi jura, scientificè demonstrata. Cum Appendice Regularum aliquot interpretandi falsarum, summis JCtis malè probaturum. *Viennæ* 1662. scriptus, 1664. in Italia, sub *Nomici Pacemuti Analyticophili* nomine, quasi *Augustæ* publicatus, in 4.

De Interpretatione Legum, *Disp. inauguralis*, *Aureliis*, 1665. in 4.

Carmina Puerilia & Juvenilia, libris IV. *Amstelod.* 1667. *in* 12. *apud Petrum le Grand.*

De Scriptis & Scriptoribus Anonymis, & Pseudonymis, Syntagma. *Hamb.* 1674. *in* 4. *apud Christianum Guth.*

Typus Accessionum Moralium, sive Institutionum Medicinæ Moralis: desideratorum ejus scientiæ, cumprimis vero Præceptorum emendandi semetipsum, elementa partitè proponens. *Hamburgi* 1675. in 8.

De fructu præcipuo Philosophiæ moralis genuinæ: qui est agnoscere ipsam insufficientem, ulli beatitudini solidæ nobis comparandæ, necessariam verò ad hoc, & indubitato existentem Revelationem, ejusque requisita & signa, quibus à falsis religionibus queat discerni. *Accessit* Oratio de juvene Politices Auditore. *Helmstadii* 1676. *in* 8. *apud Fridericum Lüdervvald.*

De augenda Morali Scientia Commentarium, in FRANCISCI BACONIS de VERULAMIO de dignitate & augmentis scientiarum librum septimum. Exhibens Historiæ Ethicæ breviarium ab orbe condito: indeque ex fortuna ejus varia, & impedimentis, remedia, scientiæque perfectioris sperandæ ideam. *Francofurti* 1676. *in* 8. *apud Johann David Zunnern.*

De Actionibus Tabula ex jure naturali unica, ex jure civili duplex: cum explanatione singularum brevi. Unde applicatio ad speciem facti quamlibet facillima, & comparatio juris Civilis cum naturali jucundissima reddatur. *Hamb. apud Gottfried Schultzen in* 8. 1678.

Excerpta Rhetoricarum Accessionum, *in* 8. *Hamburgi* 1679.

Institutiones Juris Reconcinnatæ ita, ut elementa sint, totius juris privati, nunc in Imperio Romano-Germanico vi-

gentis. *in 8. Francofurt 1682. apud Johann David Zunner.*

Typus Medicinæ Moralis Germanice. Oder Entwurff einer vollständigen Sitten-Lehre/ nach Art der leiblichen Artzney-Kunst/ mit Verteutschung aller Kunst Wörter. Dabey

Diæta Moralis Philosophico - Christiana: Oder Christliche Sitten-Pflege / fürstellende allerhand Mittel zum tugendsamen Leben/ nach Anleitung der täglichen Leibs-Verpflegung zu gebrauchen. 8. Hamburg 1685. bey dem Auctore.

Gründlicher Beweiß von Unsterbligkeit der Seelen/ aus dem blossen Lichte der Natur. 8. Franckfurt 1685. bey Johann David Zunnern.

Diese drey Tractätlein zusammen mit hochnützlichen Registern. 8. Franckfurt 1688. bey Joh. David Zunnern.

Excerpta bina Rhetoricarum Accessionum. Quorum priore Enthymematicæ, posteriore Affectuosæ Inventionis doctrina Aristotelica, ordinata, & triplo amplius aucta exhibetur *in 8. Hamb. 1686. apud Auctorem.*

De Arte Excerpendi 8. *Hamb. ap. Liebezeit.*

Invitatio Amica super symbolis ad Anonymos & Pseudonymos 8. *ibidem apud eundem.*

De JurisConsulto perfecto, sive Interprete ac Interpretatione legum liber singularis post XXX. annos secundum editus, auctus & collatus cum Jo. FELDENI scientia Interpretandi. 4. *ibid. apud eundem.*

Musæ Juridicæ, sive Opuscula IX. Juridica edita partim ac edenda, vel derelicta. 4. *ibid. apud eundem.*

EDENDI, D.V.

Quorum simili plane cum superioribus typo expressi, in mundum redigi tantummodo: *reliqui vero ulteriori etiam meditatione, vel collectione, vel utraque adhuc indigent.*

De *Anonymis & Pseudonymis detectis* ultra 4000. *libri duo, in folio.*

Institutiones Juris Naturalis universi, privati, atque publici, quo Politicæ Accessiones continentur, una cum Imperiorum atque Gentium universalissimo jure: ad votum *Bœcleri* in præf. ad Grot. de Jure belli & Pacis.

Ad GUILIELMI GROTII de Principiis Juris naturalis Enchiridion, annotationes, & supplementa.

De Prævaricatione & Prævaricatoribus *Tr. Theorico-Practicus*, additis variis consiliis & decisionibus circa hanc materiam, partim adhuc ineditis.

In Francisci Baconis de Verulamio de dignitate & Augmentis scientiarum libros V. priores Annotata.

Typus *Accessionum Logicarum.* Ubi de notionum vario discrimine, deque recta nominum impositione, ac usurpatione, Grammatica item Philosophica, & interpretatione, atque Analysi cujuscunque generis sermocinationum.

Ad ejusdem Librum VI. Comm. de Augmentis Rhetoricis.

Accessiones Rhetoricæ methodice digestæ.

Accessiones Ethicæ exhibitæ in MEDICINA ANIMORUM MORALI bipartita: cujus pars I. Institutiones Medicinæ Animorum ordine in Germanicis supra memoratis expresso, plenius elaboratæ.

Pars II. Medicina Moralis Practica, sive

De Vitiorum singulorum agnitione & Curatione speciatim.
Ejus specimen in iracundiæ signis & remediis exhibitum.
In ejusdem lib. VIII. & IX. Annotationes.

Analysis exacta Logica Aristotelicorum Analyticorum

Prio-

Priorum & Posteriorum, B. *Keckermanno* (*Praecogn. Logic. tr. 2. c. 5. pag.* 43.) inter alia desiderata.

Analysis Ejusdem *Ethicorum Nicomachiorum*, & *Politicorum*. Ita ut ad oculum appareat, ubi[q]vælibet probatio incipiat, atque desinat: & qualis quæque sit, quive textus hiantes, aut integri sint.

De Astrologia Judiciaria, potius expurganda, quam contemnenda, Consilium epistolare: cum Epistolis argumenti varii Philosophici aliis.

Ratio Status Reipublicæ Litterariæ hodiernæ, sive Corruptelæ atque remedia illius.

Annotationes ad Disputationes X. Ethicas HORNEII, cum adscriptis versiculis Aristotelici textus, quibus respondent theses Horneianæ.

Annotationes variæ, Philosophicæ potissimum, in Auctores varios, qua veteres, qva recentiores, diversarum linguarum.

Bibliographia Rhetorica, Ethica, Politica, & Juris naturalis privati compendiaria: una cum Consiliis de studiis hisce cum ad Theoriam, tum ad praxin optime instituendis.

Additiones ad Thomasium de Plagio literario: Ad Vogleri Introductionem in omnis generis auctores, & Bibliothecas Varias Variorum.

Ad Pierium Valerianum, de infelicitate litteratorum.

Historiæ Curationum moralium, antiquæ, & novæ.

De Commentariis ad Historicos optimis prudentiæ ac scientiæ Practicæ augendæ scribendis, & scriptis hucusque in Tacitum, partite recensitis. Cum specimine propositionum ex primis Taciti capitibus excerptarum.

Mythologia Natalis Comitis, universa Tabella unica majuscula comprehensa.

Additiones ad Vorstium, de Latinitate falso suspecta, & merito suspecta.

Analyſis Rhetorica accurata, Divinationis Ciceronianæ contra Verrem, & *aliarum* orationum, *etiam Taciti, Livii, &c.* ſecundum Acceſſiones Rhetoricas inſtituta.


Encyclopœdia Philologica, ſecundum ordinem Scientiarum, locutiones proprias Latinas, ex bonis auctoribus excerptas, circa quamlibet materiam exhibens, auctoribus ubique nominatis, &c.

ALIENA SCRIPTA.

Plurima, variorum Auctorum, vita jam functorum, ad diverſa ſtudiorum genera pertinentia. In quibus b. m. Parentis mei *Dr. Johannis* PLACCII *obſervationes Medicæ*, & alia, quorum Catalogus prolixior, quam ut hic exhiberi nunc poſſit.

Interim ſi quis indignetur, me ſcriptorum meorum Indicem texere: ſciatis, plurimorum omnis generis Scriptorum exemplo id à me factum. Quorum aliquos ut animo nunc occurrentes nominem: Ecce Andr. *Alciatum*, Leonem *Allatium*, Claudium *Arrhenium*, Valerium *Andreæ*, *D. Auguſtinum*, Jacobum *Auzolium*, Adr. *Bailletum*, & *Barlandum*, Thom. *Bartholinum*, *Bellajum*, Fredericum Cardinalem *Borromeum*, Philippum *Bosquierum*, *Bulingerum*, Johannem *Cajum*, Thomam *Campanellam*, *Canevarium*, Johannem *Caramuelem*, Hieronymum *Cardanum*, *Champerium*, Johannem *Cochleum*, *Dionyſium* Carthuſianum, Jo. Amos *Comenium*, Damhouderium, Joannem *Dujatum*, Jac. *Duraſtantem*, Deſiderium *Eraſmum*, Henr. *Ernſtium*, Joh. Jac. *Friſium*, Ahasverum *Fritſchium*, Joh. *Furtembach*, *Galenum*, R. Gedalia *Jechajæ filium*, Gilb. *Genebrardum*, Conradum *Gesnerum*, Jac. *Gretſerum*, Chryſoſtomum *Henriquez*, Dav. *Herlicium*. *S. Hieronymum*, *Honorium*, Joh. Henric. *Hottingerum*, Chriſtianum *Kortholt*, Philippum *Labbeum*, Petrum *Lambecium*, Joann. *de Launoy*, Petrum *Laurenbergium*, Fortunium *Licetum*, Michaelem de *Marolles*, Jo. *Meurſium*, Franciſcum *Mirandulanum*, Nicolaum *Nancelium*, Fredericum *Nanſeam*, Michaelem *Neandrum*, Aloyſium *Novarinum*, Theodorum *Petrejum*, Laur. *Pignorium*, Johannem *Pitſeum*,

um, P*ortam*, Anton.P*ossevinum*, *Priolum*, Erycium P*uteanum*, Theophilum *Raynaudum*, Antonium *Reiserum*, Joh. *Rhenium*, Petrum *Rihadeneiram*, Annæum *Rulmannum*, Franc. de *Sales*, Antonium *Sanderum*, Joh. *Schefferum*, Gaſparem *Scioppium*, *Sigebertum*, *Antonium*, & *Sixtum* Senenſes, Claudium *Sorellum*, Johannem *Starkium*, Henricum *Stephanum* Stolbergerum, Joh. Steph. *Svvertium*, *Sylveſtrum*, *Taurellum*, Jac. Phil. *Tomaſinum*, Joh. *Tritthemium*, Antonium du *Verdier*, Carolum de *Viſch*, Gotthofr. *Voigtium*, Martinum *Zeilerum*, & innumeros alios, qui ex *Leonardi Cozzandi de iis, qui de propria vita, vel rebus a ſe geſtis ſcripſerunt*, aut aliunde peti poſſint, ſiquidem ea res tanta foret. Quos omnes hoc nomine vituperandos autumans, etiam me una ſi vituperet, parum penſi habeam, in tanto me longe meliorum numero facile latitaturus. Non vituparabit autem, quisquis præter commendationem hujus inſtituti, V. Cl. *Gabrieli Naudæo* in vita Cardani allatum, id etiam cogitaverit: quantopere hac ratione, laborantes in eodem aliquo argumento, ſtudia ſua mutuis auxiliis ſublevare invitentur, ſi ſtatim quos quisque habeas in ſuo labore ſocios, publice innoteſcat: inprimis quamdiu Societates Eruditæ adhuc in deſideriis meris Eruditorum hærent. Sicut ſane non alia mente magis ego edendorum a me indiculum huncce publicavi, quam ut juvandi meos conatus quibus libuerit uberior tanto facultas exiſtat. Quemadmodum ego viciſſim mea cæpta cuivis, majori cura, vel otio, vel aliis adminiculis, ſubſidiisque præ me inſtructo, ad illa perficienda properanti, ſim donaturus ac lubens.



ERRATA

Craſſiuſcula, *abſente* a loco impresſionis *Auctore* commiſſa ſunt:

I. UNIVERSALIA (1) *Uſurpatione typorum ineptâ*, v. gr. majuſculorum, ad lemmata capitum, ubi currentes, (vulgo *curſiv*) adhiberi debuiſſent. Item in textu hinc inde perabſurde, v. gr. ad Regulam 18. p. 97. (cujus Regulæ numerus 18. ut & præcedentis 17. eadem pag. marginalis perperam eſt omiſſus.) Ita pag. 255. 330. &c. Sic & alias typos majores minoribus, currentes ſtantibus, hinc inde permutatos, B. L. contra ſcopum Auctoris, ex comparatione cum reliquis facile agnoſcet.

(2) *Omisſione parentheſium angulatarum*, [ ] ab initio usque ad finem torius operis *omnium, una ſola*, p. 3. & ſeqq. *retenta*. Id quod Operis præfationem poſteriorem conſcribens, Auctor adhuc ignorabat; & curabit, ut minimum (inibi memoratam ab cauſſam) exemplari Bibliothecæ Hamburgenſi publicæ donato, inſertis calamo parentheſibus illis, una cum emendationibus erratorum poſt hac depræhendorum, qualiter poteſt, quando, qualiter vult, non licet, hoc reſarciat.

II. SINGULARIA *potiora, per* primam, *feſtinandam* ob nundinas *relectionem, depræhenſa*, ſic emendari oportet.

paginæ,	*lineâ,*		*pro impreſſo,*	*legatur,*
4.	7.		viR	viS
	9:		83.	43.
9.	17.		ipſi	ipſiS
21. Addit. II.	2.		BibliogrEphica	BibliogrAphica
24.	10.		colliſionIs	colliſionEs
28.	5.		ESt	Ut
37.	19.		FRACtiones	TRACTAtiones
38.	26.		MALTHESILANI	MATTHESILANI,
46.	13.	poſt	ἐξηγεῖσθαι inſeratur	δύνασθαι
	14.		σαυτὸν	ἑαυτὸν
	15.		σεμνύνησθαι	σεμνύνεται
49.	16.		obſcurATum	obſcurORum
	27.		mulmentis	mulTO Mentis
	29.		ſpecialiBus	ſpecialius
53.	11.		faciENS	facERE
57.	7.		pERfecta	pROfecta
59.	19.		minimA partE	minimÆ partIS
66.	6.	poſt	*tamen*, inſeratur,	*ejus*
79	6.		conſortEM	conſortUM

paginæ,	*lineâ,*	*pro impresso,*	*legatur,*
80.	5. post *utrum*, inseratur,		*ex*
86.	2.	definiRe	definiTe.
88.	5.	jurE	jurI
91.	13.	At	Ut
93.	24.	jurA	jurI
94.	25. post *casu*, inseratur, *si*		
118.	14.	dEspicere	dIspicere
126.	1.	supER	supRA
127.	18.	prÆpositio	prOpositio
134.	8.	memorIa	memorATA
139.	ult.	majoriS	majori
142.	14.	aliquÆ	aliquI
	16.	aliquÆ conjunctÆ	aliquI conjunctI
144.	15.	op ima	opTima
159.	27.	neC	ne
173.	1.	teNEntes	tentes
	2.	defectu	defectuM
176.	14.	partibus	PRÆ partibus
210.	12.	EO citare	VOcitare
223.	subjiciatur calci paginæ allegatio: (*h*) *Pöetic. c.* 22.		
240.	9.	propoNUNTUR	propoSITÆ
	ac definitæ addit XIII. earumq; differentiæ discriminatæ, reducuntur ad verba & mentem legis.		
152.	*à lin.* 1. Quandô, usq; *ad* lin. 9. finem, *Parenthesi* includenda.		
	18.	relinqui	relinquiMUS
253. allegat.	3.	BonDEM	BonACiN
263.	10.	quA	quÆ
265. allegat.	5.	*cons.* 385.	285.
268. allegat.	2.	*quis* 1.	*quis* 14
269. allegat.	ult.	7.	8.
272.	3.	favOre	favEre
294.	13.	aliOs	aliI
297.	27. post *facilis*, inseratur,		*vero*
298.	lemma corrigatur, ut *pag.* 240. *supra.* Similiterque in *lemmatis capitum, Operi* toti *præfixis.*		

Denique in *præfatione posteriori, pag. lin.* 17. *pro* obSerVantIs *leg.* obVerSantEs.

ERRATA.
IN MUSIS JURIDICIS.


Præter angulatas *parentheses* [ ] in *Syntagmate primo* toto *prætermissas*, potiora sic emendentur.

paginæ,	*lineâ,*		*pro impresso,*	*legatur,*
2.	27.		l. 1. qui	l. 1. C. qui
	28.	post	*contrarium,* inseratur, *& dicitur*	
	ibid.		AdvocatorEm	AdvocatorUm
	29.		Æquitare	Equitare
	30.		multAs	multIs
5.	17.		C. n.	C. PRÆF. n.
6.	21.		VivÆ	VivIUS
	26.		ButriO & PanormitanO	ButriUS & PanormitanUS
41.	27.		præferT	præferRI
69.	24.		NIL	QUID
73.	17.		IN	NI
116.	5.		CuiUS	Cui
117.	6.		quOd	quId
124.	16.		cum f.	cuum JURE
140.	2.	a fine	consVEtaS	consULtaT.
142.	5.		NOtabiles	MUtabiles
	12.		quId	quOd
	ibid.		quId	quOd
143.	22		GrammaticaS	Grammatica
	ibid.		interpretationeS	interpretatione
	23.		RhetoricaS	Rhetorica
152.	4.	dele	VEL	
	8.		quAm	quEm
155.	25.		Mäckeler	Becker
156.	29.		rabulÆ & exterI	rabulAS & exterOS
157.	17.		Antinomas	AntinomIas
165.	3.		proditoRE	prodito
	4.		contiNgit	contigit
	19.		Fletkeker	Fletkicker
173.	22.		*amovendi* deleatur	
	27		mpla	Exempla
177.	15.	post	*constituta*, inseratur, *vindicat*	

paginæ,	*lineâ,*	*pro impresso,*	*legatur,*
178.	10.	AnnotaT	Annota
180.	3.	respicUIT	respicIUNT
182.	ult.	aBjuRabo	aDjuVabo
187.	12.	evitandi	evitandÆ
189.	11.	EFformare	formare
195.	15.	futurUs LegulejUs	futurIs LegulejIs
	17.	complexurUs	complexurIs
196.	4.	PhilosophiCA	PhilosophiÆ
	9.	debeAt	debeNt
211.	ult.	accidentalIs	accidentalEs.

Quæ præterea occurrent alia fortassis, necdum animadversa hic errata, ea vel divinatione facili assequenda, vel saltim ægro ex duplici tertiana Auctori, & ad nundinas correctionem hanc deproperare coacto, ignoscenda B. L. habebis. Vale.





Le Pot

ric. i fol. 04. 00

45 / e0



PLACCIUS
INTERPRETA
LEGUM



8 inſtar ad noſtra inde deducenda ſupponimus. *Altera* illa *legiſla-*
toriæ ſcientiæ portio, magis ab hac perfectione recedit, & quonian
perfectiſſimam Civitatem inſtitui, & perfectiſſima adeo jura pro
ſus obſervari, humana imbecillitas non omnino permittit: ea
conſiderat reſpublicas, quæ etſi optimæ non ſint, attamen ſin
tales quæ *ab optima non plane*, ſed quatenus neceſſe eſt, ita utin
9 uſum deducantur, *recedunt*. Haſce ergo formas, earumque
proprietates, & conſervandi rationes, ſive leges, iſta ſcientiæ le-
gislatoriæ pars pro vario fine varias demonſtrat, quæ quo magi
C. præced. §. 8. minusve ab optimo recedent, eo plus minusve perfectioni
quemadmodum ante diximus, obtinebunt. Atque hæc eſt do
10 ctrina illa, quam *qvarto, qvinto & ſexto Politicorum* libris *Ariſto-*
teles nobis deſcribere voluit. Quam illi quæ de optima republica
tractat, utpote indigniorem, ex Philoſophi mente poſtponen
dam eſſe, recte Antonius *Scainus* in quæſtionibus ſuper libros d
Repuplica Romæ. A. D. 1577. excuſis monuit. Cui vir inſigni
Daniel *Heinſius*, & Clariſſimus, ac civilis prudentiæ imprimis parti-
ceps Hermannus *Conringius*, in introductione in hoſce libros, nec
non, ſcientiſſimus *Feldenus* in Analyſi adſtipulatur. Quorum nul-
lus haſce cum viderit *Scaini Qvæſtiones Politicas*, oppido rarita-
te ſua non magis, quam bonitate pretioſas, exemplar olim Vene-
11 tiis forte repertum, occaſione data recudi facere decrevi. Verum
ut in viam revertamur, ex Politicis de Ratione Status & Reip. opti-
mæ natura ſcitu neceſſaria nunc aliunde vel prænoſcenda bene-
volo lectori, vel etiam quantum huc opus eſt, quidem nota præ-
ſupponimus: quomodo autem ad leges poſitivas accommoda-
12 ri ea debeant, operæ pretium erit omnino nunc videre. Nempe
omnis Civitas finem habebit cum aliquo earum, quæ in poſteriore il-
la ſciêntiæ civilis parte *ab optima republica recedentes* conſideran-
tur, *vel totum*, vel *ex parte coincidentem*, adeoque & de ipſius na-
tura & legibus participabit. Hæc rurſus *aliquid* habebit *ab opti-*
ma illa, adeoque naturali: Nam ſi nihil ex illa habeat, neceſſe eſt
contineat mera naturaliter injuſta, adeoque mera ſui deſtructiva
jura,

jura, & per ea ſtare diu, atque conſervari, nullo modo po-
terit: imo potius corruptio reipublicæ, quam reſpublica erit.
Quæ cum taliter ſeſe habeant, patet *in omni republica leges aliquas* 13
debere *concordare cum* prioris, & poſterioris *harum ſcientiarum*
aliquibus, adeoque *rationes* & cauſſas ſuæ exiſtentiæ *exinde habe-*
re. Harum ergo illas, quæ *ex naturæ jure*, ſive *priori parte*
ſunt, *naturales*: quæ *ex poſteriori* dependent, *politicas*, ſive
civiles impoſterum vocitabimus. (t) Utræque rationes legum
κατ᾽ ἐξοχὴν dici merentur. Quippe quæ re vera rationem, ſive
proportionem τȣ̃ ineſſe invicem, legum terminis tribuunt. Un- 14
de cum illa ipſa ratio, ſive proportio terminorum, faciat pro-
poſitionem, ceu ante dictum habemus, ea vero ipſa propoſitio
ſit lex: apparet qvam recte prorſus Doctores *rationem legis i-*
pſam legem, (u) item *animam legis* (w) dixerint, conſentientibus
antiqvis etiam Jurisprudentibus, & præcipue *Paulo* (x) inter
eos neutiquam infimo. Hinc ergo aliud porro officium JCti, 15
ſive legum interpretis nanciſcimur, imo interpretationis menta-
lis etiam ſpeciem peculiarem, reliqvis contradiſtinguendam,
qvæ Rationalis Interpretatio late dicta, ſeu ra-
tio-

(t) *Conſentientibus ll. Romanis paſſim per ff. & C. videſis* Giphan, *de R. J. c. 4.* Mev. *Prodr. Jprud. Inſpect VI.* §. 30.

(u) Zaſius *in l. ſcire, & l. non omnium ff. de ll.* Moditius. *in §. lex eſt Inſtitut. de I. Nat. G. & Civil. n. 4.* Alciat. *de V. S. lib. 2. n. 10.* Forſter. *de interpret. jur. lib. 2. c. 2. n. 21. & reg. 91. ibique citatos.* Bald. *conſil* 467. *in fin. gl. ad l. 2. C. quæ ſit longa conſuetudo.* Everhard. *loco de ratione legis larga. n. 29. &c.*

(w) Alciat. *de V. S. lib. 1. n. 15. & ſeqq. &* Bald. *in l. ſi quis ſervo. in fi. C. de fur-tis.* Tiraquell. *l. ſi unquam verb. libert. n. 28.* Alex. *Conſil. 32. Jo. Mari No-var. Quæſt. forenſ. lib. 1. q. 144. n. 120. Fr.* Leo *Theſaur. fori. Eccleſ. p. 2. c. 9. n.* 136. *Barth.* Perett. *ad Extravag. ambitioſæ de rebus Eccl. non al.* Barboſa *axiom.* 197. Everard. *loco arat. leg. ſtrict. n. 2. Ludovic.* Poſti-us. *in deciſionibus* Rotæ Romanæ *de manuten. deciſ. 206. n. 39.* Gammar. *de extenſion. n. 15. & 17. &c.*

(x) *l. cum ratio. 7. ff. de bonis damnatorum.*

